Brugis, typis Houdmont Fratrum.

Periodica de re morali, canonica, liturgica

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

DE RELIGIOSIS

Periodica

ET

MISSIONARIIS

8
1919.

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

PERIODICA

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

TOMUS OCTAVUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

POST. COLLEGE
ALMAE ROMAE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS

SUMPTIBUS BEYAERT

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITA GREGORIANA
Via del Seminario

1919

16751

V. 8

IMPRIMI POTEST

P. A. Coemans, S. I.

NIHIL OBSTAT

Brugis, 31 decembris 1919.

Em. De Jaegher, *Can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 2 januarii 1920.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

PARS PRIOR

SUPPLEMENTA

ET QUAESITA VARIA

SUPPLEMENTUM PRIMUM

DE ORDINARIORUM ADIUTORIBUS SEU DE MISSIONARIIS

Ordo rerum postulat, ut, postquam in superiore tomo de Vicario apostolico et de Praefecto apostolico egimus [1], de sacerdotibus qui ipsis auxilio sunt pauca quaedam disseramus.

Cuius disquisitionis haec etiam utilitas erit, ut, apta personarum distinctione, ansam errandi, quae ex ipsis S. Congregationis decretis parari potest, amputemus.

Inter multa enim quae S. Sedes de Missionariis statuit vel declarat, plura sunt quae propria sunt istorum Missionariorum quos ipsa S. Congregatio de Propaganda Fide approbare vel deputare consuevit, dum universaliter dicta videntur.

Itaque :

1. Ut *varia missionariorum genera* referamus :

a) Propriissime Missionarii vocantur sacerdotes quos S. Congregatio de Propaganda Fide titulo insignit *Missionarii apostolici* et variis facultatibus auget.

Qui titulus etiam sacerdotibus Congregationum saecularium Missionariorum, v. gr. Parisiensis Societatis Missionum ad exteros, non tamen religiosis hodie conceditur.

Alumnis autem Collegiorum Pontificiorum Urbis titulus tamquam privilegium commune tribuitur. Cfr. resp. 19 aug. 1743 (n. 278 vel 344 Coll. P. F.).

b) Missionarii sunt quotquot a legitimis Superioribus Instituti regularis vel religiosi aut Societatis mittuntur in

---

[1] Cfr. t. VII, Supplementum XIX, p. (9)-(23), (37)-(48).

regiones quas S. Sedes Institutis religiosis excolendas assignavit.

c) Missionarii sunt sacerdotes saeculares europaei quos Ordinarius missionum, annuente proprio sacerdotis Ordinario, sibi ascivit.

d) Missionarii etiam sunt, latiore usu, sacerdotes indigenae qui in locis Missionum ordinati sunt et spiritualia ministeria exercent.

2. De Missionariis *apostolicis* haec fere tradenda sunt.

a) In arbitrio est S. Congregationis Propagandae Fidei sacerdotes examinare et ad spiritualia munia idoneos iudicare. Quare generalis Congregationis decreto 24 iun. 1623 Superiores regulares iubebantur missionarios a se mittendos S. Congregationi nominare, quae eos examinaret et probaret [1]. Ac 4 oct. 1707, sancitum est ut tres Cardinales pro examine doctrinae deputandi essent, facta ipsis facultate temperandi periculi rigorem ex personarum merito et qualitate. Quod autem in Urbe Eminentissimis Deputatis, id extra Urbem Nuntiis apostolicis et episcopis dioecesanis concedebatur [2].

Quos autem S. Congregatio examinasset et probasset, Ordinarii locorum iterum examini subicere prohibebantur [3].

Verum examina ista in Urbe obsoleverunt, ita ut Ordinarii plenam libertatem recuperarint.

b) Ipse autem titulus *Missionarii Apostolici* honor est qui ius dat alios simplices sacerdotes praecedendi. (Cfr. resp. 17 iun. 1853. Coll. ed. 2, n. 1092.)

Uti tamen rocheto vel cum baldachino recipi non possunt. (Resp. S. C. P. F. 23 aug. 1852, n. 1080 ad 3 et ad 4. Coll. ed. 2.)

c) A S. Sede facultates obtinent de quibus varia statuta sunt :

Facultates istas Ordinariis exhibere debent et ab ipsis eas exercendi petere veniam, quae denegari non potest nisi ob gravem causam cum S. Sede communicandam [4]. Quod si Ordinarius sine gravi incommodo et periculo adiri nequeat, satius est ut venia scripta mittatur, sicut de facultatibus ab ipso Ordinario concedendis suasit S. Congregatio [5].

Diem habent ab ingressu in territorium [6] ; et si missionarius ultra tempus statutum in missione ob causam rationabi-

---

1 Collect. P. F. n. 6, t. 1 (ed. 2).
2 Collect. P. F. n. 273, t. 1 (ed. 2).
3 Cfr. resp. S. C. P. F. 5 sept. 1701 (Coll. n. 252, ed. 2).
4 Resp. 23 nov. 1688, Coll. n. 234 (ed. 2).
5 Resp. 13 ian. 1776 ad 4, Coll. n. 512 ad 4.
6 Resp. S. C. P. F. 13 aug. 1670, Coll. n. 191 (ed. 2). Quod si missae fuerint, a die quo receptae sunt computantur. Resp. S. C. P. F. 2 apr. 1640 (Coll. n. 100).

lem manserit, usque ad discessum suum prorogatae censentur [1].

Per se facultates istae exerceri non possunt extra regna vel provincias vel loca ad quae Missionarii destinati fuerint [2].

Ex generali concessione 30 ian. 1638, in itinere, si in locis versantur ubi non sunt missionarii vel sacerdotes catholici, facultates suas per octo dies exercere permittuntur [3]. — E suo territorio ob iustam causam si afuerint, *suis christianis* sacramenta paenitentiae et eucharistiae administrare possunt. Pro ceteris sacramentis, licentia parochi localis necessaria est [4].

Exsilio pulsi, in locis ubi Ordinarius deficiat vel difficillime adeatur, facultates suas exercere possunt [5]. Ac videntur tunc uti posse prorogatione tacita qua supra diximus facultates perseverare donec legitime in missione manserint.

Facultates istae sunt fori interni [6], nec casus reservatos episcopales continent. Cfr. resp. S. C. P. F. 4 febr. 1664 (n. 56 ad 1. Coll. ed. 2).

Quod ad *Orientales*, missionarii latini possunt schismaticos, sine Episcopi assensu, in Ecclesiam recipere. Quod si Ordinarius Orientalis tales pascere renuat, missionarli latini sacerdotes orientales suppliere possunt, sed Delegatum apostolicum de re certiorem facere debent. Cfr. resp. S. C. Pr. Fid. 1 iun. 1885, n. 1633 (Coll. ed. 2). — Quos autem pascat proprius Ordinarius non possunt latini a ieiunio et praescriptis sui ritus caerimoniis dispensare [7]; nec a censuris vel reservatis Orientalium dispensare aut absolvere [8]. Nec moniales orientales sine speciali Ordinarii Orientalis facultate sacramentaliter absolvere possunt. (Resp. S. C. P. F. 11 dec. 1838 ad 9, n. 879, Coll. ed. 2.)

d) Tempus ipsum in missionariorum deputatione praefinitum ab ingressu in definitam Missionem initium habet. Quare Missionum Praefecti diem istum in eorundem Missionariorum litteris patentibus notare debent.

Sed, ne completo quidem hoc tempore, licet Missionariis a missione discedere, nisi ex S. Sedis facultate, advenientibus Missionariis quos S. Congregatio in eorum locum suffecerit.

---

1 Resp. S. C. P. F. 12 febr. 1704 (n. 262) et 1 aug. 1737 ad 5, n. 322 (ed. 2).
2 Cfr. resp. S. Cong. P. F. 5 aug. 1630 (Coll. n. 58, ed. 2).
3 Cfr. resp. S. C. P. F. 11 dec. 1637-30 ian. 1638 (Coll. n. 92, ed. 2).
4 Resp. S. C. P. F. 3 dec. 1835 ad 2 (Coll. n. 844, ed. 2).
5 Resp. S. C. P. F. 26 sept. 1821 (Coll. n. 767, ed. 2).
6 Resp. S. C. P. F. 14 ian. 1726 (Coll. n. 305, ed. 2).
7 Resp. S. C. P. F. 11 dec. 1838 ad 7 (Coll. P. F. ed. 2, n. 879); et 16 dec. 1874 (Coll. n. 1428, ad 2).
8 Resp. 11 dec. 1838 ad 10 et 11 (Coll. P. F. ed. 2, n. 879).

Cfr. decr. S. C. P. F. 8 sept. 1781. (Coll. P. F. ed. 2, n. 2254 [1].)

Excepta causa publici scandali, et tunc etiam certiorata S. Congregatione, nequit Ordinarius missionarium apostolicum sine S. Congregationis licentia e missione dimittere [2].

Religiosus qui, post expeditas litteras pro examine, iussu S. Congregationis ante deputationem suam faciendo, a suscipiendo munere recedat (nisi causa a S. Congregatione approbetur), re ipsa in privationem vocis activae et passivae ad beneplacitum S. Congregationis incurrit. (S. C. Pr. F. 12 sept. 1729, n. 312, ed. 2.)

Die autem 24 sept. 1820, SS. D. privatione eadem, S. Sedi reservata, per decem annos plectit religiosos qui, post acceptam missionem et pecuniam, onus admissum subire detrectant. Pecunia praeterea restituenda est. (Dec. P. F. 20-24 sept. 1820, Coll. ed. 2, n. 751.)

e) Iurisdictionem ordinariam missionarii non obtinent, sed delegatam tantum in locis ad quae ab Ordinario mittuntur [3], nec veri parochi sunt [4]. Nec, sine licentia episcopi vel parochorum, parochialia sacramenta administrare possunt. (Resp. 26 april. 1647, Coll. ed. 2, n. 116.)

Subsidia quae S. C. largitur stipendia non sunt sed eleemosynae pro sustentatione eorum [5].

f) Verum Superiorem obtinent Missionum Praefectum Resp. S. C. P. F. 7 iul. 1628, (coll. ed. 2, n. 41.)

g) Ex S. Congregationis dispositione, quotannis anniversarium pro defunctis missionariis celebratur [6] ; et per alumnos Collegii Urbani binae missae singulis hebdomadis pro ipsis offeruntur. (Resp. 19 aug. 1658, Coll. ed. 2, n. 133.)

3. *De Missionariis religiosis.* — a) Olim Superiores regulares consueverant ipsi S. Congregationi subditos designare, a S. Congregatione examinandos et mittendos. Nescio an mos iste penitus sublatus sit. Plerumque ab ipsis Superioribus mittuntur.

Etenim, « cum particularis aliqua missio Ordini seu Instituto religioso a S. C. de Prop. Fide commendatur, onus assumit idem Ordo vel Institutum sufficientem numerum suorum religiosorum ad missionem designatam mittendi, tum ad curam animarum in christianitatibus iam exsistentibus exercendam, tum ad fidem inter infideles praedicandam [7]. »

---

1 Idem inculcatur 2 mart. 1665 (n. 161, Coll. ed. 2) ; 12 feb. 1704 (n. 262) ; 16 mart. 1668 (n. 167) ; 28 feb. 1716 (n. 289) ; 28 sept. 1812 (n. 699).

2 Resp. S. C. P. F. 16 mart. 1668, n. 167.

3 Resp. S. C. P. F. 23 aug. 1852, ad 5, Coll. n. 1080.

4 Resp. S. C. P. F. 28 apr. 1698, Coll. n. 242.

5 S. C. P. F. 5 apr. 1659, n. 136.

6 Resp. S. C. P. F. 22 ian. 1629, n. 49.

7 Instr. S. C. P. F. 1 sept. 1881, n. 1558.

b) Sive autem a S. Congregatione sive ab ipso Instituto mittantur, missionarii regulares licentiam, — non denegandam, — exercendi facultates suas, quas ex privilegiis Ordinis habere solent, ab Ordinario loci petere debent. Cfr. C. *Speculatores*, 13 sept. 1669 (Coll. n. 186, ed. 2) et resp. S. C. P. F. 23 sept. 1783 (Coll. n. 565, ed. 2.)

Id potissimum usu venit cum missionarii latini inter Orientales mittuntur. Plerumque enim latinus Antistes ad idem Institutum ad quod missionarii pertinent ascriptus est, ita ut facultates ipsi notae sint et licentia eas exercendi iam tacite concessa videatur.

c) In functionibus parochialibus, in rebus quae ad curam animarum saecularium spectant, et in casibus nominatim in iure expressis, Ordinariis locorum subsunt. Cfr. C. *Speculatores*, CLEM. IX, 13 sept. 1669 (Coll. ed. 2, n. 186); resp. 9 maii 1773 (Coll. ed. 2, n. 495); Instr. 1 sept. 1881, n. 9 (Coll. ed. 2, n. 1558) et resp. 6 febr. 1882 (Coll. ed. 2, n. 1563.)

d) Ab ipso Ordinario, ob iustam causam, cura animarum non minus quam a proprio Superiore removeri possunt. Reditus autem in Europam — saltem si domus religiosa in missione exstat, — a solo Superiore religioso vel a S. Sede imperari aut permitti posse videtur. Superior autem, in revocando subdito, attendere debet ne Ordinarium congruenti missionariorum numero privet.

4. *De reliquis Missionariis.* — Sacerdotes saeculares, sive europaei quos proprius Ordinarius abire siverit, sive indigenae, omnem iurisdictionem et potestatem ab Ordinario missionis accipiunt.

Plene autem eidem Ordinario subsunt.

De tempore per quod europaei in missione manere debeant, de facultate ipsos dimittendi vel revocandi, pacta conventa inter utrumque Ordinarium et ipsum sacerdotem consulenda sunt.

Nihil repugnare videtur quin Ordinarii missionum clericum saecularem sibi perpetuo devinciant per scriptam incardinationem [1], observando quae decreto S. C. Concilii, 16 sept. 1906 [2] statuta sunt.

5. *Quaedam omnibus missionariis communia.*

a) Decet ut missionarii celebranti Vicario Apostolico quasi capellani assint. Resp. 13 ian. 1776 (n. 512 ad 2 Coll. ed. 2).

b) Quotquot curam animarum exercent ad synodos invitati accedere [3] et collationibus cleri interesse debent. C. *Romanos*

---

[1] Die 9 ian. 1912, S. Rota censuit de legitima incardinatione eiusdam sacerdotis, propter defectum scripti instrumenti, non constare, cfr. PERIODICA, t. 6, n. **591**B, p. 233.

[2] Cfr. PERIODICA, t. 3, n. **164**, p. 198.

[3] Resp. S. C. P. F. 9 maii 1773 (n. 495, ed. 2 Coll.).

Pontifices, 8 maii 1881. (Coll. ed. 2, n. 1552, p. 148.)

c) Ex iustitia celebrare pro populo nullus debet. Decet ut qui curam animarum exercent diebus festivis ex caritate pro populo sacrificium offerant. Decr. 18 aug. 1866 (n. 1296).

d) Interrogata de obligatione manendi in missione dum saevit persecutio, S. Congregatio respondit praesentiam pastoris, tempore persecutionis, magis necessariam esse [1].

Difficultas autem maxima tunc visitandi infirmos (quod non tantum missionariis sed ipsis infirmis et aliis christianis periculosum videbatur) hoc consilium S. C. S. Officii suggessit, ut Missionarii christianos monerent magis vitandi peccata, et in mortis periculo mutuam assistentiam sibi praestandi.

Quaeres num Missionarius qui, in locis infidelium, extra proprium territorium legitime versetur, suos fideles habituales vel etiam alios sacramentaliter absolvere possit, si loci Ordinarius vel nullus sit vel ita distet ut intra duos vel tres dies tantum adiri queat?

Resp. Gregorius quidem XIII C. *Decet Romanum*, 3 maii 1575, Societati Iesu privilegium concessit quo confessarii et praedicatores, ab aliquo Ordinario approbati, in itinere terrestri vel maritimo, quorumlibet fidelium confessiones excipere possent. Verum, quamvis de clara huius privilegii revocatione nobis non constet [3], pro praesenti Ecclesiae disciplina, tutus eius usus futurus esse non videtur.

Proinde, deficiente lege excipiente, necessitas approbationis Ordinarii loci per se subsistere dicenda est.

Attamen, 11 dec. 1637, probante SS°, S. Congregatio omnibus missionariis auctoritatem concessit ut in itinere facultates ipsis commissas, in locis per quae transeant, per octo dies exercere possent, si ibi nec missionarii nec sacerdotes catholici essent [4]. Simile quidpiam S. C. de Prop. Fide, verbis satis obscuris, concessisse videtur 22 mart. 1669 ad 2 [5]. Praeterea, die 26 sept. 1821, de missionariis Sinensibus qui exsilio pulsi erant interrogata respondit, missionarios istos potuisse a Vicario apostolico facultates accipere in loco exsilii exercendas, dummodo licentia Ordinarii loci accesserit, *vel nullus fuerit aut difficillime adiri queat.* (Coll. P. F. n. 767, ed. 2.)

Demum, 3 dec. 1835, pro Sinis respondit simplici Missio-

---

1 Resp. S. C. P. F. 12 april. 1646 (Coll. n. 115, ed. 2).

2 Resp. 3 ap. 1889 (Coll. n. 1700, ed. 2).

3 Ne quidem C. *Apostolica indulta,* 5 maii 1744, Benedicti XIV, quippe quae de indultis agat confessarium eligendi, non de privilegiis quae, sub certis condicionibus, confessarium lege communi eximunt.

4 Coll. P. F. n. 92, ed. 2.

5 Coll. P. F. n. 179, ed. 2.

nario qui e sua missione ob iustam causam absit in alieno Vicariatu licere ut « suis christianis sacramenta confessionis et communionis administret sine facultate Vicarii Apostolici huius loci, praesertim si pluribus itineris diebus distet. » (Verba ista fere referunt quae in interrogatione ponebantur. Congregatio respondit affirmative) [1].

Quae cum ita sint, si consideres plenam in locis missionum iurisdictionem a S. Congregatione Propagandae Fidei possideri, dices variis istis responsis mentem prodi S. Sedis supplendi, in locis infidelium, defectum approbationis Ordinarii loci qui difficillime adiri possit, si Missionarius, ab aliquo Ordinario approbatus, extra proprium territorium legitime versetur. Quod magis veri simile nobis videtur. Optamus tamen ut de re ista clara definitio a S. Sede fiat.

6. *De titulo honorifico Missionarii Apostolici.* — S. Sedes titulum istum nulli Instituto vel coetui sed singulis personis concedit [2]. Nec S. Congregatio titulum istum personis quae sacrae praedicationi deditae non sint, concedere consuevit. Cfr. resp. 1 iun. 1899 (n. 2050 Coll. ed. 2).

7. *De congruo servitii spatio.* — Die 30 iun. 1643 S. Congregatio censuit missionnariis regularibus, id petentibus, Superiores permittere posse ut, in Europa, post quinquennale servitium, extra Europam post decennale, a missionibus recedant et in conventus suos recta via se recipiant [3].

QUAESITA VARIA

I. De Ecclesiae exsecratione et titulari festo

In quodam Belgii pago, ecclesia franciscana quae, ut ex historicis monumentis comprobatur, titulo S. Barbarae, anno 1710 consecrata est, dum, exeunte saec. XIII, omnia in Galliarum dicione susdeque vertebantur, una cum ipso monasterio vendita et a villico quodam empta est.

Is ecclesiam ad usus prorsus profanos reduxit, ita ut, in ipsis parietibus magno aperto ostio, illam horreum fecerit quo omne frugum genus, immo ipsos currus et vomeres congregaret ; et, excisa inferioris fornicis parte, in subterraneo sepulcreto cuniculos alere coeperit. Nulla ex crucibus quae parieti, in signum factae consecrationis, imponi consueverunt permansit ; altaria omnia diruta sunt.

---

[1] Coll. ed. 2, n. 844.
[2] Resp. S. C. P. F. 20 aug. 1867 (n. 1313, Coll. ed. 2).
[3] Coll. ed. 2, n. 108.

Anno autem 1840, cum in manus canonicorum Praemonstratensium venisset, sollemni sacro celebrato, usibus sacris et sub titulo ac patrono S. Nicolao, restituta est.

Verum, anno 1847, Fratres Minores praedictam suam ecclesiam recuperarunt, et, auctoritate episcopi Leodiensis freti, ei titulum B. V. Immaculatae tribuerunt.

Is porro tenor est diplomatis episcopalis : « Cornelius, miseratione divina et S. Sedis Ap. gratia episcopus Leodiensis, SS. D. N. praelatus domesticus et solio pontificio assistens — Adm. Ven. Patri N. N. Guardiano.... salutem in Dno. Cum nuper Nobis exposueris quod ignoretur patronus ecclesiae vestrae, et humiliter supplicaveris quatenus in Patronam assignare vellemus B. V. M. immaculate conceptam : hinc nos tuis precibus benigne annuentes, auctoritate nostra ordinaria seu alias quomodolibet nobis attributa et competente, B. V. M. immaculate conceptam, in Patronam ecclesiae conventus vestri.... declaravimus et assignavimus, prout per praesentes declaramus et assignamus. — Datum Leodii, 2 dec. 1847. Neven, Vic. Gen. — De mandato, L. Vanderryst, Secr. »

Ab anno 1848-1853 in authenticis conventus actis et Ordinis calendariis ecclesia ista sub titulo B. V. M. Immaculatae exhibetur ; sed ab anno 1854, titulo S. Barbarae, inde deinceps designatur : cur ita denuo factum sit prorsus ignoratur.

Hinc **quaeritur** de dictae ecclesiae *consecratione* et *titulo*.

Resp. 1. Binae de consecratione et titulo quaestiones arte inter se coniunguntur. Namque titularis ecclesiae in primi lapidis benedictione eligitur quidem [1], sed in ecclesiae consecratione vel benedictione authentice constituitur [2].

Itaque si prima consecratio perierit, ipse titulus exstinctus est novusque legitime ab episcopo dari potuit. Prima enim tituli assignatio ad episcopum spectat, qui tamen sine indulto apostolico titulum mutare non potest. Haec ex ipsis S. Rituum Congregationis responsis manifesta sunt [3].

Age porro, duae tantum exsecrationis causae exstant : physica et simultanea totius ecclesiae vel maioris eius partis destructio ; redactio ad usus profanos quae a legitima auctoritate facta sit. Auctoritas ista est S. Pontificis vel, in casibus iure permissis, ipsius episcopi. Sic, ex sess. XXI De ref. c. 7, Conc. Tridentini, « episcopus ecclesias vetustate collabentes

---

[1] Cfr. *Pontificale Romanum*, De benedictione primarii lapidis.

[2] Ibidem, de dedicatione ecclesiae ; vel *Rituale Romanum*, De benedictione ecclesiae.

[3] Cfr. v. gr. resp. S. R. C. (Tarvisina) 6 sept. 1834 (n. 2719), et 12 sept. 1857 (Molinensis) ad XIV (n. 3059). Coniunctionem istam inter perseverantiam tituli et perseverantiam dedicationis inculcat etiam annotator responsi 6 sept. 1834, in Tarvisina cfr. S. R. C. Collect. t. 4, t. 340-342 ad Dub. 2.

et quae propter egestatem incolarum refici nequeant, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertere potest. »

2. In hanc igitur primam conclusionem devenimus, profanatione illa cuius perturbatio gallica auctor, villicus autem exsecutor fuit, sacram aedium destinationem nullo pacto sublatam fuisse, ita ut consecrationem et titulum suum ecclesia S. Barbarae plene servaverit. Cfr. MANY, *De locis sacris*, p. 66.

Nec quae « decrustatio » vel abrasio dicitur, qua ipsae cruces deleantur, nec fractum altare fixum consecrationem tollunt. Prius ex decl. S. Rituum Congr. contra plures olim scriptores [1], 19 maii 1896 ad 2, prorsus constat ; alterum ex rei natura manifestum est, cum unius saltem altaris consecratio in consecrata ecclesia praecipiatur quidem, non tamen ad ipsam ecclesiae dedicationem necessaria sit.

3. Altera succedit conclusio aeque certa : canonicos Praemonstratenses nullo iure vel efficacia potuisse suo decreto S. Nicolaum in S. Barbarae locum tamquam ecclesiae titularem sufficere.

Ad consecrantem episcopum ipsa formalis impositio tituli pertinet, quamvis electio tituli fundatori, accedente episcopi consensu, permittatur. Semel tamen impositus titulus ex sola Sanctae Sedis auctoritate mutari potest. Ita S. Rituum Congr. constanter respondit [1]. Ac facili ratione, cum de consecratae ecclesiae titulo agitur, demonstratur.

Consecratio enim perpetuam dicit et per se irrevocabilem rei vel loci dicationem, cuius assignatio tituli pars est. Sicut itaque sola S. Sedes per se vim consecrationis auferre, ita sola patroni mutationem, quae quasi partialis suppressio prioris consecrationis dicenda est, efficere vel permittere potest. De oratorio mere benedicto similem rationem afferri non posse fatemur.

Ex pactione inita cum primo Galliarum consule, PIUS VII, Bulla *Qui Christi Domini*, 29 nov. 1801, omnes ecclesiarum cathedralium titulos in Gallica dicione abolevit, statumque ecclesiarum penitus mutavit. Accessit deinde, corollarii instar, decretum Cardinalis Legati CAPRARA, *Cum Sanctissimus*, 9 april. 1802, in quo de ecclesiis non cathedralibus, ita statuitur : « Nos, de praefata apostolica auctoritate Nobiscum, ut supra, communicata, omnes et singulas parochiales ecclesias quae in territoriis dioecesium novae circumscriptionis continentur et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum

[1] V. gr. SCHMALZGRUEBER, in l. 3, t. 40, De consecratione ecclesiae, n. 23.

suis titulis, animarum cura et iurisdictione quacumque, *nunc pro tunc* [1], suppressas perpetuo fore declaramus. » Dein Antistitibus exsecutionem committit, optans ut quam citissime novas parochias erigant et exemplar authentici decreti erectionis omnium ecclesiarum parochialium, addito singularum titulo, etc. ipsi reddant [2].

Sicut ex allatis monumentis constat, decreta ista ecclesiam regularem, sine cura animarum, intactam reliquerunt. Et cum in ipso suo rescripto episcopus Leodiensis ordinariam suam auctoritatem in primis appellet, nec de extraordinaria facultate sibi forte commissa verba habeat, id addere debemus, praefatum episcopum nulla delegata potestate ad mutandum ecclesiae S. Barbarae titulum usum fuisse.

Quaestio tamen nostra nondum plene soluta est. In ipsa enim causae expositione episcopus allegat titulum dictae ecclesiae *ignorari*.

Iam vero ecclesiam cuius titulus ignoretur novo titulo donare episcopus posse videtur. In simili enim re, ubi dies dedicationis ignoretur, diem cui commemoranda sit episcopus definit [3]; episcopus ecclesiam, addito titulo, consecrat cuius consecratio ignoretur vel dubia sit [4]. Ergo, argumento analogiae utentes, dicemus iuri ecclesiae habendi certum patronum seu titularem per episcopi provisionem satisfieri posse.

Quae cum ita sint, episcopus Leodiensis rescripto suo Immaculatam B. M. V. Conceptionem tamquam titulum ecclesiae cuius tunc titulus ignorabatur, iure ac merito assignavit. Oritur tunc elegans ista quaestio, utrum, reperto titulo priore, is an alter suppletus praeferendus sit.

Atque in causa praesente pro priore, antiquiore titulo, respondendum esse omnino censemus. Allegata enim ignorantia, non vera caligine sed animi perturbatione et praepropera festinatione explicanda videtur. Satis autem perspicitur, propter subiectivam et precariam dubitationem titulum pristinum perire non posse.

Verum etiam si res obiective dubia fuerit, titulus prior de quo postea constiterit restituendus videtur. Nulla enim est lex canonica quae episcopo absolutam, in dubio, tituli designationem tribuerit, vel prioris tituli exstinctionem per praescriptionem inducat. Titulus itaque suppleri non potest, nisi quatenus deficere videatur.

---

[1] Id est : Cardinalis rem ita nunc decernit ut a momento exsecutionis per episcopos facienda efficaciam habeat.

[2] Monumenta ista omnia, ab ipso Concordato, reperiuntur in *Collectio epistolarum pastoralium.... dioecesis Mechliniensis*, t. 1, p. 1 sq. Locus exscriptus p. 43 habetur.

[3] Decretum S. R. C. *Cum Sanctissimus*, 28 oct. 1913. Cfr. PERIODICA, t. 7, n. 707, p. 199.

[4] Cfr. SCHMALZGRUEBER, in l. 3, t. 40, n. 22.

Quare, si quispiam esse demonstretur vicarius titulus, priori vero locum cedere debet. Quod confirmamus responso S. Rit. Congr. 12 sept. 1857 (3059), ad XIV.

Cum ecclesia quaedam Molinensis quae, ex monumentis, videtur festum Annuntiationis ab initio pro Titulari habuisse, dein, festi Annuntiationis celebritate in oblivionem abeunte, festum Assumptionis pro Titulari celebrare coepit, donec episcopus, nulla peculiari delegatione fretus, festum Nativitatis B. M. V. pro titulari recolendum esse edixisset, in his, inquam, adiunctis, S. Congregatio declaravit *Annuntiationem* pro titulari habendam esse, « dummodo constet Annuntiationem B. M. V. fuisse titulum primaevum. »

Quocirca, his omnibus perpensis, S. Barbarae honor quem ab initio in dicta pagi Leodiensis ecclesia habuit omnino servandus est. Ipsa pro titulari et patrona ibi celebrari debet.

II. De Novis Rubricis

A. De calendario adhibendo in Missionibus.

Cum in missionibus Vicariatus et Praefecturae apostolicae plerumque concreditae sint Ordini vel Provinciae religiosae, plerumque huc usque calendarium Ordinis vel Congregationis in Vicariatu vel Praefectura apostolica ex indulto adhibebatur. Post decretum 28 oct. 1913, ut scite annotat R. P. D. Trilhe [1], hoc fieri iam non poterit, cum « privilegium quibus non nullae dioeceses vel Instituta gaudent, sese conformandi calendario... alicuius Ordinis seu Congregationis, et alia huiusmodi, penitus aboleatur » ; et Vicariatus vel Praefecturae apostolicae calendarium proprium habere debebunt. Idem confirmatur ex responso S. R. C. ad Vicarios et Praefectos apostolicos Congi belgici [2], in quo sermo est de calendario reformato huius regionis, S. R. C. exhibendo pro praescripta revisione et approbatione.

Porro in calendario Vicariatus vel Praefecturae, quod quam citissime [3] S. R. C. est exhibendum, praeter calendarium universalis ecclesiae, illa tantum festa inscribantur quae cum Vicariatu aut Praefectura specialem conexionem habeant, ut Patroni Vicariatus aut alia quae ex speciali indulto in Vicariatu aut regione celebrantur. Quod si nulla talia sunt, in Vicariatu aut Praefectura adhibendum erit calendarium universalis ecclesiae, quo casu non videtur obligatio mittendi supplicem libellum.

---

[1] Nouvelle Revue théologique t. 46, 1914, p. 172.

[2] Cfr. Periodica, t. 8, n. **4**, p. 12.

[3] Ex decreto 28 oct. 1913 supplex libellus ad S. R. C. transmittendum erat intra mensem martium 1914.

Missionarii regulares, ut patet, in officio sequentur calendarium proprium Ordinis, cui etiam standum erit in ecclesiis seu oratoriis ipsis concreditis. Addent tamen festa Patronorum et reliqua quae ex decr. 28 febr. 1914 [1] regularibus sunt celebranda. Calendarium proinde Vicariatus adhibendum erit tantum a clero saeculari ibi forsan manente.

In missionibus vero in quibus hierarchia fuerit constituta, et verae dioeceses erectae, in calendario dioeceseos inscribendus erit Titularis ecclesiae cathedralis, et, si fuerit consecrata, eius dedicatio ; ibi praeterea calendarium dioecesanum sequi debet episcopus, etiam si fuerit regularis, et in ecclesia cathedrali pariter standum erit calendario dioecesano.

B. **De Titulari Ecclesiae cathedralis, et Patrono loci vel dioeceseos, celebrando cum octava apud Regulares.**

Ex novis Rubricis (Tit. IX, n. 2) « Anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis et festum Titularis eiusdem... a regularibus utriusque sexus in eadem dioecesi commorantibus ac proprium calendarium habentibus celebranda sunt sub ritu duplici 1 classis, absque tamen octava, nisi haec ex alio titulo sit celebranda. » Et idem decernitur num. sequenti de Patronis principalibus oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis.

In iisdem Rubricis triplex distinguitur species Octavarum : « Festa quae cum octava celebrantur alia gaudent octava privilegiata, de qua semper fit officium aut saltem commemoratio ; alia octava communi, de qua etiam commemoratio quandoque omitti potest iuxta Rubricas ; alia, octava simplici de qua fit tantum in die octava. » Porro octavae privilegiatae sunt omnes et solae octavae Domini quae in universa Ecclesia celebrantur ; octavae communes sunt octavae festorum duplicium 1 cl. quae non sunt privilegiatae ; octavae vero simplices sunt octavae festorum duplicium 2 cl.

Exinde difficultas oritur quando Titularis ecclesiae cathedralis, vel Patronus loci aut dioecesis est aliquod festum quod in universali ecclesia celebratur sub ritu duplici 2 classis cum octava simplici. Estne tunc pro Regularibus illius loci vel dioecesis haec octava simplex, sicut in universali Ecclesia, vel communis ut pro clero saeculari huius loci ?

Resp. Si Titularis ecclesiae cathedralis vel Patronus loci est sanctus Ordinis, nulla iam, post decr. 22 mai 1914, III [2], potest esse difficultas, cum in casu Festum Titularis ecclesiae cathedralis vel Patronus loci a regularibus cele-

[1] Cfr. PERIODICA, n. **743**, t. 7, p. 264.
[2] Cfr. PERIODICA, n. **21**, t. 8, p. 49 ad III.

brandum sit cum octava sicut fit a clero saeculari, ergo cum octava communi et non simplici.

Sed eodem modo casus solvendus est, etiam si Titularis ecclesiae cathedralis vel Patronus loci non est sanctus Ordinis. Etenim, etsi illa octava a Regularibus non celebratur *qua* est Patroni loci, reapse tamen *est* octava Patroni loci et duplicis 1 classis. Iam vero, uti diximus, ex novis Rubricis omnis octava festi duplicis 1 classis, saltem est communis. Et hic modus interpretandi deduci potest ex decr. 4212 Ordinis Fratrum minorum Provinciae Superioris Germaniae 24 ian. 1908 [1], in quo praescribitur recitatio symboli infra totam octavam Patroni loci apûd regulares qui alia ex causa ad hanc octavam tenebantur, sed absque symbolo.

C. De anniversario Dedicationis ecclesiae propriae.

Post decretum 28 oct. 1913 [2], suppreso iam Festo cumulativo dedicationis omnium ecclesiarum, praeter dedicationem ecclesiae cathedralis, quae in tota dioecesi est celebranda, insuper in singulis ecclesiis consecratis recolenda est dedicatio ecclesiae propriae. De determinanda die in qua hoc festum erit celebrandum non nullae possunt moveri difficultates.

1. Potestne pro celebratione dedicationis ecclesiae assignari dies diversa ab ea in qua ecclesia reapse consecrata fuit ?

R. Inconsulta S. Sede, talis mutatio fieri non potest, nisi iusta de causa, ab ipso episcopo consecrante in ipso actu consecrationis (Decr. 2719 ad 1, in *Tarvisina*, 6 sept. 1834 ; et 3881, V, *Decretum generale* 4 febr. 1896). Unde non potest nunc pro celebratione dedicationis dies eligi diversa ab illa in qua reapse facta est consecratio, nisi constet in ipsa consecratione ab episcopo consecratore aliam diem fuisse assignatam.

2. Quidnam faciendum, si dies consecrationis ignoratur ?

R. Putamus in casu ius competere episcopo designandi diem aliquam fixam semel pro semper eligendam. Hoc enim ipsi conceditur variis S. R. C. decretis, et in hoc ipso decr. 28 oct. 1913 explicite affirmatur pro casu quo dies dedicationis ecclesiae cathedralis foret ignota. Nec proin urgendum videtur decretum 1358 ad 5, Maioricen 13 aug. 1667, quod recursum praescribit ad S. R. C. Idem tenent Guyetus, Merati et Cavalieri.

Verum, si agitur de ecclesia regulari, ad quemnam tunc pertinebit diem eligere, ad episcopum vel ad praelatum regularem ?

---

[1] Cfr. Periodica, n. **252**, t. 4, p. 187.
[2] Cfr. Periodica, n. **707**, t. 7, p. 199.

Cavalieri [1] contendit in casu hanc determinationem pertinere ad Superiorem regularem, et suam assertionem contra Merati [2] probat ex decreto *Alexandrina*, 18 aug. 1629 ad 2 (n. 511) quod ipse legit : « potest *Ordinarius* assignare diem », sub quo nomine Ordinarii, ut recte contendit, intellegitur non tantum episcopus, sed et praelatus regularis. Merati vero legit Ordinarium *loci*, qualis superior regularis non est. In decreto autem, quale nunc legitur, habetur : « Potuisse *episcopum* constituere.... » Unde cadit totum argumentum Cavalieri, et potius responderim : sicut regulariter solus episcopus potest in actu consecrationis mutare diem in qua celebrandum est festum dedicationis etiam ecclesiae regularis, sic in hoc casu exceptionali diem assignare pro festo dedicationis pertinere videtur ad episcopum dioecesanum a quo ecclesia regularium per se est consecranda.

Nolumus tamen opinioni contrariae solidam denegare probabilitatem.

Non agitur in casu de designatione diei in qua celebranda est dedicatio omnium ecclesiarum alicuius Ordinis vel Congregationis, quae, ut diximus [3], eligenda est a Superiore regulari.

3. Quanam die celebranda est dedicatio ecclesiae regularis quae inservit pro parochiali in dioecesi in qua ab Ordinario designata est dies una pro dedicatione omnium ecclesiarum parochialium ?

R. Solutio pendet ab hac alia quaestione : Quodnam calendarium in praedicta ecclesia est adhibendum ? Si paroecia incorporata sit monasterio vel domui religiosae, vel ab episcopo in indefinitum tempus concredita ipsi Ordini et non tantum personae alicui privatae huius Ordinis, ita ut in ea adhibendum sit calendarium Ordinis vel Congregationis : eius dedicatio celebranda est vel in die assignata pro dedicatione omnium ecclesiarum Ordinis vel Congregationis, si talis in calendario perpetuo Ordinis aut Congregationis inscribitur, vel secus, in ipsa die anniversaria ; si autem in hac ecclesia adhibendum est calendarium dioecesanum, tunc et pro dedicatione ecclesiae huic est standum, ac proin celebranda erit in die ab episcopo designata pro dedicatione omnium ecclesiarum parochialium dioeceseos.

4. Quanam die celebranda est dedicatio ecclesiae quae consecrata fuit in festo feriato quod sollemniter a populo celebrari consuevit ?

R. In novis rubricis (Tit. 2 n. 1) legitur : « Festa duplicia

---

[1] Lib. I, Cap. 1, decr. 5, n. 5.
[2] *In Rubricas Breviarii* Sect. 8, Cap. 5, n. 5.
[3] Periodica, n. **742**, t. 7, p. 262.

1 classis primaria universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet festo particulari,... et Festa dedicationis et Tituli ecclesiae propriae et Patroni principalis loci necnon Tituli et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis cedunt tantummodo praedictis festis 1 classis universalis Ecclesiae ».

Unde : a) Si dedicatio facta fuerit in uno ex praedictis festis duplicibus 1 classis primariis universalis Ecclesiae, fixe erit reponenda, tamquam in sede propria, in prima die libera ab alio festo duplici 1 aut 2 classis, a vigilia privilegiata et ab officiis quae duplicia 1 classis excludant.

b) Occurrente Festo Patroni loci, dioeceseos, vel nationis, item reponenda est dedicatio propter feriationem his festis annexam. Etenim, ex eodem Tit. 2, n. 2 novarum Rubricarum, secundus character, statim post ritum attendendus, ut dignoscatur nobilitas officii, est sollemnitas orta ex eo quod festum celebretur cum feriatione, etiam in foro reducta vel sublata; et in catalogo Festorum feriatorum qui novas rubricas consequitur, habetur festum Patronorum principalium oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis, non vero dedicationis ecclesiae.

c) Si occurrat festum Fundatoris Ordinis seu Congregationis, aut eiusdem Titularis, *per se* praevalet dedicatio propter dignitatem personalem ; festum enim dedicationis est semper Festum Domini.

d) Item praevalet dedicatio in occursu cum quolibet alio festo, etiam feriato, etiam si ex indulto apostolico illud festum adhuc celebretur cum actuali feriatione.

Contendit quidem Guyetus [1], si dedicatio ecclesiae facta sit in uno ex festis Purificationis, Annuntiationis (quae tunc tantum erat 2 cl.) vel Nativitatis B. M. V. convenientius assignari festum dedicationis alii diei ; idemque extendit Cavalieri [2] ad omnia festa feriata, immo ad festa sanctorum quibus peculiari devotione afficitur multitudo fidelium, vel Ecclesiae universalis vel illius loci in quo fit dedicatio.

Verum agitur ibi de assignatione facienda in ipso actu consecrationis, et certe post consecrationem talis mutatio absque indulto S. R. C. iam fieri nequit.

5. Ex decreto 28 oct. 1913, sollemnitas externa festorum quae huc usque alicui dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa die dominica celebrari poterunt; sed fieri potest ut novum festum dedicationis longe distet a dominica in qua hucusque hoc festum fuit celebratum : in quanam dominica, in casu, praedicta sollemnitas erit celebranda, in dominica quae immediate sequitur hodiernam festivitatem, an potius in dominica in qua huc usque festum fuit celebratum ?

---

[1] *Heortologia*, Lib. II, cap. 1, quaest. 3.
[2] Lib. I, cap. I, decr. 1, n. 21.

R. Nullibi praescribitur in decr. hanc sollemnitatem celebrari debere in dominica quae hodiernam festivitatem sequitur ; sane, plerumque hoc obtinebit, quia fere semper festum in posterum celebrabitur infra hebdomadam quae praecedit dominicam cui erat affixa ; sed haec regula non ita est generalis, ut nullam patiatur exceptionem. Sic festum Sacratissimi Rosarii fere semper iam celebrabitur post dominicam 1 octobris, in qua tamen manet eius sollemnitas. Nec repugnat sollemnitatem festi longe distare a die in qua eiusdem festi factum est officium, ut patet ex calendario S. I. approbato die 25 nov. 1913, in quo s. Ioannis Berchmans festum affixum est diei 13 aug., sollemnitas autem diei 27 nov. Nunc autem, videntur illae sollemnitates ideo permissae ut populus possit in sua priore devotione perseverare, quod certe exigit ut sollemnitas fiat in dominica cui hucusque festum erat affixum ; idem ceteroquin non obscure deduci potest ex ipso decreto in quo dicitur sollemnitatem celebrari *in ipsa dominica*.

D. **De officio commemorando in duplici I classis.**

1. Ubi sacratissimum Cor Iesu est Titulare ecclesiae, debetne fieri in missis privatis et in Laudibus commemoratio officii duplicis maioris, vel minoris aut semiduplicis forsan occurrentis ?

R. In decreto 28 oct. 1913, suppresso iure repositionis et translationis festorum quae non sint duplicia 1 vel 2 classis, etiam si perpetuo impediantur, in compensationem cautum est ut etiam in duplicibus 1 classis non omni commemoratione illa festa privarentur, nisi tamen festum impediens sit duplex 1 classis Domini universalis ecclesiae. Cum autem in hoc decreto pro festo impediente non exigeretur qualitas primarii, conclusimus [1] hanc commemorationem officii impediti etiam omittendam esse in festo secundario, v. g. in festo sacratissimi Cordis Iesu. Verum, in novis Rubricis (Tit. 7, n. 1) nova regula sic effertur : « In duplicibus 1 classis in occurrentia fit commemoratio... extra festa *primaria* Domini 1 classis ecclesiae universalis, de quolibet duplici, sive maiori sive minori aut semiduplici, de quibus tamen fit tantum in Laudibus ». Ergo per se in festo sacratissimi Cordis, quod tantum secundarium est, festi impediti commemoratio fieri debet in Laudibus et missis privatis. Sed dubium nunc movetur de casu quo sacratissimum Cor esset Titulare ecclesiae ; tunc enim eius festum, utpote festum Titularis, esset per accidens primarium, ac proin omnia videntur verificata quae exiguntur ut commemoratio festi impediti prorsus omittatur : est enim festum primarium, et festum Domini universalis ecclesiae. Nihilo minus putamus

[1] PERIODICA, n. 707, t. 7, p. 211.

commemorationem festi impediti non esse omittendam ; exceptio enim rubricae restringi debet ad sola festa Domini quae sunt simul duplicia 1 classis et primaria in universali Ecclesia. Et re quidem vera, exceptio non faveret huic festo, qua est festum sacratissimi Cordis, neque qua est festum Titularis, ergo nullus ei invenitur titulus exceptionis.

2. Ecclesia Ordinis regularis dedicata est s. Barbarae, cuius festum occurrit 4 decembris ; iam vero in calendario perpetuo huius Ordinis die 4 decembris inscribitur festum duplex Ordinis cum commemoratione s. Petri Chrysologi, duplicis universalis Ecclesiae simplificati : debetne in Laudibus et missis privatis fieri commemoratio de utroque duplici simplificato, an tantum de illo qui per ipsum officium Titularis fuit simplificatum ?

R. Commemoratio fieri debet de utroque, nam neque decretum neque Rubrica distinguit, sed praecipit commemorationem faciendam de quolibet duplici occurrenti.

3. Titulus ecclesiae est s. Anselmus, cuius festum occurrit die 21 aprilis, ac proin eius octava 28 aprilis ; hac die in calendario Ordinis inscribitur festum duplex cum commemoratione s. Pauli a Cruce, duplicis universalis ecclesiae simplificati, ac s. Martyris Vitalis. Iam vero anno proximo (1915) die 21 aprilis occurret sollemnitas s. Ioseph, die 28 fiet igitur de Octava s. Ioseph, cum commemoratione Octavae s. Titularis, festi proprii Ordinis, s. Pauli a Cruce ac s. Vitalis : potestne Missa privata, permissa per decretum 28 oct. 1913, celebrari, vel de Octava Titularis, vel de duplici proprio Ordinis, vel de s. Paulo a Cruce ?

R. Affirmative. Nullum potest esse dubium quod ad festum proprium Ordinis, et quod ad festum s. Pauli a Cruce ; de ipsis enim verificatur omnino quod in decreto exigitur. Difficultas moveri posset de octava Titularis, eo quod in decreto tantum sermo est de festis duplicibus maioribus seu minoribus vel semiduplicibus ; sed cum dies octava communis his festis praevaleat, illi idem ius omnino est agnoscendum. Ios. Pauwels, S. I.

III. De legibus ieiunii et abstinentiae pro religiosis Americae latinae

Postremis hisce annis, non uno decreto S. Sedes benignum regimen ieiunii et abstinentiae Americae latinae et insulis Philippinis praefinivit.

De religiosis autem haec statuuntur : « Diebus ieiunii semper licebit omnibus, etiam regularibus, quamvis specialem dispensationem non petierint, in collatione serotina, uti ovis ac lacticiniis. In refectiuncula autem matutina, permit-

tuntur lacticinia, salva lege parvitatis et exclusis ovis. » (Sic n. II Indulti, Acta Ap. Sedis, 33 mart. 1910, 2, 216.)

« 5° Religiosi utriusque sexus, speciali voto non obstricti, quamvis sint ex Ordinis Minorum Familiis, de consensu suorum Superiorum, uti possunt praesenti Indulto, etiam quod ad abstinentias et ieiunia in propria regula sive statutis praescripta. Hortandi tamen sunt Superiores regulares, praesertim Provinciales et quasi Provinciales, ut pro viribus abstinere curent ab usu huius modi indulti intra claustra ; subditi vero stent iudicio suorum Superiorum. » (Sic, ibidem III, 5° Acta Ap. Sed. ibid. 1910, 2, 217.)

Praeterea, cum R^mus D. Fiat, Superior generalis Congr. Missionis et Filiarum a caritate, S. Congr^em de Religiosis interrogasset utrum necne in indultis generalibus de ieiunio et abstinentia, praesertim in America latina, religiosae Familiae comprehenderentur, haec S. Congregatio, 1 sept. 1912, respondit, religiosos *per se*. ex indultis huius modi solvi obligatione legis Ecclesiae communis, non autem regulae et Constitutionis propriae ; quod ad religiosos in America latina degentes, standum esse Indulto 1 ian. 1910, cuius sanctiones modo dedimus. Cfr. Periodica, t. 7, n. **624**, p. 6.

His positis, non levem dubitationem moverunt verba supra relata, quibus, accedente consensu Superiorum, religiosi « praesenti indulto uti possunt », rursus autem hortatio fit ad Superiores ut ab usu indulti intra claustra pro viribus abstineant.

Ac re vera triplex quaestio moveri potest :

1. Condicio consensus Superiorum, afficitne sola ieiunia et abstinentias quae regula praecepta sunt, an etiam quae lege communi Ecclesiae praescribebantur ?

Et quatenus negative ad 1 affirmative ad 2,

2. Quomodo peccent religiosi qui iudicio Superiorum non stent, et, contradicente vel non assentiente Superiore, indulto utantur ?

3. Consilium non utendi indulto intra claustra, quod Superioribus datur, spectatne etiam ieiunium et abstinentiam communi Ecclesiae lege antea praescripta ?

Resp. Ad 1. Ipse modus quo art. 5^us scriptus est clare demonstrat S. Sedis mentem esse ut ex solo Superiorum assensu religiosi indulto utantur etiam quatenus a ieiunio et abstinentia communis iuris dispenset. Condicio enim « de consensu suorum Superiorum » scripta est ante quam ulla mentio de speciali regulae obligatione sermo iniciatur. Assensus Superiorum tamquam condicio universalis ad utendi facultatem addita est.

Excipe hanc ieiunii rationem, qua vespere ova et lacticinia, mane autem lacticinia permittuntur. Ille enim usus regulari-

bus verbis absolutis conceditur. Hac itaque exceptione facta, negative ad primum, affirmative ad secundum respondemus.

2. Religiosi tamen, sine Superiorum assensu, contra facientes, non iam legem Ecclesiae communem sed propriam Constitutionem vel disciplinam domesticam violarint.

Ipsorum peccatum itaque ex ipsa Constitutionum vi et iussione Superiorum dimetiendum est. Possunt enim Superiores voluntate stricte praecipiente (v. gr. in virtute s. oboedientiae) vel latius praecipiente subditos suos dirigere.

Interpretationem istam verba decreti admittunt. Dum enim statuit ut « religiosi de consensu Superiorum indulto uti possint », declarat quid requiratur ut usus sit *plene honestus*. Qua honestate deficiente, non necessarie restituitur pro solis religiosis gravis obligatio quae pro aliis omnibus sublata est. Ac tam mira, tam nova foret ista dispositio, qua pro Superioris arbitrio Ecclesiae lex vigeret vel non, ut perspicua definitio exspectari possit. Ut aliis verbis idem dicamus : S. Sedes non efficaciam seu valorem Indulti sed rectum eius usum Superioribus committit.

Lex itaque Ecclesiae, cui per indultum praesens derogatur, non magis pro religiosis quam pro aliis fidelibus viget. Estne perinde dicendum de Constitutionibus, quibus v. gr. Fratribus Minoribus ieiunium feria VI praescribitur ?

Si Constitutio huius modi gravem obligationem inducere voluerit, num graviter peccaturus sit religiosus qui, sine licentia Superioris, ieiunium neglegat ?

Inspectis solis Indulti verbis, cum abstinentiae et ieiunia quae lege communi et quae propria Constitutione ad tramites indulti simili modo et eadem condicione reducantur, etiam gravem Constitutionum obligationem sublatam dixeris. Verum mens diversa S. Sedis nobis videtur erui posse ex regula generali quae supra memorato responso 1 sept. 1912 continetur. Secundum istam, obligatio legis communis praesumenda est ex indulto generali etiam regularibus cessasse, dum obligatio Constitutionum vigere praesumenda est. Quare potius dixerimus Constitutiones de ieiunio manere quales erant, nisi Superior indulti usum permiserit.

3. Cum verba decreti « Hortandi sunt Superiores regulares ut abstinere curent ab usu huius modi indulti intra claustra » universalia sint, tam de communi Ecclesiae quam de propria Instituti lege intellegenda putamus. Nec immerito. Ipsa enim vitae suae ratione religiosi propensi esse debent ut antiquas ieiunii observantias plus quam laici custodiant, et ipsi saltem in spiritu abnegationis, sancta et apostolica intentione, colendo fideles sint.

4. Pauci Ordines voto astricti sunt quod omnino perseve-

rare dicitur. Huius modi voto tenentur Minimi, a S. Francisco a Paula instituti: sollemniter enim perpetuum ciborum esurialium usum Deo promittunt.

5. Huc denique spectat vis indulti, quod ad religiosos: S. Sedes omnes lege communi Ecclesiae de ieiunio et abstinentia solvit.

Simul optat ut magis ferventes christiani ultro maiorem austeritatem pro viribus servent.

Sed vitae communi et unitati observantiae prospicere volens, usum vel non usum indulti Superiorum religiosorum sententiae definiendum committit. Quare haec summa conclusio est art. 5 : « Subditi stent iudicio Superiorum. »

IV. De Praescriptione et de Missae stipendio

1. Ex recepta testamento summa, Sorores cuiusdam conventus annuam pensionem Fratribus alius Instituti solvere debent. Post aliquot annos, per 46 annos pensio ista iam soluta non est. Cum denique tandem Fratres solutionem pensionis postularent, Sorores se, praescriptione 40 annorum, hoc onere levatas contenderunt. An recte ?

2. Receptis quibusdam stipendiis 2 libellarum, sacerdos, errore deceptus, pro alia intentione ac debebat Missas celebrat. Velit iam defectum supplere. Quaerit itaque num ipsi liceat in hunc finem missas alii sacerdoti pro una libella celebrandas committere ?

Resp. Ad 1. In iure canonico « sine possessione praescriptio non procedit » (3 Reg. Iur. in 6.) Sorores autem annuas quidem pecunias possident quas non solverunt, sed nullam possessionem seu quasi possessionem ipsi titulo seu fundationi opponere possunt. Et cum nulla *immemorabilis consuetudo*, quae sit pro titulo, allegari queat, Sorores nulla praescriptione annuo pensionum onere liberantur.

Ad 2. Post celebratas missas, error de intentione a celebrante commissus huic istud unum imponere potest ut, per se vel per alium, vitium prioris exsecutionis corrigat. Istud autem perfecte corrigit si, soluto stipendio etiam minore, missas ad praescriptam intentionem procuret. Tunc priora stipendia, titulo sustentationis, ex propriis celebrationibus sibi servat, et, tamquam auctor distincti stipendii, alias missas imperat ut debito suo personali satisfaciat. Severior ceterum responsio ab aequitate canonica aliena foret.

QUAESITA VARIA

V. De regulari studiorum curriculo quod noviciatui praeponendum est [1]

I. In regione ubi solent studia humaniora ita ordinari ut sex annorum curriculo absolvantur, exstat schola apostolica ubi, pro alumnorum qualitate et condicione, studia ista quinque annorum spatio finiuntur. Num haec recte fiunt, ita ut alumni qui spatium istud emensi sint tuto in novicios cooptari et, absoluto noviciatu, philosophiae statim operam dare possint ?

Resp. Cum in ipsa Italia, cuius usus S. Sedes in declarationibus suis 7 sept 1909 [2] respexit, gymnasiale humaniorum litterarum curriculum non ultra quinque annos protrahatur, ista agendi ratio in nullam reprehensionem incurrit. Hoc unum requiritur, ut postulantes studia humaniora, congruenti modo disposita, absolverint. Exemplum porro Italiae demonstrat quinque annos studiis istis peragendis regulariter sufficere posse.

Quaeres inde quid si, pro selectis alumnis, ordo studiorum humaniorum ita componatur ut intra quattuor annos omnia convenienter tradantur ?

Dummodo vere selecti sint alumni, seu tales qui ingenio et assiduitate re vera post quattuor annos idonei esse possint, et ipsae scholae sic ordinatae sint, non autem per dispensationes a communibus scholis studia breviora fiant, neque hoc improbandum esse putamus. — Quid autem dicendum putemus de alumno qui, propter extraordinariam ingenii facilitatem, studia humaniora minore spatio, optime tamen compleat, cfr. infra ad III.

II. Iuvenis qui per quattuor annos in schola quam « normalem » (ubi ludimagistri praeparantur) vocamus studia

---

[1] Codex non requirit ut novicii definitum studiorum curriculum emensi sint antequam admittantur. Iubet tantum ut « religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi » fuerint antequam philosophiae studiis vacent (c. 589, § 1). Ex interpretatione sub hoc n. V proposita facile perspiciunt superiores quinam « rite instructi » sint. I. C., s. i.

[2] PERIODICA, n. **342**, t. 5, p. 44.

peregit, obtento diplomate quo idoneus magisterio declaratur, Ordini religioso nomen dare cupit. Quaeritur utrum necne debeat antea per quattuor annos scholas humaniores latinas et graecas frequentare?

R. Studia in quibus per quattuor annos assidue versatus est videntur vere pro modernis humanitatis studiis valere posse. Quare si aliquo sufficienti modo, etiam privatim, latina et, si fieri potest, graeca eruditio suppleatur, nihil desiderari videtur ut iuvenis de quo agitur in novicium cooptari possit. In noviciatu deinde studia humaniora in schola rite ordinata perficere debebit. Cfr. decr. *In articulo*, 7 nov. 1909, et nostras declarationes, PERIODICA, t. 5, n. **342**, p. 44 et 46.

III. In regione ubi studia humaniora sex annorum spatio comprehendi consueverunt, ingenio promptior alumnus tribus annis omnia gymnasialis curriculi studia, peractis examinibus, summa cum laude perfecit. **Quaeritur** utrum necne in novicium cooptari possit.

Resp. Quod huiusmodi postulantem arceas, quia citius et melius fecit quod plerique tardius et minus bene : id a mente legislatoris ac proin a genuina legis interpretatione prorsus alienum arbitramur.

VI. De postulantibus non admittendis ex decreto « Ecclesia Christi », 7 sept. 1909 [1]

Decreto *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1909 [2], nec ad noviciatum nec ad professionem, sine S. Sedis auctoritate, admitti valide possunt quotquot alumni e collegio ecclesiastico dimissi sunt. Die autem 5 april. 1910, declaratum est, valide quidem sed omnino illicite admitti eos qui non formaliter quidem sed aequivalenter dimissi fuerint.

Hinc **quaeritur** de casibus sequentibus.

a) Adulescens timens ne propter commissam culpam e collegio clericali dimittatur, sponte discedit.

b) Quid autem si subinde frustra a Superioribus petiit ut rursus admitteretur in scholam e qua discessit?

c) Novicium quempiam magister noviciorum, conscius intentionis Superioris, *sponte* hortatur ut discedat ne dimittatur.

[1] Quanquam fere omnes huius decreti praescriptiones Codice iuris canonici antiquatae sunt (c. 542, 1°), haud inutilis facta est hic proposita quaestio. Iuvat enim scire num quis ob huiusmodi impedimenta irritam fecerit professionem cum Codex decernat : « Professio religiosa irrita ob impedimentum *externum* non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur. » c. 586, § 1. I. C., s. i.

[2] PERIODICA, t. 5, n. **346**, p. 53.

Resp. In ipsa declaratione 5 april. 1910 [1], definitum est quinam aequivalenter dimissi habendi forent : hi sunt « quos Superiores induxerunt vel hortati sunt ut sponte discederent ne dimitterentur ».

Cum in odiosis versemur, verba ista stricte sumenda sunt.

Itaque, ut quispiam aequivalenter dimissus dicatur, requiritur efficax persuasio vel hortatio, — profecta a *Superiore* — et insinuatio rationis : « nisi sponte abeas, dimitteris. » Superiorem porro eum intellegimus qui dimittendi facultatem habet. Omnis ceterum dimissio significatam Superioris voluntatem supponit.

Quare :

Ad a) Cum adulescens iste sponte discesserit, aequivalenter dimissus non est.

Ad b) Repulsa ista post discessum non est hortatio ad discedendum. Quare ne tunc quidem aequivalenter dimissus est.

Ad c) Cum Magister noviciorum non sit Superior proprie dictus, vel saltem non is Superior qui novicium dimittere potest, quamdiu ipse *sponte* hortatus sit vel induxerit, sua hortatione aequivalenter dimissum facere nequit. Aliter dixerimus, si a Superiore quasi delegatus fuerit ad haec danda consilia.

Haec omnia dicimus, simul observando ad Superiores spectare eo cautius in qualitates postulantis inquirere quo quaedam contra ipsum facere videantur.

VII. De novicio irregulari

Anno superiore 1913, S. Religiosorum Congregatio ab irregularitate ob corporis vitium (deficiente digito anulari et dimidia medii digiti parte) dispensavit professum votorum simplicium congregationis religiosae, qui, ante noviciatum, iam a defectu natalium dispensandus fuit, ut noviciatum incipere posset. Illegitimi enim in Instituta votorum simplicium sine S. Sedis dispensatione cooptari nequeunt.

Sane, dum pro ordinatione altera dispensatio petebatur, necesse fuit priorem indicare, ut S. Sedes de tota causa sententiam dare posset.

Verum illud alterum **quaeritur**, utrum postulans qui ad ordines suscipiendos irregularis est, possit necne valide et licite in novicium clericum cooptari, et vota religiosa emittere ?

---

[1] Ibidem, t. 5, n. **392**, p. 123.

Resp. Commentarii Nouvelle Revue Théologique [1] rem saltem prohibitam autumant, cum scribant : « quidquid ordinationi obstat, gradui isti vitae religiosae etiam obest. » Si enim, sic aiunt, S. Sedes dispensationem recuset, religiosus iste ad incitas redigatur. Quae sententia confirmari potest exemplo sponsalium quae inter partes impeditas, condicionate : « si Ecclesia dispensaverit », contrahuntur. Sponsalia enim ista nulla esse putantur.

Ac melius esse ut ante ipsum noviciatum dispensatio defectum pro ordinatione tollat nemo negabit. Idque potissimum faciendum est si agitur de irregularitate in qua difficile dispensetur. Tunc profecto, nisi ambae partes, Institutum dico et candidatus, impedimenti et difficultatis conscii sint, de ipso valore noviciatus et votorum dubitandum esse putamus. Facile enim errore causam dante prima cooptatio aut professio vitiata fuerit.

Secluso autem hoc casu, nec cooptatio nec professio vel nullae vel prohibitae esse demonstrantur. Quare validae et honestae nobis dicendae sunt. [2]

Arguimus a) Ex silentio doctorum. Dum multi sunt in numerandis impedimentis, nusquam irregularitas indicatur.

b) Ex analogia iuris. In canonicis electionibus possunt electores postulare (id est condicionate eligere) aliquem qui defectu dispensabili laborat.

Nec paritas est cum sponsalibus et matrimonio. Vitae religiosae enim causa maxime favorabilis est. Nec frustra candidatus vel religiosus vitam religiosam egit, quamvis eam propter impeditam ordinationem deserere dein debeat, dum sponsalia quae matrimonio non coronantur vix aliud ac periculosum commercium fovent.

c) Denique qui propter ingenium et cultum inter religiosos clericos cooptatus est, etiamsi ordines recipere nequeat, non ideo inutilis fit in ipso Instituto religioso. Ac nulla generali regula discedere cogitur.

VIII. De dimissione et expulsione religiosorum

A. De Procuratore iustitiae.

Decreto *Cum singulae* [3], 16 maii 1914, sollemnitates expul-

---

[1] T. 46 (1914), p. 181 in nota. Ibi, indicato Instituto, dispensatio a S. Sede concessa refertur.

[2] Huic argumentationi partim favet Codex dum statuit : « Illicite, sed valide admittuntur [ad noviciatum] : ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento » c. 542, 2°. I. C., s i.

[3] Periodica, n. **511**, t. VI, p. 44.

sionis et dimissionis religiosorum definitae sunt. Inter has sollemnitates, haec reperitur : « In qualibet curia seu tribunali, constituatur a Consilio generali Promotor iustitiae pro iuris et legis tutela. »

De quo Promotore iustitiae *quaeritur :*

1. Utrum munus habituale gerere debeat, an pro singulis causis constituendus sit?

2. Utrum ipse, si ceterae condiciones impletae sint, possit actionis ad dimittendum religiosum auctor esse, sicut Promotores fiscales facere solent, an in ipsa tantum mota lite partes habeat?

Resp. 1. Silente decreto, respondemus munus illud tamquam habituale uni, vel tamquam accidentale alii in alia causa a Consilio generali conferri posse. Priore ratione habebis qui permanente sollicitudine et usu aptior et peritior fiat; altera ratione ad singulas causas, quae bene variae sunt, procuratorem magis aptare possis. Nec causae huiusmodi adeo frequentes esse supponuntur ut principalem cuiuspiam operam postulent.

2. Initium actionis cum art. 13 Superiori committatur, Procurator iustitiae nulla auctoritate potitur ut diligentiam superiorum excitet.

B. **De discessu religiosi ante sententiam definitivam.**

Quaeritur utrum necne religiosus cuius causa agitur discedere possit ante sententiam ?

Resp. Non ius tantum sed etiam officium est religiosi ut, donec votis solvatur vel legitime discedere iubeatur, sub oboedientia Superioris maneat. Quare, donec sententia lata sit, extra claustra manere sine Superioris licentia non potest.

Quod si Superior assensum suum dederit, intra ambitum suae potestatis, id ipsi licebit ; nec illi licentiae Procurator iustitiae obstare potest.

Unum est quod dubium esse possit. Quid si de sententia contra ipsum lata, religiosus in suspensivo ad S. Congregationem appellaverit et subinde velit huic appellationi renuntiare. Nonne id facere potest ?

Id ab ipso fieri posse autumamus, quia commune ius appellantis applicandum videtur, nisi contrarium statuatur.

IX. De oratorio et altari

I. In loco missionum velint ecclesiam consecrare. Quare de altari *fixo* **quaeritur** : 1. Utrum necne lapis altaris dimensione mensam aequare debeat ; 2. Utrum basis lateribus coctis constare necne possit ; 3. Utrum in basi arcae vacuae linqui possint, an plena esse debeat ?

Resp. Ad 1. De amplitudine altaris fixi nihil edictum est, ita ut in ea eligenda soli decentiae consulendum sit. [1] Potius per se optandum esse videtur, ut mensa tota consecretur.

Ad 2. Basis debet esse lapidea, vel saltem columnis lapideis mensa imponenda est. In columnarum intervallis lateres cocti poni possunt. Cur lateres adhiberi nequeant, ratio est maior laterum fragilitas, ita ut minus perpetuum opus demonstrent.

Ad 3. Nulla lege praecipitur ut intervalla compleantur. Cavendum tantum est ne arcae locum istum occupent, etiam si paramentis sacris reserventur.

II. In villa quadam quae ad canonicos regulares pertinuit, nunc autem prorsus profana est, intactus reperitur in prima contignatione locus in formam oratorii ad usum Praelati et canonicorum eleganter exstructus.

Quaeritur utrum necne sacerdos ibi sacrum facere possit?

Resp. Si publicum oratorium ageretur, iuridice, sacram deputationem secundum se consistentem et per se quidem in perpetuum habet. Cfr. MANY, *De locis sacris*, n. **73**.

Domestica autem religiosorum oratoria cum monasterio cohaerent. Propter monasterium et in monasterio permittebantur. Quare, saltem ubi consecrata non sint, cessante monasterio oratorium qua tale cessasse dicendum est. Iam vero, sicut ait GATTICUS, [2] « semel sublata capacitate loci ad sacrificium celebrandum, neque altare, neque ornatus, neque alia qualiacumque huiusce generis ad facultatem celebrationis missarum impertiendam sufficiunt. »

Si autem consecrata fuerint, [3] ex consecratione destinationem in perpetuum sacram obtinuerunt, propter quam missae sacrificium ibi semper permissum putamus.

Oratorium supponimus quod neque exsecratione profanum factum sit neque propter pollutionem reconciliatione opus habeat.

III. Conservatorio cuidam indultum missae votivae concessum est, exclusis festis duplicibus 1ae vel 2ae classis, festo de praecepto, feria, vigilia aut octava privilegiata. — **Quaeritur** quo pacto huius modi indultum iam vigeat?

Resp. Ex decl. 8 febr. 1913, excludi iam debent omnes feriae quadragesimae, quattuor Temporum, II Rogationum,

---

[1] Rubricarum scriptores commendant etiam ut caveatur consecrationis ritibus qui in basi faciendi sunt et lapidem qui non omni ex parte mensa minor sit postulare videntur. Cf. tamen C. 1198, § 2.

[2] *De oratoriis domesticis*, c. 23, n. 20.

[3] Quamvis per se oratoria semipublica consecrari non possint, R. D. MANY monet non deesse exempla huius modi oratoriorum consecratorum. (*De locis sacris*, n. **102**). Oratoria rite consecrari posse supponit c. 1191.

vigiliae, et feria in qua anticipanda vel reponenda est missa dominicae. Attamen, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes adiungi poterit oratio missae votivae immediate post orationem feriae seu vigiliae. Hac itaque ratione aliqua fit privilegii ampliatio. — Quod si specialis concursus populi habeatur, unica missa lecta ex votivis celebrari poterit, si missa in cantu commode haberi nequeat.[1]

X. De genuina ratione concipiendi et exsequendi apostolicas apud barbaros missiones

Versantibus nobis in iure missionariorum et religiosorum investigando, ab aliquot praesertim annis contigit et innumeris litteris et colloquiis plurimis et longis itineribus cum in Europa tum in regionibus Africae peragrandis de vita, moribus, zelo missionarii multa videre, audire, meditari. Ex apostolicorum virorum nobili conversatione, non tantum ingentem hausimus admirationem laborum et sacrificiorum quae pro Christo et miseris hominibus, facta totius vitae oblatione, suscipiebant vel tolerabant, sed etiam in ipsorum factis et dictis aurea documenta inveniebamus quae ordine colligere et cum aliis communicare operae pretium videbatur.

Itaque, reperies hic, amice Lector, quid potissimum, observando missionariorum exempla, audiendo eorum consilia, et res perceptas meditando, dicendum occurrat de argumento quod omni sane consideratione dignum est : qua ratione praestantissimum sacrarum missionum opus ineundum et persequendum sit, ut Christo et Ecclesiae menti plenius in dies satisfiat.

Quo clarius procedat oratio, variis propositionibus rem omnem complectemur.

Propositio prima. Suprema apostolicae actionis regula haec esse debet, ut, intra fines concreditae regionis, quam plurimos ad salutem perducat. Hoc cogitare, hoc intendere, hoc perpetuo velle et constanter eniti debet, pro suo quisque gradu et loco missionarius, ut omnibus qui ad ipsius provinciam pertinent, media salutis offerat. Sic itaque ratiocinabitur : in hoc vicariatu, in hac praefectura, in hoc districtu meo, sunt viginti millia, decies centena millia incolarum : firmo et efficaci proposito, volo his viginti vel centum millibus, his decies centenis millibus Christum et salutem dare vel saltem pro viribus offerre. Et secundum hanc intentionem omnia deliberabo et disponam.

---

[1] PERIODICA, n. **651**, t. 7, p. 79-80.

Evangelii praeco enim legatione fungitur Christi qui, qua Deus, « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire [1] ; qui, qua homo, « pro omnibus mortuus est [2]. » Quare sibi dicta existimare debet verba Christi : « Praedicate Evangelium *omni creaturae.* » Et cum Christi Vicarius, a quo omnis legitima missio proficiscitur, Instituto religioso vel Vicario aut Praefecto Apostolico spiritualem agrum committit excolendum, sane vult ut non sola pars quaedam, sed ager totus, quantum fieri potest excolatur. Ac plena seu universalis ista sollicitudo ab Instituti Superioribus, a Vicariis Apostolicis aut Praefectis et eorum subditis, ex *caritate* promittitur et acceptatur.

Ex caritate, inquam, quae, secundum ea quae morales theologi docent, observat *necessitatis* gradum, *indigentium* numerum, et, *in pari causa*, *proximitatem.*

Necessitas autem agitur spiritualis et multorum. Iam vero, secundum eorum theologorum placita, gravis multitudinis necessitas extremae singulorum aequiperatur. Quare ordo caritatis postulat ut prius cogites de ista necessitate levanda, quam de procuranda abundantiore utilitate spirituali eorum qui proximiores sunt, id est fidelium seu christianorum. Missionarius itaque, qui legem caritatis observarit, operam etiam utilem fidelibus praestare omittet, ut possit infidelibus fidem istam praedicare quae ad salutem necessaria est.

Ac iuvat hic discrimen ostendere inter episcopum vel parochum et Praefectum apostolicum vel missionarium. Iustitiae vinculo episcopus et parochus gregi suo devinciuntur. Iustitiae porro debita seu officia prius reddenda sunt quam caritatem erga alios exhibeas. Quare grex, id est catholici, ab episcopo vel parocho curandi sunt, ita ut eorum ius audiendi verbum Dei, recipiendi sacramenta, plene observetur, antequam regulariter [3] ad alios convertendos animum applicare possint.

Contra autem, Vicarius seu Praefectus apostolicus et missionarii non parochi [4], iustitiae vinculo immunes sunt, ita ut ad caritatis consilia actionem suam simpliciter accommodare possint.

---

[1] 1 ad Timotheum, 2, 9.

[2] 2 ad Cor., 5, 14.

[3] Dico *regulariter*, quia certa spes extremam necessitatem sublevandi ab officio iustitiae interdum dispensat. Quare episcopus qui doctrina sua impedire potest ne grex vicinus contagio haeresis inficiatur, canonicis sanctionibus a lege residentiae in hunc finem solvitur.

[4] Cave ne inter parochos ponas eos qui, in quibusdam pagis seu oppidis, ab incolis apud quos resident nomine parochorum vulgo honorantur. Parochus non est, nisi canonice erectam paroeciam habeas. Et quamvis regiones sint, ubi episcopi quidem, nullus vero parochus occurrunt, nondum sunt, quod sciamus, regiones, ubi parochos habeas quin ibi sint episcopi proprie tales. Quocirca, in regione cui Vicarius apostolicus praeficitur jam colligere potes : nullus ibi est parochus verus.

Sane, ex quo quis Ecclesiam ingressus est, Summum Pontificem tamquam ordinarium et immediatum Pastorem necessario sortitur, ita ut ad ipsius pastoralem sollicitudinem seu vigilantiam ius acquisierit. Actus autem istius sollicitudinis ipsi muneri consentanei esse debent. Quod munus, cum ad Ecclesiam universalem extendatur, nequit particularem illam curam postulare quae minori communitati a parocho debetur. Ac perinde dicas de episcopis qui in regionibus ubi multi sunt infideles vel haeretici, puta Indorum Anglorum, sedem residentialem obtinent. Ex quo sic constituti sunt, episcopalem curam fidelibus suis ex iustitia debent. Episcopalis tamen cura non est minuta illa quae parochi propria est. Quare, sine officii sui detrimento, potest Summus Pontifex, poterunt episcopi dilatandae fidei consulere, dum parochus multo magis officio suo impeditur.

Num ideo missionarii prohibebuntur aedem magis stabilem in certis locis ponere, vel specialem diligentiam in quibusdam hominibus excolendis adhibere? Num ideo perperam ratiocinabuntur quotquot aiunt: « Malo christianos habere numero pauciores sed qualitate meliores, quam plurimos vix excultos et paganis moribus infectos? »

Minime, dummodo et in sede stabili ponenda, et in speciali diligentia adhibenda, et in praeferenda christianorum qualitate, semper salutem plurimorum intendas. Etenim plurimi isti, quorum salus operanda est, non soli homines praesentes, sed etiam futuri sunt. Fieri itaque potest ut stabilitas ista vel specialis quorundam cura condiciones sint quibus spes, saltem *mediata*, salutis plurimorum coniungatur.

Ut rem exemplo illustremus, satis universalis experientia docet vix fieri posse ut missio abundantem messem colligat, nisi missionarii sacerdotes multis et bonis catechistis adiuventur. Si itaque parandis catechistis bini vel terni missionarii omne tempus suum dent, sane, si immediatam ipsorum actionem consideres, videntur plurimos pro paucioribus neglegere; si vero ultra prospicias, agnosces specialem istam curam ipsa lege de procuranda plurimorum salute imperari. Fieri similiter potest ut, nisi christiani virtutibus inter alios emineant, christiana religio despectui habeatur, quod eius dilatationi plurimum officere potest. Nec aliter dicendum videtur de selectione quadam qua proceres et primores ignobilioribus in spirituali cura anteponi videntur, si, pro locorum adiunctis, maior inde spes habetur futurum esse ut per proceres gentem universam facilius Christo lucrifacias.

Denique accidit etiam ut, ob infausta adiuncta, exigua tantum ampli territorii portio evangelio aperiri possit.

Sed, principio nixus de plurimorum salute procuranda,

poterit missionarius rariorem occasionem sacramentorum praebere christianis, ut copiam ipse habeat pluribus evangelium praedicandi. Nec detrimenta quae christiani inde patientur scrupulum ipsi facere possunt, si consideres longe maius detrimentum cui obnoxii sunt infideles, nisi credere doceantur et baptismo regenerentur. Fieri etiam potest, sed cave ab allucinatione, ut cum periculo propriae salutis aegroto cuipiam merito assistere recuses, ut pluribus diutius opitulari possis. In qua cautione adhibenda, tutius erit Superiorum indicationes et consilia exquirere et observare.

Eodem de plurimorum salute procuranda principio impedietur missionarius ne, contentus quodam fidelium numero conservando, illos more parochorum excolat, et sollicitudinem deponat de immensa multitudine quae in umbra mortis sedet. Sed sua faciet ista verba Christi, quem volebat civitas quaedam detinere : « Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum » (Ev. S. Luc., 4, 43.)

Quod si istud principium constanter ante oculos teneatur, multa profecto exinde statuentur quibus maior Dei gloria abundantius procuretur.

Facile simul perspicitur quid cavendum sit, ne a summo isto principio tenendo avertaris. Ad eos enim quos ad Christum adduxerimus et tamquam filios spirituales agnoverimus, affectu quodam honesto, nisi nimius esset, ita ferimur, ut ab aliis qui procul distant animum et curam magis avocemus. Accidit etiam ut, labore fessi, partis victoriis in pace frui velimus, ita ut aciem deseramus et novis reportandis victoriis valedicamus. Itaque ab affectu illo humano, ab ista animi remissione missionario cavendum est. Oportebit igitur ut missionarius animum fortem gerat et perfectam abnegationem consequi conetur.

Corollarium quodpiam non levis momenti eruendum nobis videtur. Celebratum istud effatum, quod ipsi supra recitavimus, « satius est habere catholicos paucos sed bonos, quam multos sed malos », non habet veritatem absolutam et perpetuam. Veritatem enim habet sic circumscriptam : dummodo et quatenus melior catholicorum qualitas ad ipsam evangelii dilatationem conferat. Quare effato isto prudenter utendum est. Recte illud adhibebis ad scandalosos arcendos catholicos, id est, qui, apostasia sua, polygamia vel palam perditis moribus alios a fide amplectenda avertant ; falsus autem usus fuerit, si sine spe ulteriore maioris numeri, talem curam paucis impendas ut plures sinas sine baptismo perire. Satius enim est bonum necessarium multis quam perfectius sed minus necessarium paucioribus suppeditare.

Quocirca, in condicionibus baptismo praescribendis, sive

de informatione doctrinali sive de dispositione morali agatur, a nimia severitate aeque atque a nimia benignitate deflectendum est, sed severitas et benignitas sapienter temperandae sunt. Quare S. Sedes regulas nimis absolutas constanter reiecit, et declaravit baptismum ei qui, pro sua capacitate, instructus et in praesenti bene dispositus est regulariter negari non posse. Nec obstant praevisa peccata, nisi de scandalis agatur quae ipsi fidei propagationi officiant. Accedit ista maxime attendenda consideratio. Sunt populi qui, ob quaedam praesentia adiuncta, moventur ut christiani fieri cupiant. Quos si nimia severitate votis suis frustres, nunquam postea dociles habebis. Tunc enim cum transeunt, pisces colligendi sunt. Postquam enim transierint, frustra retia mittes. Quam mediam inter utrumque excessum viam difficile inveniri et teneri non diffitemur. Ad minuendas difficultates saepe proderit multos tamquam catechumenos recipere et excolere, si magnam istius status existimationem ingerere potueris. Ceterum non est hic locus disserendi de condicionibus quae baptizandis praescribendae sunt. Sed istud ostendere iuvabat : dolendum quidem esse catholicos qui male vivant, sed magis dolendum esse quod multi homines sine baptismo vel fide intereant.

N. B. Haec sane pro sua quisque condicione et loco procuranda habet. Quare maximus istius principii usus erit apud illum qui operi evangelico in Vicariatu vel Praefectura praeficitur. Sicut enim ipsi Vicarii apostolici a S. Pontifice definitum accipiunt territorium in quo ipsis sistendum est, sic administri et subditi a Superioribus definitam accipiunt operam quae ab ipsis praestanda est. Namque ipsa lex de procuranda plurimorum salute postulat, ut ordinato agmine ad praelia spiritualia conferenda milites procedant, ac proinde ducibus dicto obœdiant. Quod si quibusdam iam maturioris aetatis missionariis huiusmodi zelus forte minui potest, iunioribus contra summopere videtur commendandum, ne prae zelo ardentiori ad multos convertendos, opera utilissima sed magis obscura, quibus ipsos Superiores incumbere iubent, negligere velint. Sed etiam in subditis dispositio ista animi ad convertendos vel lucrandos quam plurimos utilissima erit. Vix enim locum vel officium conceperis ubi actio huiusmodi mente informari et amplificari nequeat.

Secunda propositio. In promissionibus quibus Christo universale regnum praedicitur ; in nota catholicitatis quam Christus Ecclesiae suae dedit ; in missione quam apostoli receperunt baptizandi omnes gentes, in omnipotenti gratiae virtute, debet missionarius immensam spem fundare, et constantem animum semper proficiendi et homines vel populos convertendi nutrire. In spirituali militia intervalla pacis

ignorantur. Dum autem furit bellum, militis est hostes fugare et domare populos. Ac fortem istum animum ipsa intentione salutis plurimorum postulari iam supra vidimus.

Verum iuvat manifestae veritatis corollaria memorare.

Corollaria. 1. Omnis fugiendus est sic dictus « pessimismus », quo vel collecti fructus parvi habentur et despiciuntur, vel de uberiore messe habenda desperatur. Etenim, quid spei et animo de quibus modo dicebamus magis contrarium concipi potest? Quot et quantorum detrimentorum pessimismus parens est? Menti suggerit excusationes a labore; voluntatem laborandi et tentandi exstinguit vel minuit, et dum propriam experientiam laudat et ceterorum « illusiones » irridet, aliorum etiam animum et robur aufert vel deprimit. Sane pessimismum detestabatur Apostolus ille qui scribebat: « Caritas... Omnia credit, omnia sperat » (1 ad Cor. 13, 7, 8.). Ac, teste ipso poeta ethnico, plura possumus sperantes, ad quae, sine spe, viribus impares essemus : « Possunt quia posse videntur. » (Virgilius). Missionarii autem pessimismo tentantur saepe, quia aliarum regionum adiuncta et difficultatem ignorant et sua barbarorum regione circumscriptam experientiam habent.

Dum enim, longe a patria sua, sub caelo saepe inclemente, missionarius a mane usque ad vesperam in laboribus versatur, profecto fructus facere sperat qui qualitate atque copia fructus re vera obtentos non mediocriter superant. Et dum barbarorum conversatione, moribus et ingrato animo offenditur, suae patriae catholicos, quos intime cognoscere non potuit, longe quam sunt meliores sibi repraesentat. Quod si occasionem habuisset spiritualem operam impendendi sive in instituenda europaea iuventute, sive in plebe adhortanda et pascenda, sive in audiendis confessionibus, multo moderatius sane et verius de suis barbaris iudicaret.

2. Spes vera quaerit et invenit practicas artes medendi malis et promovendi bona. Qui, perspecta difficultate, animum non despondet sed erectum tenet, simul tacite confidit et affirmat viam esse qua difficultas ista superari possit. De qua via statim inquirere incipiet.

Oportet itaque ut missionarius numquam in agnitione mali seu difficultatis sistat, sed, deliberando et orando, de mediis cogitet quibus mala vincantur. Nonne in ipsis rebus humanis, studiositas huiusmodi parens est omnis progressus? Et quid in re spirituali, ubi Christus ait : « Qui quaerit, invenit » ?

Itaque, quod in tali regione periculum sit famis, quod nimis multi pueri occumbant, quod barbari qui europaeis permixti vivunt saepe peiores evadant, quod is vel talis usus debellandae polygamiae obstet, haec et similia agnos-

cere et praedicare, genuino missionario initium esse debent investigandi, consultandi, tentandi, si fortasse possit et famem arcere, et puerulorum curam fovere, et detrimenta vitae cum europaeis communis removere, et usus qui polygamiae favent corrigere vel melioribus supplere.

Num, sic agendo, poterit missionarius semper sibi gratulari successum et victoriam? Nequaquam. Sed in rebus etiam humanis per plura frustranea tentamina, tandem ad concupitam metam pervenitur. Non desunt tamen qui propriis periculis et damnis conatus istos faciunt. Quid ergo in militia spirituali agendum est, ubi Dominus tribuet unicuique « secundum suum laborem » (I ad Cor. 3, 8)?

Tertia propositio. Humili mansuetudine et promptitudine ad serviendum omnibus debet missionarius indolem et magisterium Christi imitari. Christus reges, dominos et magistros reperit superbientes, violentos, arrogantes, propriam ex nobiliore loco utilitatem quaerentes. Ipse autem rex regum et dominus dominantium, novam dominii et magisterii rationem induit, cum mitibus promisit terram, cum dixit : « Non veni ministrari sed ministrare » (Ev. S. Matth. 20, 28), cum docuit apostolos : « Qui maior est in vobis, fiat sicut minor ; et qui praecessor est, sicut ministrator. » (Ev. S. L. 22, 26), cum pedes apostolorum lavit, idque perenne fecit mandatum, asseverans felices futuros quotquot illud opere exsequerentur.

Non aliter, in regionibus infidelium, missionarius Christi superbum ubique deprehendit dominatum ad propriam utilitatem directum. Cui debet novitatem evangelii opponere, ita ut pro violentia ostendat in se mansuetudinem, pro arrogantia humilitatem, pro egoismo sui oblivionem, ac studium serviendi aliis pro studio quaerendi servitia aliena. Quid enim magis decet Christi missionarium, quam ut per arma Christi Christo victoriam paret? — Inde haec prono alveo sequuntur.

Corollaria. 1. Erga omnes debet missionarius esse comis et affabilis, ab omni asperitate alienus. Et cum saepe alieni caeli condiciones iram et impatientiam excitent, sedulo sibi invigilabit ut, per iterata examina et proposita, humilem mansuetudinem in se confirmet.

2. Sedulo cavebit ne temporalem dominatum affectare videatur, provinciam non suam usurpare, libenter Caesari reddens que sunt Caesaris. Legitima magistratus saecularis auctoritas et actio a missionariis auxilia potius quam obstacula recipiat. Hac ratione poterunt ipsi missionarii efficacius suadere ut a civilibus potestatibus in sua morali et spirituali actione adiuventur.

3. A famulis etiam barbaris missionarius non postulabit

nisi illa servitia quae vel necessaria sunt vel modesta status decentia exiguntur. Nec, etiam in parvis rebus, constanter in famulos reiciet onera quae ipse per se ferre potest. Sin aliter, quo modo barbari dedocebuntur hunc morem quo inferioribus et debilioribus onera omnia imponere consueverunt? Nec facile existimet hanc agendi rationem suae auctoritati detrimenta allaturam esse. Fidat potius Christo eiusque prudentiae. Atque consideret illud etiam humana sapientia demonstrari, auctoritati propriae, melius quam is qui fastuose imperet, eum consulere qui virtuose agat et simul modum omnem minus decorum, nimis familiarem agendi attente fugiat. Mente sculptum teneat notabile istud S. Pauli documentum, quo S. Apostolus, postquam demonstravit fas esse ut pro spirituali beneficio a se collato quaedam temporalia sibi postulet : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? » (I ad Cor. 9, 12), nihilominus statim addit se potestate tali usum non esse, et sic pergit: « Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant de evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi haec ut ita fiant in me : bonum est enim mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit... Quae est ergo merces mea? Ut evangelium praedicans, sine sumptu ponam evangelium, ut non abutar potestate mea in evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci ut plures lucrifacerem. » (I ad Cor. 9, 12-20).

Quare ne, occasione evangelii, barbari temporalia gravamina sufferant, enixe. prout copia dabitur, cavendum est. Nonne iterum S. Paulus se describit « nocte ac die operantes ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis evangelium Dei. » (I ad Thessal. 2, 9). Quod repetit (II ad Thessal. 3, 9), diserte addens : « Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. »

Quarta propositio. Oportet ut missionarius oratione et meditatione spiritum supernaturalem in se foveat. Nisi istis subsidiis adiutus sit, voluntate vincendi, sancta spe, apostolica generositate mox spoliabitur, et, ad humana iudicia conversus, ipsum fortasse nobilem laborem pro vanis solaciis, periculoso otio, terrenis studiis, ne dicam peccaminosis, sensim sine sensu dimittet. Quam saepe enim, si humano oculo res consideres, nec vitae consuetae tenor, nec cotidiana

defatigatio, nec ii quibus opera impenditur, nec fructus apparenter collecti, habent unde animum recreent vel solentur. Talis itaque requiritur mentis applicatio ad res supernaturales, ut ex caelo suppleatur quae terra dare nequit. Quamquam usus libri in paranda meditatione vix non semper utilis, in facienda interdum necessarius est, parum missionarius iuvaretur meditatione perfunctorie facta secundum scriptoris cuiuspiam alienam sapientiam et pietatem. Illud autem satagere debet, ut ipse per se aeternas veritates non leviter vel raro, sed saepe et intime penetret, atque attente consideret quid possit gratia Christi, quantum valeat anima rationalis, quid Christus pro animis fecerit, quantum ipse sit Christi debitor. Satis re vera dicere non possumus quantum oculis viderimus et manu tetigerimus utilitatem, immo necessitatem istius spiritualis refectionis, quae non solum statis istis momentis quae regula proprii Instituti meditationi praescribit, sed etiam inter laborandum, et vel maxime tunc sumenda est, cum quaedam contraria animum ad inferiora studia vel ad delectationem trahunt. Oportet ut missionarius apostolicus, secundum aurea dicta S. Leonis Papae « in aula mentis possit divinae vacare sapientiae, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et in deliciis laetetur aeternis. » (Sermo 8, de ieiunio decimi mensis et eleemosynis).

Quod si viros habere oportet, qui, instar S. Pauli, Christo velut amico personali coniuncti sint, et quibus spiritualia documenta usu familiaria sint, nonne statim perspicitur eos vehementer errare qui in labore apostolico, ubi nova orandi causa cernitur, excusationem ab oratione quaesitent ?

Quinta propositio. Ad mentem S. Sedis potius quam ad propriam suam opinionem missionarius suam actionem aptare debet. Dux apostolatus catholici est Petri successor. In omni porro militia prosper eventus ex unitate actionis, ac proinde ex concordia cum capite sperandus est. Quanto magis in sacra expeditione quam sola divina benedictio felicem reddere potest, requiritur ut divinitus praescriptus ordo observetur ?

Corollarium. Non temere quidem et incaute, cum accidat ut vera S. Sedis mens variis declarationibus illustranda sit, animo autem *sincero*, ac, si opus sit, etiam forti, proprias persuasiones abdicando, decreta S. Sedis exsequenda sunt. Itaque :

Frequens et cotidianus S. Eucharistiae usus a S. Pontifice summopere commendatus, a missionariis et praefectis missionum ita commendandus est ut, sublatis antiquatis controversiis, non iam de ipsa frequentia, sed de prudenti commendationis ratione deliberatio instituatur. Et cum ius sit

christianorum cotidie communicandi, ita ut consilium quidem, non autem licentia confessarii petenda sit, missionarius haec vel similia pronuntiare omittet : « *permitto* ut communices ». Multo minus ad statos dies, v. g. ad feriam II, IV, VI facultatem communicandi restringet.

Vult S. Pontifex ut pueri, ex quo ratione utuntur, Christum recipere doceantur. Quare etiam in hac re missionarius pristina theologorum placita pro pontificio oraculo negleget.

Magis ac magis S. Sedes vult ut christianis facilis copia suppetat plurium confessariorum. Imo religiosis viris et feminis, quoties id quies conscientiae requireret, voluit liberum esse aditum ad quemlibet confessarium, pro utroque sexu approbatum si de sororibus agatur. Neque superioribus ullam facultatem reliquit minuendae huiusmodi libertatis, quamquam de abusu, si quis forte sit, Ordinarius loci moneri possit. (Cf. Cod. I. C., cc. 518 ss. Vermeersch, s. i. et Creusen, s. i., *Summa novi iuris*, nn. 183 ss.). Quare et praefecti missionum iurisdictionem omnibus sacerdotibus quos dignos repererint libenter delegabunt nec, sub aliquo colore, pristinam sed antiquatam disciplinam de confessione uni pastori vel parocho facienda, ne per consilia quidem, multo minus denegata potestate restituere tentabunt ; et ipsi missionarii omni zelotypia in hac re abstinebunt.

Sexta propositio. In ipsa spirituali administratione missionarius omni arbitraria actione sedulo abstinere debet. Rudes barbari, cum puerorum incultorum quodammodo similes sint, facilem dant actionis arbitrariae occasionem, ad quam arripiendam, in eorum utilitatem, missionarii interdum proni esse videntur. Memores itaque sint oportet, tam ex lege divina quam ex disciplina ecclesiastica, sua esse omnibus christianis iura quae violari nequeunt, praesertim cum missionarii omni careant legifera potestate et ipsi praefecti missionum non possint, nisi secundum leges et mores vigentes, statuta sua condere.

Quare, nec fictis praeceptis obtinendum est ut christiani sacrum die dominica frequentent, cum, ad tramites iuris communis, distantia excusantur; nec ut in definito sacello aut templo communicent, cum nulla in missionibus barbaris canonice erecta parochia esse soleat ; nec aditu ecclesiae propter quaedam peccata fideles prohibendi sunt, cum ex iure vigenti ecclesia omnibus patere debeat, et publici peccatores sola Eucharistia, donec resipuerint (non ultra) excludantur ; nec absolutio neganda est nisi iis qui gravem obligationem implere recusent.

Huc spectat etiam ut veris tantum et solidis argumentis religio catholica barbaris amplectenda proponatur et ab haereticorum calumniis vindicetur.

Septima propositio. Imprudentem novitatem et pertinacem vetustatem aeque missionarius declinare debet. Id est, acceptam evangelizandi methodum iuvenis missionarius ne statim mutet, sed satis confidat in prudentia et experientia veterum, quibus sane fortis praesumptio favet. Rursus autem veteranus miles novas artes evangelium praedicandi imprudenter repudiare non debet. Omnibus id persuasum sit oportet, nullam esse methodum ita perfectam quae perfici nequeat, et methodi efficaciam ex mutabilibus adiunctis plurimum pendere, ita ut artes quae in medio aevo ad convertendas Europae barbaros, quae saeculo XVI et XVII, apud Americae meridionalis barbaros utilissimae probantur, in hodiernos Ethiopes minime convenire possint. « Omnes ut vestimentum veterascent : et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur ; tu (Christus) autem idem ipse es, et anni tui non dificient. » (Ad Hebr. 1, 11, 12).

Octava propositio. Etiam humanum progressum in vestitu, habitatione, victu, missionarius prudenter promovere debet. Sunt sane simplici cuipiam rusticitati commoda facilioris persuasionis, promptioris docilitatis, quin immo vel minoris vel minus consciae corruptionis, propter quae missionarius adduci possit ut barbaros suae agresti vitae relictos malit. Verum consideret humanum cultum a spirituali et divino non ita separari ut homines habere possis sublimi religioni addictos et humani progressus incuriosos. Sin aliter, quo iure civilem Europae cultum in laudem religionis christianae vertas ? Accedit etiam quod humanus quidam progressus necessarius est ut barbarae gentes iuxta europaeos colonos positas, subsistere possint. Ac frustra demum, dum omnia in motu sunt, somniatus sis pacificam stabilitatem. Quid, quod ipsa repugnantia qua missionarius humanos progressus odisse videretur commodam calumniandi Ecclesiam ansam praeberet ? Sit itaque missionarius adversarius vanitatis et ridiculae imitationis europaeorum ; modestiam, frugalitatem commendet, sed nihil quod vere ad honestiorem cultum pertineat abhorrere videatur. Quod si spiritualis victoria in magis excultos homines difficilius reportatur, difficultas ista victoriae pretio ac momento compensatur.

Nec desunt progressus humanae rationis qui vel caritate christiana omnino commendantur, vel ad mores ipsos reformandos plurimum conducunt. Si, v. g. nimis multi pueruli ex male intellectis curis occumbant, poteritne catholicus missionarius de remediis non cogitare ? Nonne si ex meliore cibo infantibus dato usus matrimonii inter binos coniuges magis constans esse possit, dum nunc, post natum infantem, saepe ultra duos annos vir uxorem suam cognoscere prohibetur ; si alio genere divitiarum vel famulatus ac quod

nunc in pluribus uxoribus inveniunt primores splendere doceantur, ipsas polygamiae radices extirpaveris ?

Valde itaque optandum est ut missionarius suos catechumenos vel fideles ad humaniorem cultum, variis institutis parsimoniae, valetudinis, eruditionis in litteris vel artibus prudenter sed constanter perducere satagat.

Nona pròpositio. In propria sua conversatione, missionarius urbanitatem cum gravitate coniungere debet, et ab omni imprudentia maxime sibi cavere.

Plurimum sane proderit ut missionarius sit laicis europaeis vel administris acceptus et apud ipsos sibi auctoritatem comparet. Ad hoc maxime conducet urbanitas ista coniuncta cum sacerdotali gravitate quae amicitiam et fiduciam simul conciliat. Ipsum humanae scientiae nomen spernendum non est, illius, inquam, scientiae qua efficitur ut ipsa fides religiosa vel ministerium apostolicum magis aestimetur. Non nimis enim fidendum est quibusdam artibus, v. g. venandi, quibus mere exterior quaedam benevolentia captatur. Quid enim refert esse popularem, nisi spiritualis tua actio inde augeatur, nisi melior animarum venator inde efficiaris ?

Ipsa deinde propria securitas prudentiam maxime circumspectam imperat. Et cum homines ad calumniandum valde propensi sint, tali honestatis nomine missionarius fulgere debet, ut iam ipsa fama sua contra calumnias armatus sit.

Decima propositio. Comis erga omnes et misericors, missionarius simul fortem vitiorum hostem se exhibere debet. In regionibus infidelium etiam fideles europaei in vitia ruere solent quae a missionariis nec impediri neque etiam semper prudenter corripi possunt. De actibus privatis, de rebus quae domesticis parietibus occultantur, missionarius nec studiose inquirere nec homines a pietate alienos reprehendere regulariter potest. Caveat tamen ne factis suis vel verbis etiam iocosis, haec admittere vel excusare videatur. Hoc enim facile scandalosum evaderet, cum dicta vel facta ista consuetis amplificationibus aucta circumferrentur, et hominibus peioribus argumentum praeberent excitandi socios ad peccandum, dum melioribus peccandi horrorem minuerent.

Verum fit etiam ut palam vel coram missionario quaedam prava committantur, vel ut talia crimina innotescant quae ad speciale scandalum seu horrorem ciendum apta sunt. Quae iniquitates ad duo genera pertinere solent. Aliis innocentes, debiles, minus culti, barbari crudeliter vexantur vel opprimuntur ; aliis perditi agentis mores produntur.

Age vero, qui Christum repraesentat et continuat nec vitia, nec scandala, nec pauperum oppressionem aequo animo spectare potest.

Itaque qui testis est excessus, modo aliquo qui gravitati

facti et condicioni personarum accommodatus sit excessum impedire debet; qui scandala noverit vel crudeles exactiones efficaciter, prout copia dabitur, v. g. res manifestando et deferendo, agere debet ut haec castigentur et removeantur. Copia sane alia erit penes Superiorem, alia penes inferiorem qui Superiorum indicationes observandas habet.

Ab illa autem reprehensione et delatione nec propria praevisa incommoda, nec damna quaedam pecuniarum operibus piis ferenda missionarium retardare regulariter possunt. Non propria incommoda, cum beatos esse noverit qui persecutionem propter iustitiam patiuntur. Non temporalia Ecclesiae damna. Consulatur enim historia : nihil magis in honorem et laudem cessit Ecclesiae et religionis catholicae quam sancta fortitudo qua illustres antistites aut sacerdotes vitiorum reprehensores et afflictorum patronos se demonstrarunt, dum aliorum complicitas vel timiditas, tum famae Ecclesiae tum fidelium moribus maxima detrimenta intulit. Quod autem timore amittendarum pecuniarum ignavia vel timiditas imperetur, nihil hoc crimine magis odiosum putari consuevit.

Non diffitemur quidem in hac re sapienti discretione opus esse, et excessu, praesertim in modo, sicut defectu peccari posse. Haec hora est orandi et deliberandi. In dubiis perpendendis haec duo maxime observanda sunt : ut numquam odio personarum vel ira aut invidia missionarius agere videatur ; ut dum res audit vel refert, solius veritatis studiosus, nec falsa pro veris, nec incerta pro certis tradat.

Verum intra fines provinciae suae, missionarius catholicus pro iustitia simpliciter stare debet et certare ; et triplicem sibi hunc canonem sequendum praescribet : Malum numquam approbare vel excusare videbor. Malo extirpando pro viribus allaborabo. Causam pauperum vel debilium numquam deserere videbor.

Undecima propositio. Quantum fieri potest, curet missionarius externo et praesenti labori suo interna studia et deliberationes coniungere de perficienda ministerii ratione, de superandis obstaculis, de promovendis utilibus institutis, noveritque ultra immediatos effectus prospectum habere.

Maxime quidem Superiores, sed omnes aliquo gradu, pro suo ingenio et capacitate, debent simul agere praesentia et moliri meliora. Sine duplici ista sollicitudine, vel praesens messis neglegitur, vel melior in futurum non paratur.

Et quantum refert ut missionarii res non tantum ex proximis sed etiam ex ulterioribus effectibus diiudicare et aestimare norint ! Neve quis, dum consilia legit de mansuetudine, de attemperanda actione ad iura christianorum, ad vigentem disciplinam, de solidis quaerendis rationibus ad proponenda

dogmata vel praecepta, bonos alleget effectus severitatis, exigentiarum, et ipsarum claudicantium rationum. Ac si immediatos tantum effectus consideres, recte ratiocinatur. Sed luctuosa experientia docet, ex omni excessu vel nimietate ploranda consectaria aliquando gigni. Satis divinae Providentiae et Verbo Dei fidere debemus, ut non nolimus nisi per vera, honesta et legitima, bonum omne sectari et obtinere.

Ut autem meliora praeparentur, plurimum referet praesentes hominum mores, inclinationes, dotes, vitia attente observare et scrutari (quae methodica investigatio illustre etiam apud laicos nomen ministris Ecclesiae catholicae dabit). Iuvabit etiam legere vel audire quae alibi et quo conatu, quo fructu tentata sint ; iuvabit denique communia de rebus faciendis et promovendis consilia habere.

Duodecima propositio. De Christo eiusque fovenda causa sollicitus, missionarius solis fructibus intentus, omnem manum qua serantur vel percipiantur laudabit, amabit, adiuvabit. Quare nec iuvenis seniori vel inferior Superiori, nec senior iuniori vel Superior inferiori successus invidebit. Procul absit omnis invidia ; procul omnis falsa ambitio qua quis, dum omnia per se facere cogitat, alienam actionem directe vel indirecte impedit. Nec de extensione sed de utilitate imperii sollicitudo habenda est. Laudandus potius est qui Christi gloriam tam pura intentione prosequitur, ut ultro adiutores, etiam alieni Instituti, advocet et inter plures divisam sibi commissam provinciam libenter velit.

Quid tristius est quam memoriam renovare contentionum quibus ipsi religiosae perfectionis sectatores inter se ita dividebantur ut accusationibus et calumniis fidei profectui plurimum nocerent. Praeter illos enim qui rectae fidei servandae erant solliciti, nonne quidam sola zelotypia ducti huic principio fere videantur indulgere: « Bonum potius pessumdetur, animae potius pereant, quam per alios ac nos vel alia methodo bonum fiat, animae salventur ».

Haec procul a corde procul ab ipsa omnium mente sint, ut unitate caritatis fortiores effecti, omnium cuiusvis Instituti vel professionis missionarii ampliorem sibi actionem sperare possint.

Conclusio

Quae hactenus scripta sunt has fere produnt persuasiones :

Oportet ut missionarius vere sit vir Dei, contemptor sui et rerum humanarum.

Oportet ut vel temporalibus beneficiis, vel spe condicionis socialis melioris et magis honoratae barbaros ad religionem christianam alliciat.

Oportet ut europaeis hominibus etiam acceptus sit, et sociales conversionum ad fidem utilitates omnibus reddat manifestas.

Age vero, prima condicio tum documentis evangelicis de Christo orante, de pastore pro ovibus vitam dante, de abnegatione christiana et apostolica clarissime exigitur.

Altera condicio experientia naturae humanae plane firmatur. Ubique haec veluti lex cernitur : nisi humana vel terrena quadam utilitate adiuventur, pauci admodum homines de religione mutanda vel amplectenda etiam deliberare volunt.

Tertiae condicionis necessitas non minus explorata videtur. Europaei administri plurimum valent ad evangelicam propagationem fovendam vel impediendam. Quo modo vero fautores reperias eos quibus invisus sis ? Ipsi autem Europaei, pro humana indole, sine perspecta aliqua utilitate, ad causam fidei tutandam vix movebuntur. Quocirca maxime optandum est ut evangelica praedicatio saltem beneficiis ordinis socialis ipsis commendetur. Atque illud addimus, inter res hodie maxime dolendas, eam esse quod nimis pauci de sociali christianismi utilitate *intime* persuasi sint. Omnimodis igitur missionariis allaborandum est, ut, eversis contrariis praeiudiciis, fidei et praedicationi istum profectus humani splendorem coniungant.

Verum, dum sic imaginem perfecti missionarii describere conati sumus, multa profecto et in praeparandis personis, et exsequendis muneribus postulavimus : multa quidem et quae fortasse nimia videbuntur. His officiis praestandis, sic aiet quispiam, nonne ipsum tempus deest ?

Obiecta tamen difficultas nullam causam dat officia ista dissimulandi, sed potius inquirendi quo modo tempore nobis concesso plenius utamur. Missionarius, dum se et omnia dat, omnem temporis iacturam vitare debet. Ac sine anxietate, sed serio consideret unusquisque an non forte, praeter tempus relaxandis viribus largiendum, plures horarum partes inutili vel lectione vel colloquio vel otio dissipentur. Huic prodigalitati finis imponatur. Et mirabimur quantum sancta parsimonia temporis lucra afferre possit.

Haec demum memoremus quae non uno exemplo constant. Missiones sunt apostolicae, quae bonos quidem, sed potius modicos fructus afferre consueverunt, cum sociis adiungitur missionarius quem mox nimietatis et allucinationis non nulli arguere incipient. Ipse tamen, in mediis istis reprehensionibus, ita operatur ut facies rerum veluti mutetur. Pro centenis conversis, mox millia et millia numerantur. Unde ista mutatio ? Sane ex gratia divina. Sed cum haec gratia humanam cooperationem postulare soleat, nonne hoc etiam addendum est : felix ista mutatio facta est, quia advenit vir vere super-

naturalis, plenus fide et spe, ingenti caritate praeditus, qui etiam humanas convertendi populi necessitates explorare, et sic viam amplissimam dilatandae fidei invenire noverit. Vir iste, quia homo, erroribus quibusdam obnoxius erit, ita ut quibusdam punctis merito improbetur ; saepe, nimio labore suscepto, praematuram mortem sibi parabit : reprehensi sunt et mortui sunt ante senium, Franciscus Xaverius, Petrus Claver, et nostris diebus, Carolus Lievens. Sed post mortem fructus permanent, et ex fructibus arbor aestimanda est. Sane non cuivis, etiam optimo, contingit tam plura millia ad Christum convertere, sed plurimi certe similibus studiis haec praeclare gesta imitari possunt. Nec, praeter illa studia, media cernimus, quibus Ecclesia catholica, non tantum homines aliquot, sed populos, regna et imperia, — quae *catholicae* Ecclesiae nobilis ambitio esse debet — Christo lucrari queat.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE « REFERT AD NOS », IN FORMA BREVIS, 23 IAN. 1914

Indulgentiae plenaria et partiales propter centesimum annum a restituta societate Iesu

(A. A. S. 15 maii 1914, 6, 220)

PIUS PP. X

Occasio largitionis, Preces oblatae et centesimus annus a restituta S. Iesu.

Universis Christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem. — **Refert ad Nos** dilectus filius Franciscus Xaverius Wernz, praepositus generalis Societatis Iesu, die septimo proximi mensis augusti, centesimum reversurum esse annum ex quo ipsa Societas, auctoritate et gratia Sedis apostolicae per Constitutionem « *Sollicitudo omnium ecclesiarum* » a Pio PP. VII rec. mem. decessore Nostro obsignatam, restituta feliciter fuit. Ad auspicati eventus memoriam celebrandam, addit idem praepositus generalis, per triduum, videlicet diebus quarto, quinto et sexto atque insuper ipso septimo die mensis augusti huius anni, honori sacratissimi Cordis Iesu sollemnes in gratiarum actionem supplicationes omnibus in ecclesiis atque oratoriis publicis aut semipublicis ad societatem ipsam ubique terrarum pertinentibus fore peragendas. Ut vero hae fiant uberiore cum spirituali emolumento, enixas Nobis ipse generalis moderator preces humiliter adhibet, ut fidelibus in Societatis Iesu templa ac sacella dictis diebus hoc anno conventuris, de thesauro Ecclesiae Nobis divinitus concredito, peculiares quasdam gratias largiri dignemur, quem ad modum Gregorius PP. XVI rec. me. praedecessor Noster anno rep. salutis MDCCCXXXX, recurrente saeculari die ab eadem Societate confirmata, benigne peragendum existimavit. Nos autem votis his piis ultro libenterque annuentes, ut erga Societatem tot tantisque nominibus de Ecclesia Dei optime meritam benevolentis animi nostri sensus significemus, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis tam religiosis dictae Societatis alumnis, quam fidelibus ex utroque sexu qui, quovis die ad cuiusque

Exemplum Gregorii XVI secutus et in benevolentiae significationem Pontifex gratiam concedit.

eorum libitum eligendo, e praestitutis illis quattuor mensis augusti diebus, quibus, de venia Congregationis sacrorum Rituum, restitutae Societatis Iesu memoria sollemniter recoletur ubique terrarum, quamlibet dictae Societatis ecclesiam, sive quodvis eiusdem Societatis sacellum publicum aut semipublicum, admissorum sacramentali confessione expiati ac caelestibus epulis rite refecti, visitaverint, ibique Deo gratias agentes, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis religiosis et fidelibus qui, corde saltem contriti, quamlibet ex ecclesiis ipsis, sive quodvis e memoratis sacellis, Deo similiter gratiam agentes, precesque, ut supra diximus, fundentes, celebraverint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis illis quattuor diebus una vice acquirendam, largimur. Tandem permittimus religiosis ac fidelibus iisdem ut, si malint, possint plenaria et partialibus his indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, seu sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Gratiae tenor et condiciones.

Gratiae tempus. Fides transumptorum.

Dies (23 ian. 1914).

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXIII ianuarii anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

Annotationes

1. Hoc indulto indulgentiae conceduntur :

a/ Plenaria, semel.

b/ Partialis, septem annorum et totidem quadragenarum, semel in die, quarto, quinto, sexto et septimo die augusti huius anni 1914. Litterae enim hoc tantum anno valiturae dicuntur.

Quae concessae indulgentiae omnes defunctis applicabiles sunt.

2. Aequali modo, iisdemque legibus tam religiosis Societatis Iesu quam utriusque sexus fidelibus lucrandae offeruntur.

3. Praeter consuetas indulgentiae plenariae condiciones, requiritur pro singulis indulgentiis, etiam partialibus, visitatio sive ecclesiae Societatis sive sacelli saltem semipublici, peracta in supra memoratis diebus. In qua visitatione gratiae Deo agendae sunt et pro solitis S. Pontificis intentionibus preces fundendae sunt. Ipsa occasio suadet ut de restituta Societate gratiae Deo agantur; id tamen non praecipitur, sed spiritus gratiarum actionis mere generalis vel de quolibet beneficio sufficere videtur.

Modo valde generali optio conceditur visitandi sive ecclesiam sive sacellum semipublicum (i. e. quod alicui communitati seu coetui est pro oratorio domestico) Societatis, ita ut ubi simul ecclesiam et sacellum habeas, ecclesia praeferri nullatenus debeat.

4. Ut, hac occasione, generales quasdam regulas memoremus, ex generali decreto 11 mart. 1908, confessio indulgentiae plenariae praescripta duabus diebus ante diem indulgentiae statutam, ergo, in casu, iam 2ª augusti fieri potest; praeterea, qui singulis hebdomadis confiteri solent specialem confessionem instituere non debent, et qui solent saltem quinquies in hebdomada ad s. communionem accedere, condicione confessionis levantur.

Communio utilis ubique fieri potest et iam a 3ª die augusti. Visitatio ecclesiae vel sacelli iam 3ª die augusti a meridie peragi potest [1].

Qui physico impedimento per tempus utile communicare vel visitare ecclesiam aut sacellum prohibentur, a confessario utriusque vel alterius condicionis commutationem impetrare possunt.

---

2. — SECRETARIA STATUS

EPISTOLA 26 IAN. 1914

Ad Archiep. Viennensem, de actione sociali et coetu « Katholischer Volksbund » (A. A. S. 12 mart, 1914, 6, 129.)

Illmo e Rmo Monsignore [2],

Deplorato verborum suorum malo usu,

Assai vivo rincrescimento provò il Santo Padre nell'apprendere le gravi controversie ed agitazioni manifestatesi in questi ultimi tempi fra i cattolici dell'Austria, nè meno Lo sorprese ed afflisse il sapere come eransi travisate la natura e la portata di parole da Lui dette in una udienza puramente privata concessa ad una ben nota persona di Vienna, ed alle quali si è preteso dare il significato di una definitiva sentenza circa gravi questioni, ch'Egli si riserva invece di esaminare d'intesa col degnissimo episcopato di cotesto impero.

Pontifex libellum praesidis

Ora poi la stessa Santità Sua, dopo aver presa esatta conoscenza della Memoria testè umiliataLe dal signor conte ereditario Ferdinando Trautt-

---

1 Cfr. PERIODICA, t, 6, n. **486**, p. 8.

2 Haec latine sic reddimus: « Sanctissimus Dominus non levem maerorem expertus est, cum de gravibus controversiis et perturbationibus quae hisce ultimis diebus inter Austriae catholicos subortae sunt certior factus est; nec minore miratione et tristitia edoctus est quomodo verba quae in audientia omnino privata notissimae Viennensi personae dixerat adulterata specie et vi corrupta essent, ita ut in his definitivam sententiam perhibere contenderint de gravibus quaestionibus quas, contra, una cum dignissimo huius imperii episcopatu deliberandas, seposuit.

« Age porro, idem Sanctissimus Dominus, postquam libellum sibi ab hereditario comite Ferdinando Trauttmansdorff, tamquam praeside consociationis popularis catholicae

« Kathol. Volksbund » et ipsum coetum valde laudat, propter docilitatem ad S. Sedem, in re sociali, quae religiosa et moralis potissimum est.

mansdorff, quale presidente del « Katholischer Volksbund », mi ha dato il gradito incarico di significare alla S. V. Illma e Rma tutto il sovrano Suo compiacimento per i sentimenti, ivi espressi, di filiale devozione alla Sede Apostolica e di piena obbedienza alle sue direzioni. In tale documento, infatti, la sullodata Associazione non solo rigetta con energia ogni erronea dottrina o tendenza, specialmente in materia sociale e politica, e si professa del tutto aliena dall'introdurre in coteste cattoliche regioni il sistema delle società interconfessionali, dall'augusto Pontefice dichiarate non illecite, con certe condizioni e cautele, in taluni paesi, unicamente in vista delle particolari circostanze dei medesimi; ma riconosce altresì, nel modo più formale ed espresso, in conformità coi ripetuti insegnamenti della Santa Sede, che la questione sociale non è puramente economica, sibbene, in primo luogo, religiosa e morale, e, per questo rispetto, soggetta al giudizio ed all'autorità della Chiesa, e si propone di lavorare attivamente in tutti i campi della vita pubblica a norma della dottrina cattolica, affine di cooperare all'attuazione del nobilissimo programma del Santo Padre: « Instaurare omnia in Christo ».

Magna optat et sperat exinde bona.

Quindi Sua Santità loda ed incoraggia questi ottimi propositi, cui s'ispira il « Katholischer Volksbund », benedice le egregie persone le quali lo dirigono, e non dubita che, attenendosi a così sani principi e curandone, sotto la guida dei loro legittimi Pastori, la pratica applicazione, i cattolici dell'Austria potranno combattere vittoriosamente per il trionfo della verità, per il bene della Chiesa e della Patria e per la salvezza delle anime, insidiate, soprattutto ai giorni nostri, da numerosi e potenti nemici.

Dopo di ciò, mi è grato confermarmi con sensi di ben sincera stima

Della S. V. Illma e Rma

Dies (26 ian. 1914).

Dal Vaticano, 26 gennaio 1914.

Servitor vero
R. Card. MERRY DEL VAL.

(Katholischer Volksbund) », humiliter oblatum accurate perlegit, mihi gratum mandatum commisit significandi Illae et Revmae Amplitudini Vestrae quam suprema sua satisfactione acceperit ibi expressos sensus filialis devotionis ad Sedem Apostolicam et plenae docilitatis animi ad Ipsius documenta sequenda. Etenim in isto monumento, laudatus coetus omnem errorem doctrinae aut propensionis praecipue in re sociali et politica, non solum fortiter repudiat et ab introducendis, in istis catholicis regionibus, societatibus istis interconfessionalibus quas, in quibusdam partibus, certis legibus et cautelis, mere propter particularia istorum locorum adiuncta, non illicitas Pontifex declaravit, animum prorsus alienum profitetur; verum etiam, modo maxime formali et explicito, sicut S. Sedes non semel docuit, quaestionem socialem non mere oeconomicam sed primo religiosam et moralem esse et propter istum respectum iudicio et auctoritati Ecclesiae obnoxiam esse fatetur, et consilium cepit diligentem in omni vitae publicae parte, secundum doctrinam catholicam, operam dandi ut nobilissimae intentioni Sanctissimi Patris « Instaurare omnia in Christo », perficiendae cooperetur. Quare Sanctissimus Dominus optima ista proposita quae a « Katholischer Volksbund » foventur laudat et iuvat, egregiis personis a quibus regitur benedicit, nec dubitat quin, dum sana ista principia tenent et in usum, sub legitimorum suorum Pastorum ductu, transferunt, catholici Austriaci valeant ad victricia signa conferenda pro veritatis triumpho, Ecclesiae et Patriae utilitate, et salute animarum quibus, hodie praesertim, tot potentes hostes insidias moliuntur.

« Restat iam ut cum sincerae existimationis affectu libenter me confirmem

Amplitudinis Vae Illmae et Revmae

Ex Vaticano, 26 ian. 1914.

Servum verum
R. Card. MERRY DEL VAL.

ANNOTATIO

Rescire iuvabit bene notam personam Viennensem, de qua in modo exscriptis litteris agitur, esse comitissam CHOTEK, piam dominam, quae patrocinatur coetui dicto Orel, cui opponitur coetus christianus socialis dictus a Kunschak. Haec itaque matrona, exeunte anno 1913, paterne a S. Pontifice excepta, sibi et operibus suis benedictionem et laudationem obtinuit. Subinde impetravit etiam ut summaria audientiae relatio a S. Pontifice approbaretur et privatim communicari permitteretur. Haec autem cum eadem matrona utrique coetui Orel et Kunschak per litteras « encyclicas » ut aiebant, nota fecisset, occasionem dederunt interpretationum quas E^mus^ Cardinalis Status hisce suis litteris retundere sibi proposuit.

---

3. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTOLA « EX QUO », 7 MART. 1914

Ad Ordinem Fr. Carmel. Excalceatorum eiusque Praepositum Generalem, tertio pleno saeculo ab honoribus S. Theresiae tributis (A. A. S. 31 mart. 1914, 6, 137.)

Vi exemplorum permotus, ut omnia in X^o^ instauret, S. Pontifex occasiones celebrandi sanctos libenter arripit.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. — **Ex quo** Nostrae humilitatem personae ad fastigium Pontificatus evexit divina benignitas, hoc Nobis pro Apostolico officio cum primis duximus faciendum, ut quandocumque sollemnis se obtulisset occasio ad celebrandos filios Ecclesiae, virtutum splendore, doctrinae laude rerumque gestarum gloria maxime nobilitatos, ea Nos perdiligenter uteremur. Cum enim ad movendos animos multo plus facta quam verba valeant, semper Nobis persuasum fuit, illi proposito, quod urgemus, instaurandi omnia in Christo, non tam hortamenta Nostra conducere, quam exempla eorum qui studiose in Christum ipsum, imitationis causa, intuentes, eius in se formam sanctitatis mirifice expressissent. Itaque in saecularibus sollemnibus Gregorii Magni, Ioannis Chrysostomi et Anselmi Augustani litteras ad orbem catholicum dedimus, quibus eorum laudes persecuti sumus: similiterqne haud ita pridem Caroli Borromaei celebrem commemorationem egimus, tertio exeunte saeculo postquam in Sanctorum numerum est relatus.

Quare intentionem Carmelitarum laudat sollemniter commemorandi beatificationem S. Theresiae.

Iam sollemnitatem id genus, dilecti filii, inclito Ordini vestro proximus aprilis allaturus est, quod ipsos trecentos ante annos decessor Noster Paulus V beatorum caelitum honores Theresiae, Matri legiferae, decrevit; vosque, ut affertur, in generali coetu Ordinis, suscepistis nuper consilium, actuoseque paratis laetabilis facti memoriam sollemnibus sacris ac multiplici gratulantis animi significatione prosequi. Hoc enimvero Nos admodum probamus, libenterque, totius Ecclesiae nomine,

S. Theresia commune est catholici orbis decus et lumen.

domesticae laetitiae vestrae venimus in partem. Nam commune orbis catholici decus et lumen, idque e praeclarissimis, quibus ipse ornatur, non sane postremum Abulensis Virgo est ; quam : « Dominus implevit « spiritu sapientiae et intellectus et thesauris gratiae suae adeo illustravit, « ut splendor eius, tamquam stella in firmamento, fulgeat in domo « Dei in perpetuas aeternitates » *(Bull. Canoniz.)*. Ita Gregorius XV de Theresia, et verissime quidem, praedicavit : tanta enim tamque utilis ad salutarem christianorum eruditionem fuit haec femina, ut magnis iis Ecclesiae Patribus et Doctoribus quos memoravimus, aut non multum aut nihil omnino cedere videatur.

Naturae et gratiae dotibus abundavit.

Etenim ad caeleste magisterium, quod gessit, sanctae disciplinae, mirum in modum ipsa eam natura conformavit. Singularis erat et acies mentis et magnitudo benignitasque animi et iudicii constantia et rerum hominumque prudentia, nec minus iucunditas ingenii et morum suavitas, quae omnium illi animos conciliaret. Sed multo admirabiliora his naturae bonis illa erant supra naturam. Non paucos quidem vitae sanctimonia divinarumque rerum scientia praestantissimos viros haec habuit aequales — adeo ut illa Hispaniae catholicae aetas aurea recte nominari posset — ; at quibus, ex eo numero, consiliariis aut familiaribus uti consuevit, eorum omnium in se virtutes et charismata cumulasse dicenda est.

Longum profecto est et alienum proposito, si, quaecumque in hac femina eluxerunt, persequi omnia scribendo velimus ; sed tamen non nulla de virtutibus eius vobis proponere, dilecti Filii, quae et ipsi non sine fructu recolatis, et per vos christianus populus addiscat, valde his temporibus opportunum arbitramur.

Quanta fide praedita fuerit,

Ac primum omnium, cum videmus, quae modulum rationis humanae superant quaeque angustum sane naturae gyrum excedunt, ea nunc a tam multis temere neglegi, aut etiam pervicaciter, ut nulla, contemni, iuverit recogitare quanta Theresiae fuerit Fides. Quam cum sit *sperandarum substantia rerum*, id est quasi radix quaedam in homine divinae ac caelestis vitae et fundamentum quo tota christianae perfectionis tamquam fabricatio nititur, mirabile est quomodo haec ex fide viveret, et sola fides omnia ipsius consilia, verba, factaque gubernaret. Ecclesiam igitur, magistram veritatis, nemo oboedientius coluit, nemo doctrinis eius adhaesit firmius ; atque non modo nec haereticorum fallaciis nec diaboli insidiis umquam commoveri potuit ; sed etiam scriptum reliquit, si aut aliquis angelus aut missa de caelo vox quid sibi nuntiaret credendum quod cum Ecclesiae doctrina parum congrueret, nequaquam se fuisse crediturum. Quare paratissimam scimus fuisse milies mortem oppetere, si opus esset ad defensionem fidei : neque enim quicquam ei erat tam perspicuum atque evidens, quam christianorum veritas dogmatum ; quae quidem quo humanae mentis accumini impenetrabiliora erant, eo vehementius in ea Theresiae assensus ferebatur.

Itaque ad Sacramentum augustum cum accesserat, sic animo affici videbatur, quasi in contemplatione tanti mysterii toto pectore conquiesceret : nempe, ut idem Gregorius decessor Noster ait, « Domini nostri « Iesu Christi corpus in sanctissima Eucharistia mentis oculis adeo clare « intuebatur, ut assereret nihil esse quod invideret eorum beatitudini qui « corporeis oculis Dominum conspexissent » *(Bull. canoniz.)*. Ac merito

suae fidei consecuta etiam est, ut arcana Dei, vel altissima omnium longissimeque ab hominis intellegentia sensuque disiuncta, cum penitus, quoad humana mens in hac mortali concretione potest, introspiceret, tum percommode interpretando explanaret : in quo non absurde iis quibus magistris pietatis utebatur, visa est comparanda cum Moyse, cui licuit alloquio aspectuque Dei ipsius frui.

et zelo dilatandi regni Dei.

Hoc tantum Fidei donum quam vehementer cuperet cum ceteris qui carerent, communicare, quis ignorat ? Nondum e pueris excesserat cum statuit deliberavitque traicere in Africam, feris iis gentibus « Christum datura aut sanguinem » *(Hymn. Breviar.)*. Quod cum nequiquam tentasset, miseram ethnicorum et haereticorum sortem, usque dum vixit, deflere, sancteque invidere iis qui animos hominum ab errorum vitiorumve tenebris ad lucem veritatis vel virtutum traducerent. Verum, si muliebris sexus et vitae condicio sibi ad apostolicum munus erant impedimento, Eliae tamquam induta spiritu, *apostolatum* quem vocant *precum* et *paenitentiae* instituit. Propterea, quam prohiberetur fidei propagandae dare operam, eam omnem eo contulit, ut evangelica strenue sequeretur consilia, quippe non dubitans quin suis precibus, quibus christiani nominis incrementum et animarum salutem flagitabat, maius apud Deum pondus commendationis ex innocentioris vitae instituto accederet. Denique studium, quo flagrabat, tuendae vulgandaeque christianae doctrinae inde etiam apparet, quod plurimi *catechismum* faciebat, neque alium librum malebat filiae suae in manus crebro sumerent studioseque lectitarent.

Qua pietate Christum coluerit.

Illud quoque est in praecipuis Theresiae laudibus maximeque tam alieno saeculi more praedicandum, singulari eam pietate Iesum Dominum coluisse. Dolendum est enim id vulgo oblitterari, quod Apostolis, quaerentibus qua via ad Deum contenderent, Christus respondit : *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me* [1]. Id scilicet *Quietistae* qui tunc appellabantur, item ut quidam huius memoriae novatores, oblivioni dabant ; sed alte in mente et in animo huius virginis insidebat. Ergo, quae accepisset a Deo beneficia, Christo tribuere ; quicquid a Deo exspectaret boni, a Christo exspectare ; Christum unice vel magistrum ad conformandos mores, vel ducem ad ascendendos divinae contemplationis gradus habere ; qui de Christo ita sentirent, eos beatos dicere ; miserrimos vero, utpote Fidei expertes, qui contra. Ab his autem sensibus non sane ratio vivendi discrepabat : neque enim aliud summa semper contentione studuit, nisi ad Iesu Christi exemplum vitam exigere, eiusque magis ac magis in se effingere imitando imaginem, ut iure illud usurparet Apostoli : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* [2].

Intime Christo conluncta, arcana caelestia edocta est.

Talem vivendi praeceptorem cum sibi propositum haberet, mature abdicare terrena omnia didicit, diligenterque tum vel minimas animi eluere maculas, tum ornamenta virtutum consectari. Itaque sensim ad eam Domini sui simultudinem pervenit, ut quicquid Ipse, cum aevum mortale ageret, aerumnarum, sollicitudinum dolorumque passus esset, id omne Theresia itemque solita Eius et gaudia, intima caritatis com-

---

[1] Io., XIV, 6.
[2] Philip., I, 21.

municatione, sentiret. Quae caritas cum ita inflammet animum, ut aciem quoque mentis illustrando exacuat, singulari Dei munere huic contigit, ut non modo Christi Hominis perfectas cumulatasque virtutes perspiceret, sed etiam inaccessa Verbi penetralia contemplando attingeret, dignaque fieret, cui non pauca Trinitatis augustae aperirentur arcana et quae Filium Dei audiret cum sibi diceret: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem; iam ipse sum totus tuus et tu tota mea* [1].

Summopere SS. Eucharistiam et Ecclesiam amavit.

Huius foederis quam diligenter servarit officia, nihil attinet disserere: cognitum est eam, cum antea non quae sua essent, sed quae Iesu Christi, consuevisset quaerere, postea usque ad extremum spiritum iam non sibi vixisse, sed Christo. Sed omnino est animadvertendum, quemadmodum, maiori Sponsi gloriae studens, sese erga illa duo praesertim gesserit, maxima ex omnibus, quae infinitus Iesu amor invenit, quaeque, utpote ex animo vel supremum decedentis vel in cruce dormientis profecta, debent optimo cuique esse carissima: Eucharistiam dicimus et Ecclesiam.

Eius studia eucharistica.

Nam quis magnificentius umquam Dei laudavit sapientiam et benignitatem qui, tali Sacramento condito, incredibili modo et sese exiguitati Nostrae accommodasset, et suae caritati satisfecisset, et sacrificium, quo semel humani generis salutem redemerat, in perpetuum prorogasset? Quis Panem Angelorum appetivit ardentius? Quo enim tempore hanc mensam ipsi boni haud ita saepe frequentabant, cotidie Theresia ad eam accedebat, et quidem tam cupide, nulla ut vi, ne si obstaret quidem gladiorum seges, a divina dape prohiberi posse videretur. Quis cum homines cerneret tam se in hoc Sacramentum aut negligentes exhibere aut impios, indoluit vehementius? Quis iniuriae huic mysterio immensae caritatis illatas studiosius compensavit? Quod ipsum ut suae quoque alumnae summo cum studio facerent, hortari eas non desiit. Atque haec aliquando, quasi non ferens nimiae aegritudinis morsum, supplex clamabat ad Deum, ut aut improbitati tantae hominum ingratissimorum celeriter finem imponeret, aut orbem terrarum funditus everteret.

Quid Ecclesiae praestiterit.

Communem vero christianorum matrem quanto opere dilexit! quae affirmabat neminem posse amare Deum ex animo, quin uti Iesu Christi gloriam, ita Sponsae eius incrementa quaereret. Quantum Ecclesiae in rebus omnibus, deditissimae filiae more, profitetur obsequium! Quam divinis effert laudibus datam Ecclesiae a Christo eius auctore potestatem! Etenim, si non — ut potest rem specie tenus aestimantibus videri — nimium, certe mirum est, tam Spiritus Sancti donis ornatam feminam, quae divinae maiestatis consuetudine quasi familiariter frueretur, tanti fecisse ea divinae gratiae adminicula quae sacramentalia vocantur, ut pro iis atque adeo pro minimo Ecclesiae sanctae ritu vel milies emori paratam se diceret. Ut autem erat acris iudicii et caelestis sapientiae plena, non eam sane illud fugit vel secundas vel adversas Ecclesiae res, magnam partem ab ipsius administrorum pendere moribus, multoque plus ad animarum salutem unum proficere sacerdotem qui recte in officiis suis ambularet, quam plurimi qui claudicarent. Quare, cum dolet non sine lacrimis quod videt Ecclesiam tantis iactari fluctibus tamque

[1] Bulla Canoniz.

multos in sempiternum interitum ruere, simul et vitae austeritate corporisque castigatione multiplici et humilium assiduitate precum a Deo contendit, ut affluat Ecclesia sacerdotibus, qui probe doctrina ac virtutibus idoneis instructi, sic aliorum saluti serviant, ut suae non capiant detrimentum.

Intentione apostolica Ordinem reformavit.

Nec vero satis Theresia habuit ipsa per se in commune prodesse; sed — quae natura caritatis est, ut beneficam vim suam in quam plurimos possit, effundat — alios sibi ascivit adiutores, quos deinde instituti sui ac studii heredes relinqueret. « Postquam mirabili victoria carnem « suam perpetua virginitate, mundum admirabili humilitate et cunctas « adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus superasset, excel- « siora moliens et virtutem sexus animi magnitudine supergressa, accinxit « fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum et instruxit exer- « citus fortium, qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege eius et pro man- « datis eius armis spiritualibus decertarent » *(Bull. canoniz.)*. Concitata enim duplici Eliae spiritu, divinitusque cum altero parente vestro, Ioanne, conspirans, illustrem Ordinem cui nomen dederat, ad veterem disciplinae severitatem revocare aggreditur. Magnum sane propositum atque ad peragendum perdifficile; quod eam tamen feliciter, opinione celerius, assecutam esse nemo ignorat. Itaque, Theresiae maxime opera, licuit per id tempus ingentem admirari hominum multitudinem qui, cum ex agitatione communis vitae ad vacandum Deo secessissent, duro quidem vivendi genere at multa caelestis contemplationis suavitate mollito, priscos illos Carmeli et Thebaidis anachoretas aemularentur, iidem vero quidquid contemplando didicissent conducibile ad aeternam vitam, id omne deinceps vel paenitentiae et precum apostolatu quem diximus, vel actuosa sacrorum perfunctione munerum cum aliis communicarent. —

Laudes utriusque sexus Carmelitarum.

Equidem iam pridem novimus, dilecti Filii, non vos a virtute maiorum discedere, multoque minus degenerare a Theresiae spiritu: diu enim fuit Nobis cum Ordine vestro domesticus usus et consuetudo. Nunc autem, cum opportunitas datur, libet palam aperteque magnam eam profiteri benevolentiam qua tantae Matris tum filias tum filios merito complectimur. Et vero institutum vitae numquam satis laudandum illae tenent, quae mundi opibus, laudibus deliciisque nuditati Crucis posthabitis, cum sese in silentia sacri recessus abdiderint, ad aram christianae paenitentiae igne caritatis, gratae Deo victimae, absumuntur; atque, ignotae huic saeculo, saeculi tamen salutem interdiu noctuque implorare non cessant. Nec minus ii probandi sunt religiosi viri qui non adeo in divinarum rerum contemplatione versantur nihil ut tribuant actioni vitae, sed, utrumque rite et ordine insistentes, bonum Christi odorem, quem in suis claustris magnarum virtutum exercitatione collegerint, foras in communem fructum diffundere consueverunt. Quare vos, dilecti Filii, hanc duplicem in vita rationem et contemplandi et agendi, more institutoque Patrum vestrorum, non modo retinebitis constanter, sed efficietis etiam, ut vigeat semper in vobis et floreat. Nunc enim maxime, si umquam alias, talibus sacrorum administris indiget Ecclesia, qui utraque laude abundent, intimae cum Deo coniunctionis sollertisque erga homines caritatis, quales nimirum Theresia mater cum primis expetebat.

Ascetica et mystica S. Theresiae documenta sedulo conservanda sunt, quorum merita a Pontifice efferuntur.

Postremo, quoniam rerum novarum cupido, quae nimio plus hodie dominatur, in ipsum asceticae et mysticae disciplinae campum invasit, nemo non videt quanti referat in hoc duplici genere ea religiose custodire quae Theresia docuit. Namque « adimplevit eam Omnipotens spi« ritu intellegentiae, ut non solum bonorum operum in Ecclesia Dei « exempla relinqueret, sed et illam caelestis sapientiae imbribus irrigaret, « editis de mystica theologia aliisque etiam multa pietate refertis libellis » *(Bull. Canoniz.)*. Quos quidem qui perlegerit, is profecto ad vitam sancte instituendam nihil praeterea documenti desideret. Hic enim praeclara magistra pietatis tutam demonstrat viam inde a rudimentis vitae christianae ad absolutionem perfectionemque virtutis proficiendi ; hic rationes accurate tradit perquam accommodatas ad animi vel corrigendas pravitates vel sedandas perturbationes vel labes abstergendas ; hic denique legenti, quaecumque sunt virtutum incitamenta, suppeditat. Atque haec omnia explicans, non modo insignem ostendit rerum divinarum scientiam, sed etiam aperte indicat naturam omnesque latebras et recessus humani animi penitus sibi esse cognita. Ex hac autem tanta cognitione infirmitatis humanae, quae nimium quam debuit flectere tenerum pectus ad misericordiam, eoque magis ex ardore caritatis illa repetenda est vis orationis et suavitas, quae mirifice ad permovendos animos valet, ut pulchre decessor Noster fel. rec. Leo XIII de Theresiae scriptis affirmavit : « Inest in ipsis vis quaedam, caelesti quam humanae propior, « mirifica emendatrix vitae, ut omnino cum fructu legantur, nec ab iis « solum qui aut animis regendis student aut diviniorem vitae sanctimo« niam appetunt, sed plane ab uno quoque homine qui de officiis, de vir« tute christiana, hoc est de salute sua cogitet paulo diligentius » [1]. Iam vero, quod ad mysticam theologiam attinet, supremas illas quasi regiones spiritus tanta cum libertate peragrat disputando, ut ibi, tamquam in suo regno, habitare videatur. Nullum est enim huius disciplinae arcanum quod non acute rimetur, ac per omnes gradus contemplationis assurgens, in sublime fertur adeo, ut nisi qui divinas affectiones animi experiendo noverint, non assequi eam possint ; et tamen nihil exponit quod non ex intima theologia catholica petitum sit, exponit autem tam commode tamque perspicue, ut nobilissimi eius aetatis doctores admirarentur, quae de mystica theologia Patres Ecclesiae passim et obscure tradidissent, ea concinne in unum corpus ab hac virgine esse redacta.

Praecipue Pontifex notat quomodo Theresia virtutes contemplationi comites fecerit. Eius sapientia, praesens psychologia mystica magis utatur.

Nobis autem, in hac re considerantibus errores horum maxime temporum, illud admodum notatu dignum videtur, quod Theresia in motibus animi mysticis non modo accurate distinguit inter id quod humanum et quod divinum est, acuteque intellegentiae ac voluntatis partes describit, sed etiam iis ipsis motibus perpetuo vult virtutum omnium exercitationem comitari. Docet enim : gradus orationis quot numerantur, veluti totidem superiores in christiana perfectione ascensus esse ; immo hominis in oratione progressus hac una re maxime cerni, si religiosus officia servet, moresque sanctius conformare studeat ; quo denique magis quis Deo mystice *uniatur*, eo ferventiorem ipsius fieri erga alios caritatem, magisque de animarum salute sollicitam. — Haec omnia qui reputarit,

[1] Epist. ad M. Bouix e S. I., die 17 martii 1883.

intelleget quam recte quotquot de rebus scripsere tam arduis Theresiam uti magistram coluerint et secuti sint, et, quod maius est, quam iuste Ecclesia huic virgini honores qui Doctorum sunt, deferre consueverit, comprecans publico ritu Deum « ut caelestis eius doctrinae pabulo « nutriamur et piae devotionis erudiamur affectu ». Atque utinam qui de psychologia, ut aiunt, mystica nunc disserunt, a vestigiis tantae magistrae non discedere, aliquando animum inducant !

Haec encomia vulgata optat.

Habetis, dilecti Filii, praecipua quaedam de sanctae Theresiae laudibus ; quae quidem, divulgata per vos, non parum posse videntur et ipsius in populo augere cultum, et sacris saecularibus, quae acturi estis, addere celebritatem. Optabile enim est eam apud omnes bonos, notitia et veneratione florere « quae — ut ex his quae strictim diximus, liquet — « tamquam splendidissimum Carmeli sidus effulsit, et catholicam Eccle- « siam tum angelicae vitae virtutibus, tum caelestis sapientiae docu- « mentis, tum etiam laeta prole, tantae matris et magistrae exempla fide- « liter persequente, illustravit [1] ». — Ea vero sollemnia quo vobis aliisque fructuosiora eveniant, plenariam peccatorum veniam, quater anno MCMXIV vertente, concedimus omnibus, qui, cum usitatis Ecclesiae praescriptionibus satis fecerint, sive singulatim, sive catervatim, unam ex iis aedibus adeant, quae infra scriptae sunt :

Indulgentiarum beneficium.

vel aedem Carmelitarum Abulae, quo loco S. Theresia nata est ;

vel Abulensem Carmelitarum Excalceatarum, ubi emendandi sui Ordinis initium fecit ;

vel Carmelitarum Calceatarum Abulae, quo loco diu commorata est ;

vel Carmelitarum Excalceatarum Albae, ubi sacrum eius corpus requiescit.

Praeterea Indulgentiam item plenariam semel iis tribuimus qui quamlibet aedem aut publicum vel semipublicum oratorium prioris, alterius tertiique Ordinis Carmelitarum per eos dies celebraverint, quibus contigerit triduanas vel novendiales supplicationes in iisdem aedibus aut oratoriis haberi.

Benedictio.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, alumnisque sanctae Theresiae universis apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Dies (7 mart. 1914).

Datum Romae apud sanctum Petrum die VII mensis martii, in festo S. Thomae Aquinatis, anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. X

---

1 Leo XIII, epist. ad ep. Salmanticensem, *10 oct. 1882.*

4. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

RESCRIPTUM 12 MART. 1914

De festo S. Petri Claver in Belgica colonia [1]

Oratores.

Vicarii et Praefecti Apostolici Congi belgici, ad pedes S. V. devotissime provoluti, ad incrementum cultus et devotionis erga sanctum quem Leo XIII s. m. patronum caelestem peculiarem sacrarum ad nigritas missionum constituit atque declaravit, enixe flagitant :

1. Ut in tota dicione congolensi quae Belgio subiecta est, festum S. Petri Claver (9 septembris) confessoris, ab utroque clero ritu duplici primae classis, tum in officio tum in missa, celebretur.

2. Quia permulti nigritae christiani impediuntur quominus intra hebdomadam sollemnitates religiosas participent, ut eiusdem festi sollemnitas cum indulgentiis, in eadem dicione, ad Dominicam infra octavam Nativitatis B. M. V. transferatur.

Et Deus, etc.

Litterae Em. Card. Praefecti Prop. Fid. Diei 23 mart. 1914, referentes

S. Congregazione de Propaganda Fide.

Romae 23 martii 1914.

R. P. D. Victori Roelens, Vicario Apost. Congi Superioris.

Illme ac Revme Domine,

Gratiam *Dies (12 mart. 1914).*

S. Rituum Congregatio per litteras diei 12 vertentis mensis martii, petitioni Amplitudinis Tuae et aliorum Ordinariorum istius Belgicae Coloniae, circa festum S. Petri Claver Confessoris, respondit : « SSmum Dominum Nostrum, in audientia diei II eiusdem mensis, benigne concedere dignatum fuisse, ut festum praedicti S. Confessoris, ab utroque clero istius Coloniae, celebretur sub ritu duplici primae classis, 9 die septembris, ita tamen ut externa eiusdem festi sollemnitas celebrari possit cum una Missa cantata vel lecta, propria praedicti Sancti, in dominica infra Octavam Nativitatis B. M. Virginis. Huius tamen concessionis ratio habebitur quando S. eidem Rituum Congregationi Calendarium reformatum istius regionis exhibebitur pro praescripta revisione et approbatione ».

Quandonam concessionis ratio habenda sit.

Huc usque praedicta S. Congregatio.

Velis de omnibus ceteros Ordinarios certiores facere et interim Deum precor ut Te diu sospitet.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus servus,
Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus*,
C. Laurenti, Secretarius.

---

[1] Ex diplomate authentico.

Annotationes

1. Die 7 iulii 1896, Leo XIII, confirmans et approbans decretum S. R. C. 23 maii eiusdem anni [1], sanctum Petrum Claver, Confessorem e Societate Iesu, peculiarem apud Deum patronum sacrarum Missionum ad Nigritas suprema auctoritate sua declaravit et constituit, postulantibus quam plurimis ecclesiasticis viris ac praesertim Sacrorum Antistitibus apud Nigritas constitutis, sive in Africa, sive in America tam Meridionali quam Septemtrionali, sive in Australia aliisque partibus disseminatis.

Ex his facile concluditur sanctum Petrum Claver per hoc decretum non fuisse constitutum Patronum *illarum regionum* in quibus habentur Missiones ad Nigritas, nec proinde de iure, post hoc decretum, ipsi competere ritum Patronorum proprium. Sed neque praesenti decreto constituitur Patronus liturgicus regionis Congolensis : nihil enim de hoc dicitur; ac Patronus si foret, ipsi competeret ritus duplicis 1 classis *cum Octava.*

2. Praeter elevationem ritus, conceditur sollemnitas quae in dominica celebrari poterit infra Octavam Nativitatis B. M. V., seu, quod in idem recidit, in dominica quae festum sequitur, nisi ipsum festum incidat in dominicam, quo casu, in ipso festo celebranda erit sollemnitas.

In hac sollemnitate permittitur unica missa cantata vel lecta de Sancto. Haec missa permittitur in singulis ecclesiis et oratoriis publicis illius regionis, atque insuper ubi missionarius in pago dissito, in quo non exstat oratorium constitutum, celebrat in domo privata, vel sub dio praesentibus incolis hujus pagi. Contra, missam non putamus permissam in oratoriis privatis, vel ubi missionarius celebrat absque assistentia populi.

Haec missa celebranda erit ad normam missarum sollemnitatum per decretum 28 oct. 1913 permissarum, i. e. more festivo cum *Gloria* et *Credo,* addita oratione Officii diei, et aliis orationibus quae dicendae essent si festum in ipsa dominica occurrisset.

I. Pauwels, S. I.

---

[1] Analecta ecclesiastica, t. 5, 1897, p. 24.

5. — CONGR. RITUUM

RESCRIPTUM 28 MART. 1914

De titulo SS. Cordis Iesu eucharistici

(A. A. S. 31 mart. 1914, 6, 146.)

Quaestio *de ecclesia dicanda et imagine in altari.*

Nuper a sacra Rituum Congregatione exquisitum fuit : « An ecclesia « dicari possit sacratissimo Cordi Iesu eucharistico eiusque tituli Imago « seu Statua in altari maiori collocari ? » Et sacra eadem Congregatio respondendum censuit : « Episcopus Ordinarius loci in casu substituat « titulum liturgicum tam pro ecclesia quam pro Imagine seu Statua « cum respectivo festo die propria recolendo et Officio approbato, « ex. gr. SS. Redemptoris, vel sacratissimi Cordis Iesu, aut SS. Cor- « poris Christi, etc. : iuxta alia ipsius sacrae Congregationis responsa « in similibus casibus : quae omnino consonant praescriptioni sa. me. « Pii Papae IX diei 13 ianuarii 1875 et decreto S. Universalis Inquisi- « tionis feriae IV 27 maii 1891 : servatis de cetero quod ad sacras ima- « gines seu statuas decreto Tridentino sess. 25, *de veneratione sanctorum* « *et imaginum*, et Constitutione fel. rec. Urbani Papae VIII *Sacrosancta* « *Tridentina*, 15 martii 1642 (Decr. S. R. C. n. 810) ».

Responsum, *additis auctoritatibus.*

Dies (28 mart. 1914).

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 28 martii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus,*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

Litterae de corde Iesu eucharistico et avertendis animis a novis pietatis formis.

Decreto S. U. I. feria IV 27 maii 1891 per litteras diei 30 eiusdem mensis et anni communicato sacrae Rituum Congregationi, sancitum fuit : « Nova emblemata sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab « Apostolica Sede approbanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse « imagines SS^mi Cordis Iesu in Ecclesia iam usitatas et approbatas ; quia « cultus erga SS. Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga « ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga SS. Cor Iesu ». Insuper ad memoriam et normam revocata fuit praescriptio sa. me. Pii Papae IX diei 13 ianuarii 1875, nempe « monendos esse fideles, etiam scriptores, « qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id genus argumentis quae « novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam « per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant « ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem « etiam circa Fidei dogmata, et causam praebendi Religionis osoribus « ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati ».

ANNOTATIONES

1. Praeter praescriptum a PIO IX 13 ian. 1875, et decretum S. Officii, 27 maii 1891, quae ei subiciuntur, in ipso rescripto decretum Concilii Tridentini, s. XXV, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus,* et Breve URBANI VIII, *Sacrosancta*, 15 mart. 1642 appellantur.

Age porro, Tridentina synodus statuit « nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. »

URBANUS vero VIII ultra progreditur. Cum enim imagines D. N. I. C. et B. M. Virginis ac Sanctorum pingi paulatim coeptae essent cum habitibus Ordinum regularium, ut Carmelitarum, Cruciferorum, vel Nationum, ut Gallicae, Hispanicae et similium : quod non tantum a veritate remotum erat sed etiam discidia gignebat et avaritiae fomitem praebebat, URBANUS VIII, laudata lege, vetuit ne imagines insolito habitu et forma publico aspectui proponerentur [1].

2. Quamvis, ex praesenti rescripto, ecclesia titulo Sacratissimi Cordis Iesu eucharistici dicari vetatur, ne inde existimes ipsum cultum eucharistici Cordis Iesu in aliquam reprehensionem incurrisse. Huic cultus rationi decretum S. Officii 27 maii 1891 potius repugnare fatendum est. Sed antea et deinde SS. Pontifices specialem cordis eucharistici invocationem indulgentiis fovere visi sunt. Sic iam 29 febr. 1868 PIUS IX centum dierum indulgentia hanc laudationem auxit: « Laudetur, adoretur, ametur, et benedicatur (*remercié*) singulis momentis Eucharisticum Cor Iesu in omnibus mundi tabernaculis, usque ad consummationem saeculorum. Amen. » Cuius gratiae authenticum diploma in S. Indulgentiarum Congregationis Secretaria depositum esse, fides exstat 7 mart. 1868 [2]. Anno autem 1902, 17 iun. LEO XIII, indulgentiam preci in honorem SS. Cordis Iesu eucharistici concessit litteris in forma brevis quae sic exordiuntur : « Cum Nobis nuper exhibita fuerit oratio quaedam in honorem SS. Cordis Iesu eucharistici, *a SS. Rituum Congregatione iam approbata*, itemque postulatum ut ipsam non nullis indulgentiis ditaremus, Nos, *ut fidelium pietas erga cor Iesu eucharisticum magis magisque excitetur, foveatur...* [3] ». Idem subinde Pontifex, auctoritate Apostolica, 16 febr. 1903, archisodalicium *titulo Eucharistici Cordis Iesu* in templo Urbis S. IOACHIM instituit [4]. Atque exstat probatum summarium indulgentiarum huic archisodalicio concessarum, quod S. Indulgentiarum Congregatio, die 24 nov. 1903 vulgari permisit [5]. Denique, brevi 19 dec. 1904, SS. D. N. PIUS Pp. X indulgentiam alii laudationi SS. Cordis Eucharistici benigne tribuit [6].

---

1 Cfr. Decr. authentica S. Rit. Congr. n. 810.
2 Cfr. BLOT, *Le Cœur eucharistique*, t. 1, p. 42. Paris, 1872.
3 Cfr. ANALECTA ECCLESIASTICA, 1902, p. 321, 322.
4 Ibidem, 1903, p. 105.
5 Ibidem, 1903, p. 490.
6 Ibidem, 1905, p. 13.

3. Bifariam ipsa cultus ratio concipi potest [1]. Etenim SS. Cor Iesu vel tamquam in Eucharistia praesens, vel tamquam auctor SS. Eucharistiae speciali cultu honoratur. Quae posterior ratio Leoni XIII potissimum accepta fuit. Sic enim in litteris 16 febr. 1903 intentionem sodalitatis quam instituit explicat : « Non dissimili prorsus cultu atque illo quem Sacro Cordi profitetur, tantum peculiaribus venerationis, amoris et grati ac reverentis animi studiis, illum recolit supremae dilectionis actum quo Redemptor Noster omnes Cordis sui divitias effundens, ut nobiscum ad exitum usque saeculorum moram ageret, adorabile instituit Eucharistiae Sacramentum. »

---

6. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO « IAM PRIDEM » 19 MART. 1914

De Italis ad externa emigrantibus

(A. A. S. 23 april. 1914, 6, 173)

PIUS PP. X

Emigrantium Italorum numerus ac pericula.

Iam pridem ex Italia ingentem hominum numerum quotannis vel necessitas cotidiani victus vel melioris fortunae cupiditas in transalpinas praecipueque in transmarinas regiones deducit ; neque est qui ignoret frequentissimas in omni America et apud Gallos, Germanos aliosque populos esse colonias Italorum, partim stabiles ac perpetuas ibi sedes habentium, partim de reditu in patriam cogitantium, simul ac certam argenti vim manu et labore confecerint. Horum vix credibile est, quanto in discrimine catholica fides christianique mores saepe versentur, nedum sint extra aleam ipsa, quae sperarunt, huius mortalis vitae emolumenta. Plerique enim, ut natura simplices ac rerum imperiti, iidemque fere non satis doctrina Religionis instructi, cum in loca devenerint quorum nec linguam nec instituta norunt, facile in insidias, usquequaque paratas, incidunt hominum improbissimorum, qui vel eos ad sectas societatesque fidei vitaeque christianae inimicas adiungant, vel opera ipsorum ad immodicos quaestus abutantur.

Ipsis ut succurratur caritas et communis utilitas suadent.

Omnino igitur faciendum est, ut his, cum domo emigraverint, assint peregre, qui eorum tum religiosas tum civiles rationes studiose curent. Postulat hoc christiana caritas, requirit causa humanitatis, atque etiam suadet utilitas communis. Vehementer nimirum interest civitatis hospitae inquilinos cives observantes religionis permanere et frugi : sed idem non parum debet interesse patriae ; cuius in sinum aut illi se recepturi sunt, aut certe multiplicem cum ea necessitudinem rationum et officiorum conservaturi. Itaque Apostolica Sedes, quae universi catholici nominis

---

[1] Cfr. nostrum opus *Pratique et Doctrine de la dévotion au Sacré Cœur*. Tournai, 4 éd.

paternam curam agit, cum pro aliis omnibus, qui emigrare solent, tum maxime consuevit vigilare pro Italis, quorum multo frequentior quam ceterorum emigratio est. Quapropter nullam praetermisit occasionem, quae privatim publiceve daretur, ad eorum causam episcopis commendandam, alios quidem hortando ne qui cuiusvis rei gratia e sua dioecesi abiissent, eos desinerent respicere ut suos; alios autem admonendo, ut qui in suam dioecesim peregre venissent habitatum, iis adiuvandis, usque dum ibi manerent, eandem operam pro gravis officii conscientia impenderent, ac ceteris de suo grege, atque eo maiorem etiam, quo magis esse necessariam intellegerent.

Quae S. Sedes iam fecerit.

Huius vero sollicitudinis Apostolicae de salute emigrantium, praecipue ex Italia, documento sunt cum dilecti filii Nostri Cardinalis a Negotiis Publicis epistola diei VII septembris anni MCMXI, tum Nostrae litterae, quibus Motu-proprio officium peculiare de spirituali emigrantium cura apud S. Congregationem Consistorialem instituimus, tum decreta S. Congregationis Concilii de non recipiendis in clerum Americanum nisi iis sacerdotibus Italis, qui studio animarum exemploque vitae utiles sacrorum administri fore viderentur.

A se facta praecipue memorat Pontifex.

Suffragante igitur curis Pontificis diligentia episcoporum, feliciter factum est, ut in compluribus Americae, Galliae et Germaniae dioecesibus multitudines Italorum quae illuc immigrarant, praeclara invenirent adiumenta, idque praesertim opera sacerdotum, qui eiusdem nationis essent, aut eorum linguae morumque non essent ignari. Ad haec, ut erat consentaneum, per Italiam *comitatus*, quos vocant, et *patronatus*, emigrantium causa, bene multi exstiterunt, aliaque id genus ab episcopis aliisque de clero, atque ab ipsis laicis, viris egregie munificis, christianaeque sapientiae perstudiosis, instituta. In quo singulari cum laude commemorandae sunt illae religiosorum ordinum itemque Sororum familiae, quae ad opitulandum omni caritatis officio iis qui caelum mutarent, plures e sodalium numero suasque domus non paucas destinarunt. At vero, cognitum experiendo est haec omnia saepe minora esse quam quae sunt opus, propter continuos emigrationis auctus et mobilitatem; illud autem hac in re praecipue desiderari, sacerdotum e clero saeculari copiam qui rite ad hoc munus instituti sint.

Istorum studiorum fructus laeti quidem non tamen sufficientes collecti.

Quare nos, cum velimus huic necessitati, quantum est in Nobis, occurrere, medicinam adhibendo qua malum radicitus curetur, diligenter perpensa consirataque re, de consulto etiam Congregationis Consistorialis, in hac alma Urbe Collegium sacerdotum Italis peregre adiuvandis instituere decrevimus, ac per has litteras Motu-proprio instituimus. In id autem Collegium ne admittantur nisi iuvenes sacerdotes Itali de clero saeculari, qui e consensu iussuve sui quisque episcopi advenerint: iique manebunt ibi annum aut biennium, quoad sermonem, mores et instituta addiscant alicuius ex externis regionibus in quibus Italorum coloniae sedem habent; itaque plenius instructi utiliorem navare operam suis popularibus possint. Quibus vero in aedibus habitare, quibus legibus gubernari Collegium debeat, mox aliis litteris declaraturi sumus.

Quare in Urbe collegium sacerdotum saecularium Italis peregre adiuvandis Pontifex instituit. In eo peritiam regionis exterae sibi comparabunt.

Interea sacrorum Antistites Italiae, eosque praecipue qui multos numerant e sua dioecesi profectos, rogamus, ut si quos in suis sacerdotibus vel clericis animadverterint idoneos, ad hoc Institutum eos destinent. Illi autem quorum sub dicione Italorum coloniae sint non satis ope

Italiae episcopi idoneos ad collegium istum mittant.

instructae sacri ministerii, hoc ipso Instituto habebunt id quod episcopi praesertim Americae pluries Apostolicae Sedi significarunt sibi maxime esse in votis; id est, habebunt unde sacerdotes dignos quaerant et ad ministrandum Italis ibi consistentibus appositos. Atque ita facilius quoque erit aditus in Americam iis intercludere minus probatis sacri ordinis hominibus, qui non se illuc transferre cupiant Iesu Christi amore impulsi aut caritate animarum, sed rerum suarum promovendarum gratia. Verum hanc ipsam ob causam proxime, S. Congregationis Consistorialis decreto, alias easque pressiores praescriptiones dabimus.

Fructus ex institutione sperati.

Iam, quod ad tuitionem huius Collegii attinet, itemque ad aequabilem subsidiorum partitionem in omnia ea opera quae, Apostolica Sede probante, sunt pro emigrantibus instituta, petimus ab *Ordinariis* Italiae, ut quae fieri solet stipum collatio, quamque nuper commendavimus, pro *Missionalibus Emigrationis* qui dicuntur, eandem posthac omnibus quae dicta sunt, operibus tuendis in primisque constituendo huic Collegio faciendam curent; summamque ex collatione redactam ad proprium emigrationis Officium, quod apud S. Congregationem Consistorialem est, mittant. Sed, praeter collationem huiusmodi, quisquis magna rei utilitate permotus, aliquid pecuniae ad illud ipsum Officium miserit, Nobis fecerit gratissimum.

Quo pacto subsidiis consulatur.

Quod reliquum est, Deum comprecamur, velit Nostrum sua gratia fovere propositum, atque efficere ut illud uberrimos, quos exspectamus domi forisque, salutis animarum efferat fructus.

S. Pontificis optatum.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX mensis martii in sollemni commemoratione S. Ioseph Sponsi B. M. V. anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies (19 mart. 1914).

PIUS PP. X

Annotatio

1. Universalis utilitas quae ex instituto collegio speranda est nos movit ut hoc pastoralis sollicitudinis documentum plene exscriberemus.

2. Observes ab ipso Pontifice in Italis notari quod passim a multis in ipsis desiderabatur: non sufficientem doctrinae christianae cognitionem. Plures, devotiunculis quibusdam addicti, notitia rerum etiam fundamentalium saepe destituuntur.

3. In fine sui decreti S. Pontifex festum 19 martii designat nomine quod ex decreto 26 nov. 1913 suppressum est. Pro « commemoratio sollemnis S. Ioseph » iam ponendum est: « Festum S. Ioseph ».

7. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM « ETHNOGRAFICA », 25 MART. 1914

De sacerdotibus in certas quasdam regiones demigrantibus (A. A. S. 23 april. 1914, 6, 182)

Quae detrimenta pariat imprudens sacerdotum in Americam profectus.

Ethnografica studia, quae postremis hisce annis in plurimis Americae civitatibus confecta sunt, evidentissime comprobarunt, migrationem in eas regiones sacerdotum qui pietate, doctrina vitaeque disciplina plene instructi non sint, non modo catholicae fidei detrimento esse solere, sed etiam in gravem ipsorum perniciem cadere : apparuit quoque, quanta sapientia eiusmodi demigrationem sacrae Congregationes Concilii et de Propaganda Fide, latis ea de re legibus, moderatae sint et circumscripserint.

Istius regionis pericula.

Tam late enim eae patent dioeceses ferme omnes ; ea inde consequitur remissio Pastoralis vigilantiae, praesertim in sacerdotes advenas ; tanta incidunt pericula et impedimenta e sectarum frequentia, ex perpetuo cum acatholicis commercio, ex ea quae ibi in plurimis obtinet libertate et ex aliis rerum locorumque condicionibus, ut ipsi boni, cum maxima non sustinentur virtute, paulatim tepescant, qui vero et doctrinae subsidio carent et vix ulla nituntur disciplina vitae, a recta via saepe deflectant, et non raro cum maxima fidelium offensione et religionis detrimento ad extrema deveniant, adeo ut, qui magistri esse debebant veritatis, ii ministri efficiantur erroris et impietatis.

Episcoporum vota.

Quapropter complures probatissimi viri, ac praesertim illarum regionum Episcopi, tum coram, tum scriptis, ab Apostolica Sede efflagitarunt, ut huic tanto malo novis iis vellet subvenire remediis quae tempus postulasset.

Decreti obiectum et approbatio pontificia.

Re itaque in plenariis S. Congregationis Consistorialis comitiis disceptata, Emi Patres censuerunt novum ferendum esse Decretum quo, confirmatis praescriptionibus a S. Congregatione Concilii aliquot ante annos providenter editis, ea adderentur quae, de Episcoporum complurium consilio et experientia duce, necessaria vel opportuna visa essent.

Cum autem SS. D. N. Pius PP. X sententiam Emorum Patrum probaverit, de eius mandato haec statuuntur ac publici iuris fiunt, sancte et ex conscientia ab omnibus ad quos spectat servanda.

Caput I

De sacerdotibus in perpetuum aut ad diuturnum tempus migrantibus.

Orientalibus iam provisum est. De saeculari clero latino haec statuuntur. Requiritur : testimonium.

Integra lege S. Congregationis de Propaganda Fide de sacerdotum orientalis ritus migratione, quod attinet ad clerum saecularem latini ritus haec in posterum lex esto :

1. Nulli fas sit in Americam et ad insulas Philippinas migrare nisi *bonum testimonium habeat intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ad quos transire postulat, necnon moralem certitudinem praestet, numquam a se*

maculatum iri sacerdotalem dignitatem, prout S. Congregatio Concilii, decretis d. 27 iulii 1890 et d. 14 novembris 1903 latis, statuit et sanxit.

Episcopi ad quem et a quo assensus.

2. Qui vero bonum testimonium habent de quo supra, quamvis cum Ordinario eius loci in quem conferre se cupiunt, agere possint ut in eius dioecesim excipiantur, iis tamen migrare ne liceat, nisi ante episcopus loci *ad quem* se eos excepturum spoponderit, concesso aliquo ecclesiastico officio, et Ordinarius eorum proprius discessoriales litteras in forma specifica dederit, secundum ea quae infra praescribuntur.

Quibus legibus dandus.

3. Ordinarius loci *ad quem* neque excipiat neque se excepturum promittat sacerdotem, ante quam, directo permutatis cum episcopo eiusdem proprio secretis litteris, certo testimonio eum sciverit esse dignum, quem ad normam art. 1 admittat.

Ordinarius vero loci *a quo* discessorialibus ad migrandum litteris sacerdotem ne muniat: *primo*, nisi is ex aliquo canonico titulo ad suam pertineat dioecesim; *secundo*, nisi iure possit testimonium de eo ferre bonum; *tertio* denique, nisi ante ex litteris Ordinarii loci *ad quem* sibi constiterit eundem sacerdotem ibi acceptum iri et aliquo functurum esse officio.

De quarum omnium observantia praescriptionum conscientia Ordinariorum graviter oneratur.

Discessoriales litterae debent esse ad Ordinarium ad quem *definite directae, et personam describere cui dantur.*

4. Discessoriales litterae demigrationis causa ab Ordinario sacerdotis proprio non ad quemlibet Ordinarium in genere dandae sunt, sed plane nominatim ad ipsum loci in *quem* Ordinarium, et, praeter consuetum testimonium, exhibere debent notas aetatis hominisque individuas, quibus ita figura habitusque personae describatur, ut eius circa *identitatem* nemo decipi possit. Litterae, quae sint aliter exaratae, nihil valeant et habeantur nullae.

Italiae episcopis licei rem S. Congregationi deferre.

Hac tamen cura exarandi eiusmodi litteras Italiae episcopi relevantur qui, peractis iis quae in superiore articulo praescripta sunt, rem deferent ad sacram hanc Congregationem, quae scriptis licentiam dabit, cum utroque Ordinario communicandam.

Venia peculiaris requisita pro Philippinis insulis.

5. Hoc autem erit proprie ac peculiariter iis servandum qui ad Philippinas insulas sint migraturi: ut veniam migrandi, si ex Europa sint, ab sacra hac Congregatione Consistoriali petere sine ulla exceptione debeant; si vero sint ex America, a Delegato Apostolico qui Washingtoniae C. D. sedem sui honoris habet: integris, ad reliqua quod attinet, regulis superius statutis.

Quid de iis qui iam demigrarint et velint dioecesim mutare?

6. Sacerdotibus qui iam in aliquam demigraverint dioecesim, ab hac in aliam in perpetuum vel ad diuturnum tempus discedere ne liceat, nisi assenserint tum Ordinarius proprius, tum primae Ordinarius commorationis; si vero agatur de italis sacerdotibus, accedat praeterea oportet sacrae huius Congregationis venia.

Quid de religiosis dimissis?

7. Religiosi e claustro dimissi, cum in aliqua dioecesi sunt stabili ratione incardinati, condicione pares habeantur, ad migrationem quod attinet, sacerdotibus e clero saeculari; sin aliter, iis ad migrandum opus erit peculiari sacrae huius Gongregationis indulto.

Sanctiones.

8. Sacerdotes qui, hac lege non servata, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant; qui nihilo minus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant: quibus a poenis absolvi non possint nisi a sacra hac Congregatione.

De sacerdotibus ministerium suum spirituali migrantium fidelium bono exhibentibus.

Leges cadunt in sacerdotes qui migrantibus operam praestant.

9. Leges de sacerdotibus migrantibus latae eos quoque attingant sacerdotes qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis *Operibus* quae in migrantium commodum providenter hac nostra aetate instituta sunt.

Peculiares Normae ad locorum Ordinarios

De sacerdotibus qui iam migrarunt quid episcopis praestandum est.

10. Episcopi Americae aliorumve locorum, de sacerdotibus advenis qui in suas migraverunt dioeceses, diligenter inquirant, habeantne ii legitimum permanendi indultum, aut certum quoddam permanendi ius consecuti sint vel per incardinationem vel per decennalem legitimam commorationem; quos, si eiusmodi indulto aut iure carere et ceteroqui fidelibus inutiles esse cognoverint, congruenti termino iis praefinito, ad Ordinarios proprios dimittant.

Eadem haec Europae etiam episcopi servent cum de sacerdotibus agitur qui, delato sibi munere spirituali migrantium bono consulendi, in ipsorum dioecesibus degunt, quotiescumque noverint eos fidelibus noxios esse vel inutiles.

Commendatur episcopis sollicita cura de emigrantibus.

11. Optimum autem illud ac maxime optandum, ut earum regionum episcopi unde crebrius demigrari solet, consilia inter se conferant et constituant qua ratione possint commodius fidelibus suis in remotas alterius linguae regiones abeuntibus comparare sacerdotes, suae linguae gnaros et pietate, doctrina ac prudentia conspicuos; quem ad modum vero SS. D. N migrantibus ex Italia prospexit, sic, vel alia simili ratione, aliquem unum seligant ex Ordinariis, qui ceterorum vice hoc in negotio fungatur, ut exterarum regionum episcopi eum coram vel scripto adire possint, cum sacerdotes ad spiritualem demigrantium procurationem idonei sibi opus sunt.

Caput II

De sacerdotibus qui ad breve tempus proficiscuntur

Quaenam litterae discessoriales sacerdoti ad breve tempus discedenti requirantur.

12. Sacerdotibus, qui, ad breve tempus, ob honestam vel necessariam causam sint in Americam vel ad Philippinas insulas profecturi, possunt Ordinarii discessoriales litteras concedere, inconsulto quidem Ordinario loci *ad quem*, at servatis tamen regulis quae sequuntur.

13. In litteris discessorialibus, praeter reliqua, mentio expressa fiat de causa temporarii discessus.

14. Ad quattuor menses coartetur dierum itineris et mansionis licentia; sex mensium concedatur nulli, nisi casus aliquis extra ordinem inciderit.

Quid si sacerdos non plane probatus sit?

15. Sacerdoti haud omni ex parte probato discedendi venia ne detur, nisi ante de honesta simul et necessaria abeundi causa constiterit; praeterea Ordinario loci *ad quem*, secretis litteris, adventus eius renuntietur.

Quid de Italis ?

16. Itali autem sacerdotes, quandocumque ob honestam et temporariam causam profecturi sunt, prius impetrent veniam discessus a sacra hac Congregatione.

Obligatio redeundi, completo spatio.

17. Qui, denique, ob temporariam causam discesserunt, elapso temporis spatio sibi concesso, regrediantur, nullamque habeant Ordinarii prorogandae licentiae semel datae facultatem.

Quid si impediti fuerint.

Quod si aut infirmitate aut alia quadam peremptoria causa regressus necopinato impediatur, postquam de rei veritate et de dispensationis necessitate constiterit, ad primum insequentem mensem prorogare tempus liceat episcopo loci ; ultra mensem, causis etiam indulti permanentibus, non nisi Nuntiis vel Delegatis Apostolicis qui ibidem versantur, indultum prorogare liceat ad congruum sed breve tempus, ea lege, ut id ne cunctentur aut episcopum sacerdotis proprium aut sacram hanc Congregationem edocere.

Sanctio.

Qui vero sacerdotes hanc deliquerint regulam, suspensi maneant a divinis.

Clausula.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (25 mart. 1914).

Romae ex S. C. Consistoriali, die 25 martii 1914.

† C. Card. De Lai, Episcopus Sabinen., *Secretarius.*
S. Tecchi, Assessor.

Annotationes

1. Post *C. Sapienti*, innovata curia romana, S. C. Prop. Fidei in clericos, in Americam migrantes amisit suam iurisdictionem, ita ut solis S. Congregationis Concilii decretis standum esset, donec Motu Proprio *Cum omnes,* 15 aug. 1912, cura de sacerdotibus emigrantibus ad S. Congr. Consistorialem avocaretur.

2. Praesenti generali decreto, acta S. C. Concilii confirmantur quidem ; verum ea simul ex parte mutata referuntur, ita ut ex eo omnia quae observanda sunt cognosci queant.

3. Decreti vis solos sacerdotes saeculares vel religiosos dimissos afficit, nec hi etiam attinguntur nisi Americam vel Philippinas insulas petant.

4. Observes qua cura sanctiones latae sint : Ordinariorum conscientia graviter oneratur ; — Litterae discessoriales quae legibus art. 4 non satisfecerint nullius valoris sunt — Sacerdotes, lege temere non servata, ex n. 8 suspensi maneant ipso facto, et irregulares fiant si nihilo minus celebrare voluerint. — Ex n. 17 « suspensi maneant a divinis ; » cum hic absint voces : *ipso facto*, suspensio sententiam requirere videtur.

5. Observes art. 9 minime traducendum esse ad illos Belgii sacerdotes qui agricolis vel operariis in aestate demigrantibus assistunt, nisi simul, ut v. gr. Parisiis, stabili modo in alia dioecesi commorentur. Rubrica enim de iis se agere declarat qui in perpetuum vel in longum tempus migraverint.

6. Lex in eos qui iam migraverint non cadit. Ius tamen manendi non dat nisi indultum vel incardinatio, vel decennalis legitima commoratio.

7. Cum S. Congregatio de sacerdotibus migrantibus in *Americam* agere declaret, America tum meridionalis et centralis, tum septemtrionalis intellegenda videtur.

Verum, si cfras. decr. 14 nov. 1903 [1], persuasum habebis in n. 5 ex America septemtrionali tantum facultatem petendam esse a Delegato qui Washingtoniae residet.

8. Si infirmitas vel peremptoria causa inopinato regressum impediant, episcopus qui licentiam dedit eam prorogare, quantum opus sit, potest.

9. Decretum istud *sacerdotum* proprium est, ita ut migrantes diaconos v. gr. nullo modo afficiat.

---

8. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM « PECULIARI » ET NORMAE 24 MART. 1914

De approbatione novi Instituti eiusque constitutionum

(A. A. S. 23 april. 1914, 6, 189)

A. *Decretum* Peculiari, *quo de hac re commissio instituitur.*

Pro copia rerum quibus EE. Patres in plenario coetu operam dant, visum est Pontifici munus approbandi Instituta et recensendi constitutiones commissioni Consultorum deferre.

Peculiari curae iam dudum Apostolicae Sedi fuit novarum Sodalitatum approbatio, earumque Constitutionem recensio, quae quidem optimo iure solita est usque adhuc inter maioris momenti negotia haberi et S. Congregationis EE. Patrum studio ac sapienti iudicio reservari. Cum autem cuiuslibet Instituti approbatio itemque Constitutionum recensio gravem postulet laborem, qui gravior profecto aestimandus erit, rerum si copia consideretur quibus EE. Patres in plenariis coetibus dant operam, SS. Dominus noster Pius PP. X, referente infrascripto S. Congregationis Religiosorum Praefecto, in audientia diei 17 martii 1914, decernendum censuit ut huiusmodi munus, quod ad novas Sodalitates votorum simplicium, ad Commissionem quorundam Consultorum in posterum deferretur. Vi igitur ac tenore praesentis Decreti, specialis Consultorum Commissio, praeside Cardinali S. Congregationis Praefecto, auctoritate apostolica constituitur, eidemque deferuntur omnia quae ad novi cuiuslibet Instituti votorum simplicium, eiusdemque Constitutionum examen et approbationem attinent, nisi speciali ex causa, vel exortis inter Commissionis Consultores gravibus opinionum discrepantiis, Cardinalis Praefectus opportunius iudicaverit ad E^m^ Patrum coetum rem deferre. Ordo ac ratio a Commissione servanda peculiaribus *Normis* continetur. Commissionis autem membra e Consultorum [2] S. Congregationis ipse Cardinalis Praefectus deliget.

Casus exceptus. Commissioni normae praestituuntur.

Delectus Commissionis memororum.

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 5, p. 40. 41.

[2] Vox qualis *coetu* hic desideratur.

Dies (24 mart. 1914).

Datum Romae, 24 martii 1914.

O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus.*
F. Cherubini, Sub-Secretarius.

B. *Normae Peculiares institutae Commissioni praescriptae.*

Memoratur decretum 24 mart.

Per Decretum hac die 24 martii 1914 datum, et a Cardinali S. Congregationis Religiosorum Praefecto subsignatum, examen et approbatio novarum Sodalitatum votorum simplicium earumque Constitutionum remissa sunt speciali Commissioni Consultorum S. Congregationis, Praeside Cardinali Praefecto. Nunc ad eiusdem Decreti normam hae statuuntur leges a Commissione servandae :

Supplex libellus cum litteris testimonialibus et constitutionum 10 exemplaribus ad secretariam mittendus est.

1) Cuiusvis instituti moderatores, cum approbationem eiusdem, seu Constitutionum exoptant, ad Secretariam S. Congregationis, una cum supplici libello rite subsignato, ac authenticis litteris testimonialibus Antistitum locorum in quorum dioecesibus seu territoriis Instituti domus reperiantur, decem saltem exemplaria Constitutionum mittant, itemque alia documenta ex quibus verus Instituti status personalis, moralis et oeconomicus dignosci possit. Memoratae vero litterae testimoniales, quae ab Ordinariis obsignari debent, inviolatae S. Congregationi exhibendae sunt.

Designatio secretarii Commissionis.

2) Cardinalis Praefecti pro tempore erit e Commissionis Consultoribus unum designare qui, ad nutum eiusdem Praefecti, Secretarii munere fungatur.

Deputatio praesidis.

3) Pro uno quoque examine instituendo Cardinalis Praeses ex Commissionis Consultoribus unum deputet, eique ex officio documenta tradat quae ad Secretariam S. Congregationis pervenerint.

Consultoris votum.

4) Consultor designatus documenta rite ac sedulo perpendat, atque super iisdem suum votum scriptis proferat.

Huius communicatio.

5) Consultoris votum, typis impressum, una cum Constitutionum exemplari, decem saltem ante diebus quam Commissionis coetus habeatur, singulis membris distribuatur.

Summae pro expensis consignatio.

6) Impressionis aliique necessarii sumptus ab Instituto, cuius interest, suppeditari debent, ideoque ab eiusdem moderatoribus congrua pecuniae summa apud arcam S. Congregationis deponenda est, pro prudenti Secretarii eiusdem Congregationis arbitrio, in unoquoque casu determinanda.

Consultorum visitatio.

7) Consultoribus Commissionis membris, quatenus in Domino id expedire iudicaverint, ut plenius de re cognoscant, partes interesse habentes excipere atque audire licebit.

Attendenda monumenta.

8) In examinandis et approbandis novis Institutis seu Constitutionibus, Commissio prae oculis habeat omnia quae statuta inveniuntur in SS. Canonibus, in RR. Pontificum Constitutionibus et praesertim in *Normis* S. Congregationis EE. et RR., in Decretis S. Congregationis Religiosorum.

Deliberatio.

9) Constituta die Consultores, quibus praesidebit Cardinalis Praefectus vel, ipso impedito, S. Congregationis Secretarius, in unum convenient, et collatis sententiis per suffragia singillatim declarabunt sitne et quomodo Sodalium precibus satisfaciendum.

Quid si graves opinionum diversitates.

10) Exortis quandoque gravibus opinionum discrepantiis, Cardinalis Praefecti erit decernere opportunum necne sit rem Em Patrum coetui diiudicandum reservare.

11) Cardinalis Praefectus Commissionis consulta seu resolutiones, ab ipso subsignatas, SS. definitivae approbationi subiciet, ac deinde, more consueto, per Secretariam S. Congregationis exsecutioni demandandas curabit.

Consulta a SSo approbanda sunt. Exsecutio.

Romae, die 24 martii 1914.

Dies (24 mart. 1914).

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*
F. Cherubini, Sub-Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Quo novae disciplinae oeconomia spectet distinctius patebit, si rationem qua hactenus procedebatur memoremus.

Itaque, cum supplex libellus de novo Instituto vel de novis Constitutionibus ad Secretariam S. Congregationis pervenisset, Cardinalis Praefectus, a Secretario adiutus, rem uni vel duobus consultoribus examinandam tradebat. Obtento consultorum voto, quod ad omnes S. Congregationis Cardinales, una cum summaria causae expositione, a Secretario confecta, mittebatur, dies plenarii S. Congregationis coetus seligebatur communi causae examini. In isto coetu, Cardinalis quidam Ponens seu relator de causa referebat, et deliberatio suffragiis quibus dubia (v. gr. an sit approbandum novum Institutum) dirimebantur concludebatur. Subinde, in audientia Praefecto concessa SS. Dus suo assensu Institutum seu Constitutiones approbabat.

Age porro, quidquid hactenus in plenario Cardinalium coetu peragebatur, deinceps a Commissione perficietur, ita ut dubia de approbatione Instituti seu Constitutionum per Commissionis suffragia solvenda sint.

Si tamen de re discidia non levia suborta fuerint, in arbitrio Cardinalis Praefecti esse sinitur ut, restituta competentia ipsius S. Congregationis, causam in Cardinalium coetu absolvendam decernat.

Obtentis suffragiis sive Commissionis sive S. Congregationis, Pontifex suprema sua approbatione de re decernit.

2. Sicut Normae perspicue demonstrant, simul de modo quo supplex libellus conficiendus est et sumptibus consulendum est quaedam nova definiuntur.

3. Dum, n. 8, celebres Normae S. Cis Episcoporum et Regularium (modo defunctae) mere ante oculos habendae esse dicuntur, insinuatur quaedam maior facultas res ad finem specialem novi Instituti accommodandi, et concedendi quandam varietatem, quae non ad solam pulchritudinem sed etiam ad maiorem utilitatem communem conferre multum potest. Addas esse specialia locorum adiuncta, et ex temporis progressu novam disciplinae rationem opportunam fieri posse.

C. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 21 MART. 1914

De approbatione orationum quibus gratiae per Servum Dei imploratur (A. A. S. 23 april. 1914, 6, 192)

Dubium. Proposito sacrorum Rituum Congregationi dubio : « An orationes quae « Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem « Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia « episcopi, ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant ? »,

Responsum. sacra eadem Congregatio respondendum censuit : *Affirmative* ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum ;* attamen ad tramitem et mentem decretorum S. U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis episcopus abstinere se debet ab iisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.

Dies (21 mart. 1914). Atque ita rescripsit die 21 martii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

Annotationes

1. Ne responsum istud perperam intellegatur, observes non de omni oratione quae Servos Dei respiciat, sed de illo tantum genere agi quo gratiae per ipsos implorentur. Nullo itaque pacto episcopus suadetur abstinere commendanda prece qua, ab ipso Deo, canonizationem Servi Dei, v. gr. P. de la Colombière postules.

2. Duo de oratione qua Servi Dei invocantur respondentur : a) Ut typis vulgetur, necessaria est venia episcopi ad normam C. *Officiorum et Munerum :* id est, ex obvio intellectu, S. Congregatio, attenta C^e. *Officiorum*, re vera iudicat ista approbatione opus esse, nec mere istud dicere vult : venia episcopi necessaria est quatenus C^e. *Officiorum* requiratur.

b) Huiusmodi orationes episcopi nec commendare nec indulgentiis ditare possunt.

3. *Quaeres* itaque quonam articulo C. *Officiorum* haec episcopi venia necessaria edicatur. Novit lector constitutione ista, 25 ian. 1897, novas approbandis et prohibendis libris normas a Leone XIII praescriptas esse. Age porro, si orationes istae libellum precum efficiant vel ingrediantur, *libelli* isti ex art. 20 prohibiti sunt, nisi cum Ordinarii licentia publici iuris fiant. Saepe autem folio quopiam separato exhibentur, ita ut vim istius articuli effugiant. Restat tum ut orationes istas ponamus inter scripta in quibus religionis et morum *specialiter* intersit, ita ut ex art. 41 censurae praeviae obnoxia sint [1].

---

[1] Cfr. nostrum *De prohibitione et censura librorum*, n. 40. 91. 118.

4 *Quaeres* denique propter quaenam decreta S. Officii et S. Rituum Congregationis episcopus commendatione orationum abstinere debeat. Nullum novimus decretum quo res ista formaliter caveatur. Sed cum ex episcopali commendatione, maxime autem ex additis indulgentiis, ad publicam quandam cultus rationem oratio sic honorata accedere videatur, ipsa commendatio vel indulgentiae largitio menti decretorum quibus publicus cultus prohibetur contraria dici potest. Cum autem S. Rituum Congregatio nihil novum praecipere velle videatur, nec de decretis S. Officii quidquam decernere possit, putamus verba « abstinere se debet » minus stricte sumenda esse, ita ut actum dicant quem facere minus decet, non autem qui stricte prohibeatur.

---

10. — S. CONGR. RITUUM

DECRETA 25 ET 27 MART. 1914

Quibus editiones Breviarii Romani approbantur

(A. A. S. 23 april. 1914, 6, 196)

A. *Decretum 25 mart. quo editio typica Ratisbonensis Breviarii Romani approbatur.*

Relatio de editionis Ratisbonensis merito. Hinc pro typica approbatur,

Cum Pontificia Commissio, per chirographum SS. D. N Pii PP. X die 2 iulii 1911 instituta ad novum Psalterii ordinem in Breviario Romano disponendum et retractandas congruenter eidem ordini Rubricas, ipsi SS. Domino nostro rettulerit in Ratisbonensi editione Breviarii Romani, in quattuor partibus divisa, esse omnia disposita et impressa ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motu proprio *Abhinc duos annos* ac consequentium Decretorum, sacra Rituum Congregatio, de mandato SS. Domini nostri, ipsam editionem uti typicam habendam esse decernit, cui reliquae omnes editiones conformandae erunt, quaeque in posterum prorsus immutata manebit, donec praesidio optimorum codicum et veterum monumentorum absolutis omnibus, quibus perficiendis longius tempus requiritur, nempe textu sacro recognito, lectionibus historicis emendatis hymnisque revisis, Patrum et Doctorum homiliis et sermonibus ad veram lectionem revocatis, extremam manum operi apponendam Sedes Apostolica iusserit.

eidemque de diuturna possessione cavitur.

Ex Secretaria S. R. C. die 25 martii 1914.

Dies (25 mart. 1914).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

B. *Approbatio aliarum editionum decreto 27 mart.*

Tamquam typicae consentaneas S. R. C. editiones Typographorum S. R. C. approbat.

Sacra Rituum Congregatio, collatis cum editione typica F. Pustet, in quattuor partes divisa, editionibus ceterorum Typographorum ipsius S. R. C., nempe Desclée et Soc., A. Mame, H. Dessain et P. Marietti, eas iuxta typicam diligenter dispositas reperit, et die 27 martii approbavit.

Dies (27 mart. 1914).

11. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 4 APRIL. 1914

De missa et officio SS. Reliquiarum

(A. A. S. 23 april. 1914, 6, 196.)

Ad tollendas diversitates et dubitationes officium cum Missa proprium de festo SS. Reliquiarum approbatur et imponitur.

Quo uniformitas habeatur in Officio persolvendo cum Missa de Festo sacrarum Reliquiarum ; et proposito dubio satisfiat : « Quodnam « hoc Festo Officium, ex iis quae huc usque in Breviarii et Missalis « Romani Appendice habentur, in posterum recitare Propriisque Officio- « rum dioecesanis liceat inserere ? » sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo Dno nostro Pio Papa X tributarum, suprascriptum Officium cum Missa proprium de Festo sacrarum Reliquiarum approbavit, atque ab iis omnibus in posterum adhiberi mandavit, quibus idem Festum concessum est.

Clausula.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (4 april. 1914).

Die 4 aprilis 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus,*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotatio

In Acta Apostolicae Sedis, ipsi decreto praeponitur officium cum missa quod ab omnibus quibus Festum concessum est in posterum adhibendum est [1]. Age porro, Officium, exceptis paucis emendationibus lectionum S. Ioannis Damasceni, idem est quod inter officia pro quibusdam locis iam in Breviario ad Dom. IV octobr. reperiebatur. Horarum tamen psalmi e psalterio, secundum novas rubricas, sumendi erunt. Missa autem prorsus eadem est quae in Missali pro aliquibus locis reperitur. Dicitur Missa *Multae* cuius oratio, *Ange.*

---

12. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 28 APRIL. 1914

De die quorundam festorum, et communione in Sabbato sancto

Dubia.

De festis quibusdam.

Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt sequentia dubia nimirum :

I. Qua die recolenda sunt Festa sacrae Familiae et SS. Redemptoris, nec non Festa B. M. V. de purissimo Corde, de perpetuo Succursu, de Gaudiis, de Consolatione, de Puritate et Maternitate, ubi eiusmodi Festa ratione tituli vel patronatus aut specialis Indulti celebrari adhuc debeant ?

De communione in Sabbato sancto.

II. Quando in Sabbato sancto distribui potest fidelibus sacra Communio ?

---

[1] Textus tamen ibi propositus aliquantisper corrigi denuo debuit.

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis ita respondendum censuit :

Ad I. Ad maiorem uniformitatem obtinendam, non obstante Decreto S. R. C. diei 28 octobris 1913, nisi aliter a sacra eadem Congregatione provideatur, Festum sacrae Familiae celebretur die 19 ianuarii — Festum SS. Redemptoris, 15 iulii — et Festa B. M. V. de purissimo Corde, Sabbato post Octavam SS. Corporis Christi — de perpetuo Succursu, die 27 iunii — de Gaudiis, die 27 augusti — de Consolatione, Sabbato post Festum S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. — de Maternitate, die 11 octobris et de Puritate die 16 eiusdem mensis octobris. *Ad I.*

Ad II. Iuxta praxim et decreta, praesertim decr. n. 2561 *Tifernaten.* 22 martii 1806, licet in Sabbato sancto inter Missarum sollemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa. *Ad II.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 28 aprilis 1914. *Dies (28 april. 1914).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus,*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Ex decreto 28 oct. 1913, quod hic reformatur, festa ista particularia ponenda erant in aliqua die definienda, quae alia in alio calendario fuisset [1]. Nunc autem, quo maior unitas obtineatur, dies potissimis festis istis assignatur qui, nisi ipsa S. Sedes aliter decreverit, iidem erunt in omni calendario in quo festa inscribenda sunt.

2. Dum licere declarat ut in sabbato sancto sacra eucharistia fidelibus inter Missarum sollemnia et etiam expleta Missa distribuatur, S. Congregatio dicit quod ex praxi et decreto suo *Tifernaten.* 22 mart. 1806, n. 2561 colligi potest. De communione autem quae ante sed extra Missam distribuatur rem non ita liquere perspicitur. Secundum tamen generales interpretandi regulas, S. Congregatio quod de uno tempore affirmat de alio negare non convincitur. Atque in nostra causa eius silentium de alio tempore etiam hac consideratione imperari potuit, generalem definitionem de licito vel non licito eucharistiae usu ad S. Congregationis Sacramentorum provinciam potius pertinere.

3. Res itaque est quae accuratiore examine digna sit.

In celebri epist. INNOCENTII I ad DECENTIUM, c. 4, quae refertur in can. Sabbato, 13 Dist. 3, de Consecratione, legimus feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto apostolos adeo in maerore fuisse et ieiunasse « ut traditio ecclesiae habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari ». Exinde, sicut Glossa interpretatur, duobus istis diebus « eucharistia non conficienda est in Ecclesia ». Non tamen statim hinc

[1] Cfr. PERIODICA, n. **707**, t. 7, p. 193-203.

colligi potest : ergo nec in Ecclesia sumi potest. Quod enim causae separari possint, egregie demonstratur usu communicandi in Feria VI, in Parasceve, qui, IX saeculo, communis fuit et in non uno loco valde diutius perseveravit. Sed cum diu communio in ecclesia sanis personis extra missam non daretur, dies sine missa dies etiam sine communione evadebat. Quocirca, cum in Sabbato Sancto non celebraretur missa praesanctificatorum quae Feria VI in Parasceve offerri consuevit, magis universalis fuit omissio communionis in Sabatto Sancto quam Feria VI in Parasceve.

Mox autem usus invaluit sacram dapem etiam extra Missam seu in antecedente Sacrificio consecratam fidelibus porrigendi. Potuit tunc speciali sanctione caveri ne ipsa communio in duobus posterioribus diebus hebdomadae sanctae daretur. Et communio in Feria VI in Parasceve, decreto *Cum ad aures* 12 febr. 1679, prohibita est. Cuius exclusionis causa, quod probe observandum est, ratio non fuit liturgica sed dogmatica simul et disciplinaris, id est quo efficacius dedoceretur error, — in principio istius decreti notatus, — contendentium usum cotidianae communionis etiam in feria VI in Parasceve iure divino praeceptum esse.

De Sabbato Sancto similis ratio non habebatur. Quare restituta, per quandam Paschatis anticipationem, missa in Sabbato Sancto, consequens sane fuit ut saltem ex istius missae consecratis speciebus fideles communicare possent. Sed saec. XVIII severae sententiae de usu eucharistiae invalescebant. Nihil mirum, quod tunc Benedictus XIV fideles communione in Sabbato Sancto arcuerit.

4. Hodie autem, cum cotidianus S. eucharistiae usus adeo commendetur, cum simul passim extra missam ex praesanctificatis fideles communicare consueverint, ob quamnam causam communionem prohibitam dixeris ?

Specialis prohibitio nulla habetur.

Liturgica praescriptio vetuit solum ne eucharistia conficeretur. Usus non communicandi ante communionem missae in ecclesia facile explicatur, tum quia eucharistia minus antea pro sanis quam pro infirmis asservabatur, tum quia species sacrae ex ecclesia remotae erant.

Quare fieri potest ut in ipsis ecclesiis exspectandum sit donec, sacrificio facto, species distribuendae legitime habeantur. Sed quid prohibet quin in sacello ubi functiones tridui sacri non habentur, in Sabbato Sancto communices ? Quid, quod, in nostris saltem regionibus, iam valde mane sollemnia Sabbati Sancti in pluribus ecclesiis celebrentur. Quare, si satis est ut in aliqua ecclesia sacerdos ad communionem pervenerit, iam cito in sacellis S. eucharistia distribui poterit. Si vero horam principalioris ecclesiae observandam

feceris, praeceptum istud rationabile quidem videri potest, sed latum esse non demonstratur.

Ut itaque dicamus quod humiliter de re sentimus, argumentum ex die *aliturgica* petitum nobis validum non videtur, ut communionem, saltem quae in sacello ante sollemnem vicini templi missam facta sit, improbes. Vis consuetudinis quae variis causis explicari potest etiam modica nobis videtur. Praesens autem mens Ecclesiae ea est ut sperare nobis liceat decretum quo plenam esse fidelibus facultatem communicandi in Sabbato Sancto, sicut in aliis anni diebus, conceptis verbis declaretur. Quod in votis esse virorum qui in ipsa Urbe scientia et auctoritate pollent, compertum etiam habemus.

In Razón y Fe, P. Ferreres haec fere habet : Cum, generaliter interrogata, S. Rituum Congregatio responsum Missa et sequenti tempore circumscripserit, negare videtur communionem posse antea regulariter distribui. Usus tamen benignior servari potest ; et, urgente aliqua causa speciali, v. gr. in conclusione exercitiorum spiritualium datorum saecularibus viris qui horam missae commode exspectare non possunt, putamus etiam licere ut communio citius detur. — Quid, quod in Urbe, anno 1911, in ipsa Feria VI in Parasceve, s. communio est in templo S. Petri militibus data. Nec repulsi sunt fideles aliquot qui se militibus inseruerunt.

5. Denique mirari possumus, nisi typi scripti mentiantur, rescripto isti diem apponi 28 aprilis, dum fasciculus commentarii officialis quo continetur die 23 aprilis in lucem prodiisse dicitur.

---

13. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE « IN SUBLIMI », 15 APRIL 1914

Erectio novae Apostolicae Delegationis Australiensis

(A. A. S. 15 maii 1914, 6. 223)

PIUS PP. X

Ut appareat pontificia sollicitudo, et intentio magis devinciendi S. Sedi remotos istos populos, S. Pontifex Australiae constituit Delegationem apostolicam, quae ad

Ad futuram rei memoriam. — **In sublimi** principis Apostolorum Cathedra nullis quidem meritis Nostris divinitus collocati, in omnes catholici orbis partes etiam ab hoc centro christianitatis magno terrarum marisque tractu seiunctas, tamquam e sublimi specula oculos mentis Nostrae convertimus, et quae rei sacrae procurationi melius gerendae conducant, illa sedulo quidem studio, auctoritate Nostra interposita, praestare satagimus. Iamvero latissime per Australasiae insulas christiano nomine diffuso, et catholica hierarchia praesertim inter Australiae gentes firmiter constituta, opportunum Nobis consilium visum est, remotos illos populos eorumque sacros pastores Romanae huic apostolicae Sedi artiore

Australiam, Tasmaniam et Novam Zelandiam suas curas extendet.

atque intimiore vinculo astringere. Haec autem sollicitudo ut clarius catholicis illis gentibus appareret, iidemque populi dilectionis Nostrae beneficia uberius persentirent, novam in illis regionibus, sicuti iam passim pro aliis locis ad decus et tutamen Christianae religionis fieri consuevit, Apostolicam Delegationem constituendam censuimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis propagandae Fidei praepositis, Motu Proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi Delegationem Apostolicam Australiensem erigimus atque constituimus, decernentes ut ipsa Delegatio ad Australiam, Tasmaniam et Novam Zelandiam suas curas extendat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque aliis quibuscumque.

Clausula.

Dies (14 apr. 1914).

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XV aprilis MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

---

14. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM « CUM PROPOSITAE » ET RESPONSA 3 MAII 1914

De noviciatus termino et interruptione

(A. A. S. 15 maii 1914, 6, 229.)

A. *Decretum « Cum propositae », 3 maii 1914.*

Decreti occasio et finis.

Cum propositae sint quaestiones sive circa tempus seu momentum quo annus noviciatus compleri dicendus sit, sive circa modum, praesertim si novicius extra domum de licentia Superiorum per aliquod tempus moratus fuerit, quo interruptus haberi possit, S. Congregatio Religiosis Sodalibus praeposita, ad anxietates praecavendas, praecipue quod ad professionis validitatem, statuit et decrevit ut sequitur:

Quo pacto intelligenda sit integritas anni noviciatus et triennii prof. simplici.

1. Annus integer noviciatus, qui solus ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intellegi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum sollemnium praecedere debent.

Causae interrupti noviciatus.

2. Noviciatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit: *a)* si novicius a Superiore dimissus e domo exierit; *b)* si absque Superioris licentia domum deseruerit; *c)* si ultra triginta dies etiam cum licentia Superioris extra noviciatus saepta permanserit.

Causae suspensi.

3. Si novicius infra triginta dies, etiam non continuos, cum Superiorum licentia, extra domus saepta permanserit, licet sub Superioris oboedientia, requiritur ad validitatem, et satis est, dies hoc modo transactos supplere: at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant.

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae X relatis ab infrascripto sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus. *Approbatio SS^i^.*

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914. *Dies (3 maii 1914).*

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

B. *Responsa in Parisiensi, 3 maii 1914.* De noviciis militiae addictis.

Procurator Generalis Congregationis Sacerdotum Missionis harum quaestionum solutionem a S. Congregatione de Religiosis expostulavit, nempe : *Orator.* **Dubia.**

I. Utrum noviciatus illorum qui coguntur e domo probationis exire causa militiae aut ad eandem militiam denuo vocati, censendus sit *interruptus*, ita ut ab initio sit repetendus, nulla ratione habita temporis noviciatus iam expleti ; an vero sit aestimandus tantummodo *suspensus*, ita ut debeat solum compleri. *De ascriptis militiae.*

II. Utrum computari possit veluti tempus noviciatus servitium militare quod expletur in loco ubi exstat domus probationis si novicii maneant sub disciplina et vigilantia moderatorum et horis subsecivis consistant in eadem probationis domo, eaque omnia peragant quae cum militia concilientur. *Quid si in loco probationis militiae stipendia mereantur.*

Responsa.

Emi et Revmi Patres Cardinales sacrae huius Congregationis de Religiosis, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt :

Ad 1um. Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam, si novicius ultra triginta dies completos servitio militari reapse addictus fuerit. Si infra triginta dies, hi supplendi erunt. Et in quocumque casu ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur. *Ad 1.*

Ad 2um. Negative. *Ad 2.*

Has autem responsiones relatas sanctissimo Domino nostro Pio Papae X ab infrascripto S. Congregationis Secretario, Sanctitas sua approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Approbatio SS^i^.*

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914. *Dies (3 maii 1914).*

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Iam non semel de ista noviciatus plene peragendi necessitate et ratione, quam mirae sententiae, nulla lege sed obscura aliqua iurisprudentia innixae, impeditiorem et scrupulis refertam fecerant, in his Periodicis egimus [1], ita ut

[1] T. I, p. 4 ; t. II et III, p. 8-10, 93. 94 ; t. IV, p. 198-201 ; t. V, p. (23).

claras definitiones grato animo excipiamus. In novo isto regimine, quamvis a nimis rigorosa severitate declinetur, habent tamen severitatis fautores unde partialem sibi victoriam gratulentur. Sed ad decretorum explicationem properemus.

2. Praesens decretum, potius quam authenticae declarationis, legis prorsus novae vim habet. Hoc ipsae definitiones manifestum faciunt : in quanam v. gr. praesenti lege reperias novicium posse, incolumi noviciatu, 30 dies, nec plus nec minus abesse ? Et verba idem sonant : « S. Congregatio *statuit et decrevit* ».

3. Cum de Institutis *dioecesanis* sileatur, praesens decretum de omni et solo Instituto iuris pontificii, votorum sive sollemnium sive simplicium, valere dicendum est. Recenti etiam exemplo decreti *Cum de sacramentalibus*, de Confessionibus Sororum [1] demonstratur, Instituta dioecesana expresse nominari cum S. Sedes decreta sua ad ipsa traducere intendit.

Tria autem statuuntur, de quibus ordine dicemus.

4. Primo statuto, rigor aliquantisper emollitur quo annus noviciatus et triennium votorum simplicium mathematice completa postulari consueverant, ita ut qui 10 ianuarii 1914, hora 10, noviciatum inchoasset, non posset hora 9 diei 10 ianuarii 1915 professionem suam valide facere. Sed reditus fit ad pristinam regulam : *dies incepta pro completa habetur*. (De quo tamen regulae usu in praesenti causa controvertebatur [2].) Itaque, recurrente post annum vel tres annos eadem die, sine ulla horae consideratione, prima professio vel sollemnis professio valide offerri poterit. Titius v. gr. qui hora vespertina die 1 maii 1914 noviciatum inchoaverit, valide possit mane 1 maii 1915, primis votis se Deo dicare. Quid autem, si annus bi-sextilis fuerit, considerandum veniat, diximus in Periodicis nostris, t. I, p. 4.

5. Altero statuto, noviciatus interruptus dicitur quotiescumque novicius *e domo exierit* vel *dimissus*, vel sine licentia domum *deserens* ; ac praeterea si *ultra triginta dies* etiam cum licentia Superioris *extra saepta manserit*. De quo canone haec notanda sunt.

a) Sicut iam antea constabat, nec simplici iussione exeundi nec animo deserendi monasterium noviciatus interrumpitur, sed oportet ut novicius re vera, dimissus aut deserens domo egressus sit.

Quid autem si dimissionis decretum falsa causa vitiatum sit, ita ut Superior illud retractaverit ? Olim respondimus [3] errorem istum noviciatui per se non praeiudicare, ita ut,

[1] Cfr. Periodica, t. VII, n. **652**, p. 86, ss.

[2] Immo communior sententia mathematicum rigorem urgebat. Cfr. in l. 3, t. 31, Reiffenstuel, n. 94-102, contra Pirhing, n. 36-38.

[3] *De Religiosis Institutis et Personis*, t. I, n. **189**.

suppressa causa, ipse effectus interruptionis supprimeretur, et novicius rediens noviciatum mere complere deberet. Quod adeo iustum et aequum videtur ut etiam hodie id valere putemus, dummodo intra 30 dies novicius claustra repetere potuerit. Ultra enim 30 dies, ne quidem cum Superioris licentia, abesse potest quin noviciatum interrumpat.

Quia tamen res ista controvertebatur, et praesentis decreti verba sunt absoluta, tutius erit a S. Congregatione restitutionem in integrum postulare, si casus evenerit.

b) Domum non deserit quicumque sine licentia domo egrediatur, v. gr. ad ambulandum, sed qui sine animo redeundi domui valedicat. Quare, si sine licentia sed cum redeundi animo egressus novicius eadem die tectum repetierit, noviciatum non interrumpit. Si autem foris sic pernoctaverit, severius ex praesenti disciplina respondendum esse putamus. Decreto enim praesenti haec sola permansio extra saepta noviciatus validae probationi non obest quae fiat cum Superioris assensu nec ultra 30 dies duret.

Quid autem si desertor, facti paenitens, mox redierit? Atque olim rursus admittebant discessu qui post paucas horas seu eadem die revocaretur, saltem si habitus servatus esset, noviciatum non interrumpi. In eandem nunc sententiam inclinamus propter illud : parum pro nihilo reputatur. Momentaneus discessus, habitu retento, a consilio non serio vel maturo profectus videtur. Id magis certum est, si novicius non ipsam domum, animo discedendi deseruerit, sed, v. gr. inter ambulandum, consilium fugiendi ceperit et post brevem exsecutionem, retractaverit.

c) Triginta dies ultra quos Superior licentiam commorandi extra claustra, incolumi noviciatu, permittere nequit, etiam *non continui* sumendi sunt, ita ut qui quinquies per 8 dies afuerit, noviciatum interruperit. Ex art. enim 3° colligitur dies etiam non continuos computandos esse.

Commoratio tamen extra domum per aliquot diei horas attendenda non est, dummodo domus probationis novicium noctu receperit. Qui enim vespere rediit, extra domum *non permansit*. Videndum itaque quot *noctes* novicius afuerit.

d) Tertio statuto, Superior licentiam permanendi extra domum (seu pernoctandi) sine *gravi* et *iusta* causa concedere vetatur. Semper tamen valida est huiusmodi licentia.

Praeterea, quod plane novum est, quotquot dies novicius afuerit, tot debet ad ipsum professionis valorem supplere, ita ut regula sic efferri possit: « Omnis permansio extra domum, noviciatum vel interrumpit vel suspendit. »

Porro, *iustam* aestimamus causam quae nulla generali aut speciali Instituti lege excluditur, ita ut licentia facta verbis et menti Constitutionum non repugnet.

Gravis autem erit quae, perspecta utilitate severae probationis, cui excursus novicii aliquantisper adversatur, consideratione digna demonstratur. Huius modi causam praebere potest male affecta novicii valetudo vel infirmitas quae cura chirurgica levari possit ; negotium componendum quale S. Aloysius, novicius, composuit in fratris et familiae utilitatem ; periculosus morbus parentum qui ex filii visitatione solacium merito exspectent ; dum minime sufficere probatur causa quae recreationis vel delectationis saecularis speciem prae ferat.

6. Ex primo decreti articulo illud clare colligimus, haec omnia de solo anno decerni qui, ex Conc. Tridentino, pro Ordinibus votorum sollemnium, et, ex approbatis Constitutionibus, pro Institutis votorum simplicium, ad valorem exigitur et annus *Conciliaris* quandoque dicitur.

Quare, si quod Institutum probationem diutius protrahat, regimen mensium vel anni qui addantur nullatenus hac lege sed solis Constitutionibus et usibus receptis definiendum est. Et si ita leges propriae ferant, dies per quos, in priore anno, novicius afuerit, primis alterius anni diebus re ipsa supplebuntur, sine ulla obligatione aliquid ad hunc alterum annum probationis addendi. Oportet tamen, salvo privilegio speciali, ut per spatium unius anni et additarum dierum, novicius non ultra triginta dies afuerit. Id est, si novicius 10 maii 1914 noviciatum inchoaverit, oportet ut saltem 9 iunii 1915 annum plenum in noviciatu egerit. Si enim ne tunc quidem annum expleverit, patet ipsum ultra triginta dies in anno « conciliari » extra domum permansisse, ita ut, secundum praesens decretum, necessaria noviciatus continuitas desideretur.

7. Per eiusdem articuli verba « qui solus ad validitatem professionis requiritur », S. Congregatio illud etiam notabile insinuat, maius temporis spatium, quod Constitutionibus fortasse praecipiatur, non esse per se condicionem valoris professionis, nisi clara lex peculiaris aliter decreverit.

Si autem proprii Instituti Constitutiones magis strictam continuitatem postulent, cum nulla clausula dispensentur, observandae quidem erunt, sed sub ea tantum sanctione quae ibidem praecepta sit.

Rursus, si quod Institutum privilegio donatum sit novicios in omni domicilio probandi, nihil est in praesenti decreto unde privilegium istud suppressum dicamus.

8. *Quaeres* autem de vi praesentis decreti in praeteritos actus?

Distinctione hic opus est.

Vel enim de iis agitur qui, peracto noviciatu, ante promulgatum praesens decretum, id est ante 15 maii 1914, iam vota religiosa fecerunt, vel de iis quaestio movetur qui etiamnum in probatione versantur.

Priorum noviciatus praesenti decreto nullatenus afficiatur, sed ex regulis ante vigentibus validus et sufficiens aut invalidus aestimandus est.

De posterioribus autem aliter per se dicendum est. Decretum enim *Cum propositae* quandam continuitatis et integritatis anni noviciatus rationem tamquam condicionem valoris professionis inducit. Iam vero leges quae condiciones valoris actuum inducunt a momento promulgationis etiam ignorantes ligare, communior canonistarum sententia habet, quam S. S. Religiosorum resp. 30 iul. 1909 secuta est. (Cfr. PERIODICA, n. **330**, t. 5, p. 10.)

Quae cum ita sint, Superiores cavere debent ne, attentis iam diebus quibus ante afuerit, novicius quisquam ultra triginta dies (secluso S. Sedis indulto) in primo anno extra noviciatum permaneat ; neve aliquem ad vota admittant prius quam dies quibus afuerit suppleverit.

Quod si subditum habeant vel nondum professum vel professum tantum post 15 maii huius anni, qui a noviciatu ultra traginta dies afuerit, sanationem noviciatus et professionis a S. Sede impetrare debent.

9. Neglegenda tamen non est temperata ratio qua praesens decretum iura contraria abrogat. Formula enim « Non obstantibus quibuscumque contrariis », in praesenti decreto usurpata, valde moderata probabitur comparanti v. g. clausulam abrogatoriam decreti *In audientia*, de Confessionibus religiosorum [1], quae sic sonat : « Constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus ». Si quidem, magis intentione anxietates praecavendi quam occurrendi gravi detrimento, decretum latum est. Quocirca, quae mentione speciali digna sunt, quamvis huic decreto contraria sint, efficaciam suam conservant. Huius modi autem sunt, consuetudo, saltem centenaria et immemorabilis, immo omne expressum regularium privilegium.

10. Hinc etiam habemus unde quaestionem solvamus quam, si S. Congregatio auctoritate sua dirimere voluisset, sane finem praecavendi anxietates plenius assecuta esset. Quaestio autem haec est : pro quibusnam professionibus ante factis noviciorum qui, diutius quam nunc permittitur vel alia ratione ac nunc permittitur, extra noviciatum permanserint, estne necessarium an opportunum a S. Sede sanationem postulare ?

Consequenter ad ea quae t. 4, p. 199 scripsimus, sic dicendum arbitramur.

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 7, n. **702**, p. 173.

Ordines qui necessitatem pleni et continui noviciatus ex disciplina Tridentina, quam authentice interpretabatur S. Congreg. Concilii, aestimandam habent, si, fisi ista iurisprudentia et secundum suas consuetudines, permiserunt ut novicii aliquo tempore abessent, nullam rationabilem causam habent anxietatis, ob quam a S. Sede sanationem postulent.

Perinde dicimus de Congregationibus quae, ante editas Normas 1901 approbatae, mere usus suos in licentiis huius modi dandis observarunt.

Restant Instituta recentiora, quibus Normae impositae sunt. Haec, si professos habent quorum noviciatus, secundum praesentis decreti dispositiones, interruptus fuisse censendus est, tutius sanationem ad cautelam sibi procurabunt, praesertim si ultra octo dies novicius afuerit nec dies istos suppleverit. Spatium enim temporis hebdomada maius iam non est modicum istud intervallum de quo valebat istud « parum pro nihilo computatur ».

11. Responsa in Parisiensi, quae decreto subiungimus, decretum applicant, et quidem stricte, ita ut iuvenis qui, lege civili coactus, noviciatum ultra triginta dies propter militiam reliquerit, etiam si sub disciplina et tutela moderatorum interdiu manere potuerit, noviciatum suum interrupisse et iuridicos hactenus peractae probationis effectus prorsus amisisse declaretur.

Quod severum sane responsum, maxime laudabili intentione commendatur. Timemus tamen ne ex stricta eius exsecutione institutis religiosis gravia detrimenta obveniant. Ponas iuvenem qui, religiosae vitae cupidus, plenum in noviciatu annum ante militiam transigere nequeat. Si per militiae tempus, noviciatus mere suspensus maneret, iuvenis iste religiosae probationi statim initium facere libenter vellet. Ex qua probatione firmatus, vocationem in ipsa militari vita non ita difficulter servaret. Nunc autem, cum menses ante militiam iuridice inutiles declarentur, potius consiliis parentum vel saecularium amicorum cedet noviciatum omnem differendi donec a militiae onere liber fuerit. Ex ista mora, iam per se, et maxime in castris, quot periculis ipsa religiosa vocatio opponatur nemo non videt.

Suademus itaque Superioribus ut, his vel similibus argumentis freti, a S. Sede indultum impetrent quo rigor ille apte temperetur.

In iisdem responsis, ad 1, id cavetur ut etiam ille qui, post minus spatium quam triginta dierum, e militia redux, paucos tantum dies complendos habeat, professionem valide facere nequeat, nisi elapsis in probatione triginta diebus ex quo claustra repetiit. Sanctio ista prudentissima esse omnibus perspicietur.

15. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 3 MAII 1914

De confessionibus religiosorum (A. A. S. 15 maii 19 4, 6, 232)

Occasio dubiorum.

Edito Decreto *de absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda*, diei 5 augusti 1913 [1], exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a S. Congregatione de Religiosis, nempe :

Dubia

1. An Decretum sacrae Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, comprehendat etiam confessiones quas Religiosi ritus Latini faciunt apud Confessarios ritus Orientalis, et vicissim ?

Confessio apud Orientales.

2. An idem Decretum comprehendat etiam novicios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis ?

Confessio noviciorum.

Responsa S. Congr.

Emi ac Rmi Patres Cardinales, in plenario coetu habito in aedibus Vaticanis die 21 martii 1914, reposuerunt :

Ad 1um et ad 2um. Affirmative.

Approbatio SS.

Et sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, in audientia diei 23 eiusdem mensis et anni habita ab infrascripto sacrae Congregationis Secretario, responsiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (3 maii 1914).

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914.

O. Card. CAGIANO DE AZEVEDO, *Praefectus.*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

---

16. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

RESPONSA 3 MAII 1914

De missis ad intentionem Superiorum celebrandis
(A. A. S. 15 maii 1914, 6, 231)

Dubia.

Suessonien. et aliarum. — Quaesitum est a sacra Congregatione de Religiosis :

De interna actus ratione.

I. An Sacrum facere ad intentionem praefixam a Superiore proprie actum internum constituat, qui minime subest voluntati Superiorum ?

De obligatione iustitiae.

II. An Religiosus votorum simplicium, vi suae professionis, teneatur *ex iustitia*, aut solum ex caritate, ad celebrandum iuxta intentionem a Superiore praefixam, sibi reservata facultate celebrandi iuxta propriam intentionem in limitibus a Constitutionibus admissis ?

De obligatione in virtute S. oboedientiae.

III. An possint Superiores obligare sodales subditos in virtute sanctae oboedientiae ad celebrandum iuxta praescripta a Constitutionibus ?

Dies (21 mart. 1914).

Emi autem Patres Cardinales sacrae Congregationis de Religiosis, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 21 martii 1914, praefatis dubiis responderunt :

[1] Cfr. PERIODICA t. 7, n. **702**, p. 173 et p. (24) ss.

Responsa.

Ad 1 et 2. Ad 1um et 2um. Providebitur in tertio.

Ad 3. Ad 3um. Reformato dubio : « An Superiores Religiosi praecipere possint subditis suis etiam in virtute sanctae oboedientiae ut ipsi celebrent secundum intentionem a Constitutionibus praescriptam vel ab ipsis Superioribus statutam, salvis exceptionibus a Constitutionibus vel a legitima consuetudine sancitis ? », respondere censuerunt : Affirmative.

Approbatio SSi, 23 mart. 1914. Quam Emorum Patrum responsionem sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto sacrae Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit die 23 martii 1914.

Dies (3 maii 1914). Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 maii 1914.

O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus.*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

1. Prudenter declinata quaestione de interiore actus ratione et debito iustitiae, S. Congregatio auctoritatem Superiorum religiosorum praecipiendi celebrationem secundum intentionem a se definitam ampliorem affirmat quam petebatur. In dubio tertio enim agebatur solum de imperanda celebratione qualis Constitutionibus praescribebatur, dum in reformato dubio quaeritur num Superior celebrationem ad suam intentionem simpliciter praecipere possit, nisi Constitutiones vel legitima consuetudo aliquot sacra excipiant. Atque, in responsione sua, S. Congregatio potestatem tribuit Superiori ita praecipiendi in virtute S. oboedientiae.

2. Huiusmodi praecepto urgetur votum seu obligatio *religionis.*

Obligatio autem *ex iustitia,* de qua altera quaestio movebatur, neganda est. Cum enim religiosi nulla *positiva* iustitiae obligatione religioni devinciantur, nec in hominis actiones habeatur altum istud dominium quod in bona exteriora potestas publica possidet, iustitiae debitum sine novo ipsorum assensu religiosis oriri posse non videtur. Sic v. gr. regularis, postquam esse parochus voluit, eadem quae parochus iustitiae officia contrahit ; ex iustitia autem obligari nequit ut parochus fiat ; et, accepto stipendio, religiosus ex iustitia ad dantis intentionem celebrari debebit, ex iustitia autem obligari nequit ad stipendium accipiendum.

3. Noluit etiam S. Congregatio quaestionem ingredi de vi praecipiendi actus interiores quam, aliis negantibus, alii affirmant. Sed, freta more usitatissimo in religionibus, intentiones praescribendi, affirmat per se, etiam si constitutiones de re sileant, esse Superiori potestatem urgendi hanc indicationem in virtute s. oboedientiae.

17. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO « EDITA A NOBIS » 5 MAI 1914

De dioecesibus suburbicariis (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 219)

PIUS PP. X

Quo fine et quo consensu S. Pontifex haec decernat.

Edita a Nobis, die XV aprilis anni MCMX, Constitutio *Apostolicae Romanorum Pontificum* ut ad effectum adducatur, S. R. E. Cardinalibus qui in Curia resident, consultis, iisque magna consensione suffragantibus, haec Nos de apostolicae potestatis plenitudine, Motu Proprio, statuimus:

Communis bonorum administratio.

Omnia, quaecumque sex Ecclesiae Suburbicariae habent in bonis, posthac in unum cumulum collecta, Officio rei oeconomicae, quod est apud S. Consilium Fidei propagandae, appellato de Spoliis, administrentur: cuius administrationis ei quem Cardinales Episcopi suum procuratorem dixerint, quotannis erit reddenda ratio.

Redituum partitio.

Horum annui reditus bonorum ita in Cardinales Episcopos distribuentur, ut sena millia libellarum italicarum singuli accipiant, proprio quidem Suffraganeo praebenda; quod vero, ea summa detracta, superfuerit, in septem dividetur partes, quarum Cardinalis Decanus habeat binas, ceteri singulas: ita, quae Curiis Episcopalibus opus fuerint, suppeditare poterunt.

Excepta Ostiensi, quae a Veliterna separatur, dioeceses suburbicariae stabilem pastorem habebunt.

Iam. ut incommodis ac detrimentis occurratur quae frequens mutatio sedium gignere consuevit, hoc ratum fixumque esto, quod decrevimus, ut, quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio Sedem, in ea permaneat etiam cum Decani gradum attigerit; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit. Quare, perpetua coniunctione dirempta Veliternae dioecesis et Ostiensis, cui quidem accidet ut cum alia atque alia dioecesi in persona Cardinalis Decani coniungatur, hae Suburbicariae erunt sedes: Portuensis et Sanctae Rufinae, Albanensis, Praenestina, Sabinensis, Tusculana, Veliterna.

Suffraganei episcopi pensio, habitatio, residentia.

Cardinales Episcopi suo quisque Suffraganeo cum annua sex millium libellarum praebere, tum partem domus episcopalis ad habitandum assignare debent. Suffraganei vero in dioecesi Suburbicaria, quam vice sacra gubernandam susceperint, continenter perpetuoque residebunt.

Clausulae.

Itaque omnia quae his litteris decreta sancitaque sunt, valida et firma in omnes partes esse ac fore edicimus, inviolateque ab omnibus ad quos pertinet, servari iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam specialissima mentione dignis.

Dies (5 maii 1914).

Datum Romae apud S. Petrum, die V mensis maii anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. X

Annotationes

1. Utilissima ista reformatione quae Constitutione *Apostolicae* 15 aprilis 1910 [1], incepta est, dioeceses suburbicariae tandem aliquando regimen obtinebunt quod, tantopere com-

[1] Cfr. PERIODICA, t. 5, n. **395**, q, p. 131.

mendatum, plerisque orbis catholici ecclesiis invidere poterant. Dum enim ceterae dioeceses coniugio per se perpetuo cum pastore suo iungebantur, frequenti mutationi dioeceses suburbicariae obnoxiae erant. Namque, ex iure optionis quod, a consuetudine profectum, Sixtus V, C. *Postquam vetus* 3 dec. 1586 et Clemens XII, C. *Pastorale Officium,* 10 ian. 1731, sanxerunt, Cardinalis Episcopus antiquior in episcopatu [1], pro alia suburbicaria dioecesi optare poterat, qui autem ipsa antiquitate primus erat ecclesiam Ostiensem, cui Veliterna coniuncta erat, cum iure consecrandi Pontificem semper obtinebat. Nunc autem principium ponitur « ut quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio sedem, in ea permaneat ». Ostiensi tamen ecclesiae suum privilegium servatur. Quare semper a Cardinali Diacono obtinetur. Verum, ut minus damnosa mutatio fiat, a Veliterna dioecesi quacum ab anno 1150 coniuncta erat iam separatur et, ne alia ecclesia vacet, Decanus ad titulum quem habebat hunc novum coniungit. Itaque, pro reali unione, qua Ostiensis et Veliterna dioeceses uniebantur, succedit iam personalis, qua Ostiensis cum ecclesia quam Decanus pro tempore habet coniungetur.

Intactum autem manet ius optionis quo qui inter Cardinales Presbyteros antiquitate primus est suburbicariam ecclesiam vacantem sibi eligere potest.

Primus praesentis legis usus factus est in consistorio secreto 25 maii 1914, in quo Em. Card. Pompili, Ordinis Diaconorum, pro titulo presbyterali, Em. Card. Falconio, Ordinis Presbyterorum, pro ecclesia Veliterna optavit, dum Em. Card. Seraphinus Vannutelli, qua Decanus S. Collegii, optavit pro ecclesia Ostiensi, servando tamen ecclesiam Portus et S. Rufinae. (Cfr. A. A. S. t. 6 (1914), p. 263).

2. Aliis articulis bonae administrationi oeconomicae consulitur. Suffraganeo autem episcopo, cuius institutio e C. *Apostolicae* repetenda est, simul ius definitae annuae summae et habitationis et onus perpetuae residentiae tribuitur.

---

[1] Inter Cardinales episcopos antiquitas ex Ordine, inter ceteros autem ex creatione cardinalicia aestimatur. Bangen, *Die Römische Curie*, p. 42.

18. — SS. D. N. PII PP. X

ALLOCUTIONES IN CONSISTORIIS 25 ET 27 MAII 1914

De temporis praesentis necessitatibus

A. *Allocutio in consistorio 25 maii 1914.* (A. A. S. 28 maii 1914, t. 6, p. 253.)

Venerabiles Fratres,

Sua potius quam ipsorum causa Pontifex dolet Cardinales nuper vita functos.

Ex quo postremum ad vos, in sacrum Consistorium congregatos, verba fecimus, non ita quidem multum intercessit temporis; hoc tamen spatio non pauci de amplissimo Ordine vestro, alius ex alio, desiderati sunt, quorum plures nunc quoque Nos, oculos in nota subsellia coniciendo, requirimus. In quo digressum discessumque dolentes hominum merito carissimorum, Nostra potius quam eorum causa, dolere videmur: ipsi illuc abierunt ubi, propter aetatem sancte utiliterque in Ecclesiae fructum peractam iam beati, ut speramus, aevo fruuntur sempiterno; Nos, ipsorum pia ope industriaque destituti, etiamnum huius vitae fluctibus iactamur. Itaque non modo viduitati ecclesiarum consulendi, sed etiam Collegii vestri supplendi gratia vos convocavimus, Venerabiles Fratres; qui cum diligentissime elaboretis, ut curas Nobis ac sollicitudines apostolici muneris faciatis communicando leviores, suppetere vobis socios et adiutores, quibuscum honestissimo oneri pares sitis, aequissimum est. Eo vel magis quod, si circumspicimus qui communium rerum sit cursus, turbulentissima perseverant Ecclesiae tempora, cum et pravarum contagiones doctrinarum ad fidem christiani populi moresque corrumpendos ubique serpant, et ab hominibus qui publicum detrectant imperium Dei, aut religionem de rerum civilium societate depellunt, cotidianos prope impetus sustinere cogamur. — Quamquam tempestiva non desunt Nobis, Dei miserentis beneficio, solacia: ut superiore anno sollemnia saecularia cum agerentur, quod Constantini Magni edicto ex tam longis laboribus aerumnisque conquievisset Ecclesia coepissetque tandem tranquilla frui libertate. Nimirum non poterant quin magno opere Nos illae recrearent quae continenter per eos menses factae sunt significationes pietatis tam celebres tamque illustres: quibus catholicus orbis cum suam fidem animose confirmavit, tum visus est Crucem Christi tamquam extulisse manibus eamque humano generi laboranti unicum pacis fontem salutisque demonstrasse. Nunc enim, si umquam alias, quaeritur pax; cum videmus late civium ordines ordinibus, gentes gentibus, populos populis infensos, ex simultatibus, quas inter se gerant, cotidie acrioribus in horrifica saepe ac repente certamina erumpere. Sunt sane rerum usu praestantes gravissimique viri qui, civitatum atque adeo humanae societatis sibi causa proposita, consilia et rationes communiter elaborant, quem ad modum et calamitates turbarum caedesque bellorum prohiberi et perpetua domi forisque almae pacis praestari bona possint. Optimum enimvero propositum, sed parum fructuosa consilia, nisi detur simul et impense quidem opera, ut iustitiae caritatisque christianae praescripta alte in animis hominum radices agant. Hodie ut tranquillus turbidusve sit status vel

Collegium supplere vult, ut in his turbulentissimis temporibus sollicitudines communicatione leviores fiant.

Solacium captum memorat ex catholicis significationibus quibus pax Constantiniana celebrata est.

Pacis commune votum, communis necessitas, dum tot simultates in certamina erumpunt.

Laudabiliter sed frustra conantur pacem firmare, donec multitudo a callidis concitatoribus decipiatur.

societatis civilis vel rei publicae non tam in iis qui rebus praesunt, quam positum est in multitudine. Orbatis autem vulgo mentibus traditae divinitus luce veritatis, nec assuetis animis christianae legis disciplina contineri, quid mirum, si caecis cupiditatibus flagrantes multitudines ad commune exitium praecipites ruant, quo a callidis concitatoribus, qui propriae solum utilitati student, impelluntur? Iam vero, iustitiae et caritatis custos, magistra veritatis a divino conditore suo constituta Ecclesia, cum una omnium maxime ad communem salutem valeat, nonne civilis sapientiae sit in administratione rei publicae non tantum sinere ut suo ea munere solute ac libere fungatur, verum etiam omnibus eam subsidiis adiuvare? Quod contra fit; nam sic plerumque agitur cum Ecclesia, quasi non rerum quibus hic humanus civilisque cultus maxime continetur, procreatrix quaedam et parens fuerit, sed hostis et inimica habenda sit generis humani. Verum non ista commovere Nos debent: scimus, exemplo Christi, ut ad bene faciendum, ita ad iniurias pro beneficiis accipiendas natam esse Ecclesiam; nec ignoramus numquam ei, nedum in rebus asperis, divinam opem defuturam: cuius quidem rei sponsorem habemus Christum, historiam testem. Ipsi centum anni sunt, cum Pontificem Roma suum, contumeliis diuturnae captivitatis exemptum, in maxima orbis terrarum gratulatione triumphans excepit reducem. Mirari tum licuit omnibus, tamquam ornatam laurea martyrii, constantiam sanctissimi senis, qui unus contra potentissimi dominatoris contumaciam restitit victor. At longe maiori fuit miraculo, quod eo etiam tempore apparuit praesentissimum illud auxilium, quod Christus Dominus perpetuum Sponsae suae promiserat. Neque enim e tantis rerum angustiis Pius Septimus emersisset, nisi eum inde conservator Ecclesiae Deus praeter omnium exspectationem eruisset. — Sed ad rem redeamus. Deliberatum est igitur Nobis honore Collegii vestri, Venerabiles Fratres, aliquot afficere praestantes viros, qui vel in episcopali munere vel apud sacra Urbis Consilia vel in alio genere operam suam Nobis egregie probarunt.

Dum Ecclesia impeditur sua saluberrima actione.

Verum haec parum commovere debent homines qui promissa Christi memorant et felicem triumphum ante centum annos a Pio VII reportatum.

Hinc propositum creandi Cardinales manifestat.

B. *Allocutio in consistorio 27 maii 1914, in quo biretum impositum est* (A. A. S. 28 maii 1914, t. 6, p. 260).

Il grave dolore [1], provato dopo il Concistoro del 1911 per la perdita di tanti ottimi Cardinali, fu in qualche modo temperato dal conforto d'aver potuto riempire quel vuoto, ascrivendo ieri l'altro al sacro Collegio Voi, o miei Figli diletti. Le prerogative die pietà, di dottrina e di zelo che Vi distinguono, e sopra tutto la devozione che professate a questa santa Sede apostolica, mi assicurano che mi sarete di valido aiuto per mantenere intatto il deposito della Fede, per custodire l'ecclesiastica disciplina, e per resistere ai subdoli assalti, a cui è fatta segno la Chiesa, non tanto per parte di aperti nemici, ma specialmente degli stessi suoi figli. Che se

Solacium haustum et spes concepta ex novis Cardinalibus.

Fructus sollicitudinis de puri-

[1] Id est latine: « Gravis maeror quem, post consistorium 1911, ob tot amissos optimos cardinales, experti sumus, aliquo modo temperatus est consolatione inde suscepta quod vacua loca, vestra in Sacrum Collegium cooptatione, replere potuimus, o Filii dilecti. Dotes pietatis, doctrinae et zeli quibus praestatis, et maxime omnium devotio quam ad hanc Sedem apostolicam profitemini, me certiorem faciunt quod, ad Fidei depositum servandum intactum, ad custodiendam ecclesiasticam disciplinam, resistendum dolosis impugnationibus, quibus non solum manifesti hostes sed speciatim

è dovuto all'indomabile fermezza dei nostri padri, alla loro sollecita vigilanza, alla loro gelosa premura, e alla loro delicatezza direi quasi verginale in materia di dottrina il trionfo della Chiesa in tutti i pericoli e in tutti gli assalti mossi contro di essa nel corso dei secoli, forse in nessum tempo fu tanto necessario tener d'occhio questo sacro deposito, affinchè ne sia mantenuta l'integrità e la purezza. Siamo purtroppo in un tempo, in cui con molta facilità si fa buon viso, e si adottano certe idee di conciliazione della Fede con lo spirito moderno, idee che conducono molto più lontano che non si pensi, non solamente all'affievolimento, ma alla perdita totale della Fede. Non fa più meraviglia il sentire chi si diletta delle parole assai vaghe di aspirazioni moderne, di forza del progresso e della civiltà, affermando l'esistenza d'una coscienza laica, d'una coscienza politica opposta alla coscienza della Chiesa, contro la quale si pretende al diritto e al dovere di reagire, der correggerla e radrizzarla. Non è nuovo l'incontrarsi in persone che mettono fuori dubbi e incertezze sulle verità e anche affermazioni ostinate sopra errori manifesti, cento volte condannati, e ciò non ostante si persuadono di non essersi mai allontanate dalla Chiesa, perchè qualche volta hanno eseguite le pratiche cristiane. Oh! quanti naviganti, quanti piloti, e, Dio non voglia, quanti capitani facendo fidanza con le novità profane e con la scienza bugiarda del tempo, anzichè arrivare al porto, hanno fatto naufragio!

tate fidei. Hodierna specialis diligentiae necessitas.

Adulteratae catholicorum rationes.

Fra tanti pericoli, in ogni contingenza, non ho mancato di far sentire la mia voce per richiamare gli erranti, per segnalare i danni, e per tracciare ai cattolici la via da seguire. Ma non sempre, nè da tutti fu bene intesa e interpretata la mia parola, quantunque chiara e precisa. Anzi non pochi, seguendo l'esempio funesto degli avversari, che spargono zizzania nel campo del Signore per portarvi la confusione e il disordine, non si peritarono di darle arbitrarie interpretazioni, attribuendole un significato

Pontifex falsas ipsius verborum interpretationes deplorat.

---

ipsi Ecclesiae filii hanc obnoxiam faciunt, mihi valido auxilio eritis. Quod si indomita Patrum nostrorum constantia, sollicita vigilantia, tenax studium et quasi virginalis in re doctrinali pudicitia, id effecerunt ut ex omnibus periculis et impetibus quae, labentibus saeculis, tolerare debuit, Ecclesia victrix evaserit, nullo fortasse tempore tam necessarium fuit sacrum istud depositum intento oculo custodire ut integrum et purum servetur. Nimis enim in tempore versamur in quo prompti sunt homines ut bono vultu excipiant et acceptent quasdam componendi Fidem cum moderno spiritu rationes quibus, longius quam vel putaverint pertracti, non tantum ad fidem debiliorem sed ad fidem omnino nullam perveniunt. Iam non miramur audire qui verba parum definita modernarum aspirationum, vis progressus et cultus libenter proferunt, affirmando exsistere conscientiam laicam, conscientiam politicam cui opponatur conscientia Ecclesiae: huic reniti ut corrigatur et emendetur, ius sibi esse et officium. Praeter solitum non accidit ut homines obvios habeas qui quae vera sunt tamquam dubia et incerta tractant, errores autem manifestos, centies damnatos, obstinate affirmant, et nihilominus se numquam ab Ecclesia recessisse existimant, quia usus christianos quandoque exercuerint. Oh! quot navigatores, quot gubernatores, et, quod Deus ne sinat, quot navarchi propter facta cum profanis novitatibus et mendaci temporis scientia sponsalia, naufragium fecerunt nedum portum attigerint!

» Inter tot pericula, omni occasione, vocem attollere non omisi ad errantes revocandos, ad denuntianda damna et ad ostendendam catholicis viam quam sequantur. Verba tamen mea, utut clara et definita, non semper tamen nec ab omnibus bene intellecta et declarata sunt. Immo non pauci, exitiosum exemplum secuti adversariorum qui, superseminando zizania, agrum Domini confusione et perturbatione replere meditantur, arbitrariis interpretationibns significationem intentioni Papae

affatto contrario a quello voluto dal Papa, e ritenendo come sanzione il prudente silenzio.

Opera novorum Cardinalium opus habet.

Inculcent animis unitatem doctrinae prudentem sacerdotum abstinentiam a suspectis personis et non plene probatis ephemeridibus; veram devotionem erga Papam.

Ed in queste dure condizioni ho proprio bisogno del valido ed efficace concorso dell' opera vostra, o miei Figli diletti, tanto nelle varie diocesi alle quali con la dispensa papale farete ritorno, come nella Curia e nelle Congregazioni Romane, perchè per la dignità alla quale siete innalzati, uniti di mente e di cuore al Papa, siate tra i primi difensori della sane dottrina, fra i primi maestri nella verità, i banditori dei precisi voleri del Papa. Predicate a tutti, ma specialmente agli ecclesiastici ed agli altri religiosi, che niente tanto dispiace a Nostro Signore Gesù Christo e quindi al Suo Vicario, quanto la discordia in fatto di dottrina, perchè nelle disunioni e nelle contese Satana mena sempre trionfo, e domina sui redenti. Per conservare l'unione nella integrità della dottrina, premunite specialmente i sacerdoti dalla frequenza di persone di fede sospetta e dalla lettura di libri e giornali, non dirò pessimi, dai quali rifugge ogni onesto, ma anche di quelli che non sieno in tutto approvati dalla Chiesa, perchè è micidiale l'aria che si respira, ed è impossibile maneggiare la pece e non restarne inquinati. Se mai Vi incontraste in coloro che si vantano credenti, devoti al Papa, e vogliono essere cattolici ma avrebbero per massimo insulto l'essere detti clericali, dite solennemente che figli devoti del Papa sono quelli che obbediscono alla sua parola ed in tutto lo seguono, e non coloro che studiano i mezzi per eluderne gli ordini, o per obbligarlo con insistenze degne di miglior causa ad esenzioni o dispense tanto più dolorose quanto più sono di danno e di scandalo. Non cessate mai di ripetere che, se il Papa ama ed approva le associazioni cattoliche, che hanno di mira anche il bene materiale, ha sempre inculcato che deve avere in esse la prevalenza il bene morale e religioso, e che al giusto e lodevolo intento di migliorare le sorti dell' operaio e del contadino dev' essere sempre

Dolet paene extortas quasdam damnosas dispensationes. Quod consociationum genus honestum sit, quodnam praeferatur.

---

prorsus contrariam dare et prudens silentium in approbationem convertere non eruebuerunt.

» In istis difficilibus adiunctis, valido et efficaci operae vestrae auxilio vere opus mihi est, o dilecti Filii mei, cum in variis dioecesibus ad quas cum pontificia dispensatione redibitis, tum in Curia et Romanis Congregationibus, ut, pro dignitate qua aucti estis, mente et corde cum Papa coniuncti, inter primos sanae doctrinae defensores, inter primos veritatis magistros sitis et exactarum voluntatum papalium praecones. Omnium quidem animo sed praesertim ecclesiasticorum virorum et aliorum (sic) religiosorum defigite, nihil Domino Nostro Iesu Christo atque eius proinde Vicario magis quam doctrinales discordias displicere, quia ex disciditis et disputationibus satanas semper triumphum agit et redemptis dominatur. Ut in doctrinae integritate unio servetur, maxime sacerdotes cautos redd.te ne personas suspectae fidei frequentent, ne libros et diaria legant non dico pessima ista a quibns omnis honestus aversatur, sed ne illa quidem quae ab Ecclesia non plene approbata sint, quia aer respiratur exitialis, et fieri nequit ut picem tractes quin inquineris. Si quos obvios habeatis qui se fideles, Papae devotos praedicant et catholici esse volunt, sed vocari clericales maxime iniuriosum sibi reputent, cum auctoritate dicite devotos Papae filios illos esse qui ipsius dictis oboediunt ipsumque in omni re sequuntur, non autem qui media quaerunt eius iussiones declinandi aut ipsum, pertinacia quae meliorem causam postulet, cogendi ad exemptiones vel dispensationes concedendas quae quo magis damnosae et scandalosae sint eo maiorem dolorem afferunt. Id iterum atque iterum atque iterum dicite, catholicas consociationes quae utilitatem etiam materialem persequuntur a Papa quidem amari et approbari, ita tamen, sicut faciendum esse semper docuit, ut utilitati morali et religiosae primae partes deferantur, et iustae ac laudabili intentioni meliorem reddendi opificis et ruricolae condicionem amo iustitae iungatur cum usu mediorum legitimorum quibus inter varios sociales ordines

unito l'amore della giustizia e l'uso dei mezzi legittimi per mantenere tra le varie classi sociali l'armonia e la pace. Dite chiaramente che le associazioni miste, le alleanze coi non cattolici pel benessere materiale a certe determinate condizioni sono permesse, ma che il Papa predilige quelle unioni di fedeli che, deposto ogni umano rispetto e chiuse le orecchie ad ogni contraria lusinga o minaccia, si stringono intorno a quella bandiera, che, per quanto combattuta, è la più splendida e gloriosa, perchè è la bandiera della Chiesa.

Benedictio Xti implorator.

Questo è il campo, o miei Figli diletti, nel quale dovete esercitare la vostra attività ed il vostro zelo. Ma poichè a nulla vale il nostro lavoro se non sia dal Cielo benedetto, preghiama Nostro Signore Gesù Christo, che strinse e suggellò col Suo Sangue l'universale fratellanza del genere umano, e raccolse tutti coloro che erano per credere in Lui come in una sola famiglia, a coordinare per l'opera nostra le intelligenze e le voluntà di tutti con tale perfezione di concordia che tutti i figli della Chiesa siano una cosa sola fra di loro come una cosa sono Egli ed il Padre.

Apostolica benedictio conceditur.

Ed in questa cara speranza, Vi impartisco con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

Annotatio

Graves istas adhortationes commentariis onerare nostrum non est. Id unum, historicae utilitatis causa, indicandum ducimus. Cum dispensationes damnosae, quas Pontifex sibi paene ereptas dolet, a non nullis dispensationes ab abiurando modernismo quibusdam Germaniae professoribus concessae esse perhiberentur, id ab ephemeride *Osservatore cattolico* negatum est, addita declaratione, de Germania solas mixtas opificum consociatianes Papae ante oculos obversatas esse.

---

harmonia et pax conserventur. Aperte dicite licere quidem ut, certis servatis legibus, ad utilitatem materialem prosequendam, consociationes mixtae et foedera cum non catholicis conflentur, a Papa tamen istas fidelium consociationes praecipuo amore foveri quae, seposito omni humano respectu, et surdis auribus ad omnes contrarias blanditias vel minas, illi vexillo se aggregant quod, cum sit Ecclesiae vexillum, quantumcumque impugnetur, cetera splendore et gloria vincit.

» In isto campo, o dilecti Filii, actio vestra et zelus explicanda sunt. Sed cum opera nostra ad nihilum valeat nisi a Deo benedicatur, oramus Dominum Nostrum Iesum Christum, qui sanguine suo universam generis humani fraternitatem firmavit et sigillavit, et omnes quotquot in Ipsum crediturl erant quasi in unam familiam collegit, ut, opera nostra usus, omnium intellectus et voluntates tam perfecta concordia inter se ordinet ut omnes Ecclesiae filii unum quidpiam inter se sint sicut Ipse et Pater unum sunt.

» In qua amata spe, apostolicam benedictionem vobis effuso animo impertior. »

19. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 14 MAII 1914

Declaratio commissae excommunicationis

(A. A. S. 28 maii 1914, 6, 277.)

Memorata vetere traditione et actione SS. D. Pii Pp. X

Quantum semper abominata sit Ecclesia clericos a christifidelibus in ius rapi coram laicis iudicibus in saeculari foro, sacri canones vel antiquissimi, qui ab ipsis monitis Apostoli Pauli ad Corinthios (I, cap. VI) sumunt initium, et poenae sanctionesque gravissimae contra huius legis transgressores illatae plane docent et omnibus perspicuum est. Quas leges et sanctiones nuper renovans et confirmans SS. D. N. Pius PP. X Apostolicis Litteris diei 9 octobris 1911 haec statuebat et edicebat : « Quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas « quasvis ecclesiásticas sive in criminali causa sive in civili, nullo « potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique « adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem « latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere ».

et narratis actis sacerdotis Gnam,

Cum autem sacerdos Philippus J. Gnam, olim parochus loci Wyoming in comitatu Lambtoniensi dioecesis Londonensis in Canadensi dominio, temerario et sacrilego ausu, spretis tribunalibus ecclesiasticis, absque ulla licentia, immo salutaribus monitionibus eidem factis contemptis, memoratam canonicam legem violaverit : immo ad tantum facinus progressus sit, ut ipse sacerdos, qui ceteris exemplo esse deberet et ecclesiasticae legis tutor, absque ullo iustitiae titulo (ceu exitus causae commonstravit) ipsum Metropolitanum suum Archiepiscopum Torontinum et Apostolicae Sedis Delegatum coram saeculari foro in iudicium primae et secundae instantiae rapuerit, in poenam excommunicationis speciali modo Summo Pontifici reservatae miserrime incidisse lugendum est.

hunc in excommunicationem specialiter reservatam Papae incidisse de mandato Pontificis declaratur, ita ut vitandus sit.

Quapropter ad salutarem ipsius sacerdotis correctionem, ad ecclesiasticae disciplinae tutelam, ad scandali et laesae iustitiae reparationem, de mandato ipsius Summi Pontificis, praesenti decreto declaratur, denunciatur, statuitur memoratum sacerdotem Philippum J. Gnam in poenam excommunicationis incidisse et a fidelibus omnibus iuxta ecclesiasticas leges esse vitandum.

Dies (14 maii 1914).

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis Consistorialis, die XIV maii MCMXIV.

† C. Card. De Lai, *Episcopus Sabinen., Secretarius,*
I. Bapt. Rosa, Substitutus.

Annotatio

Non ii tantum qui nominatim excommunicantur, verum ii etiam qui in excommunicationem incidisse authentice declarantur, vitandi sunt. Quod praesenti decreti conclusione comprobatur.

Ipsum decretum motu proprio 9 oct. 1911, *Quantavis diligentia*, exscripsimus in Periodicis, t. 6, n. **538**, p. 105-109. De eius tamen vi cfr. *Notandum*, ibidem n. **563**, p. 190.

20. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 22 MAII 1914

De communi Plurium Confessorum et Virginum

(A. A. S. 28 maii 1914, 6, 282.)

Decreti opportunitas.

Cum in calendariis particularibus aliquoties duo vel tres sancti aut beati, sub eodem Communi descripti, eadem die et sub eodem ritu ita occurrant, ut unico festo, officio et missa sint recolendi ad normam decreti 28 octobris 1913, humiles enixaeque preces ab eiusmodi Calendaria habentibus sacrae Rituum Congregationi porrectae sunt, ut pro his casibus nova officia cum missis de Communi, praeter cetera iam exsistentia, conficere atque approbare vellet, in Propriis particularibus opportune inserenda. Sacra porro ipsa Congregatio, his votis precibusque indulgens, facto verbo cum sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, quattuor officia cum missis de Communi, nempe plurium Confessorum tam Pontificum quam non Pontificum itemque plurium tam Virginum quam non Virginum concinnanda curavit; atque, opere diligenter absoluto et reviso, eiusdem sanctissimi Domini nostri auctoritate probavit. Potestatem insuper fecit R^mis episcopis aliisque locorum Ordinariis ac Superioribus cuiusvis Ordinis, Congregationis seu Instituti calendarium particulare habentis, suprarelata officia et missas de Communi iuxta prudens eorum iudicium, respectivis Propriis approbatis inserendi, et semel pro semper ecclesiis, clero aliisque personis ad divinum Officium recitandum astrictis ac subditis concedendi, iubendi ac praeceptiva declarandi in enuntiatis festis, sive ex integro, sive pro ea parte quae de Communi sumenda est, si altera propria habeatur. Pro clero autem saeculari almae Urbis, sacra eadem Congregatio, de mandato ipsius sanctissimi Domini nostri, eadem officia praeceptive adhibenda esse declarat.

Porrectae preces.

Approbatio Officiorum.

Ordinariis et Superioribus facta potestas.

Usus in Urbe.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 22 maii 1914.

Clausula.

Dies (22 maii 1914).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

---

21. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 22 MAII 1914

De festis quae speciali modo in quibusdam Ordinum provinciis recoluntur (A. A. S. 28 maii 1914, 6, 283.)

Decreti causae.

Ut debitae uniformitati in Ordinibus et Congregationibus religiosis quod ad rem liturgicam consulatur, et quaedam incommoda quae ex reformatione calendariorum generalium in Religiosorum provinciis, conventibus, monasteriis aut domibus oriri possent, propulsentur, sacra Rituum Congregatio, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, sequentia statuere censuit:

Ritus festi Sancti in coenobio

I. Festa Sanctorum Ordinis seu Congregationis, in ecclesiis coenobii, monasterii aut domus in quibus obierunt, vel eorum corpus aut insignis

ubi obiit vel insignis eius reliquia habetur.

reliquia asservatur, sub ritu duplici secundae classis recolantur. Festis vero beatorum, sive sollemniter sive aequipollenter beatificationis honores adepti sint, ritus duplex maius, in casu exposito, tribuatur: ritu tamen duplici minori assignato festis beatorum huiusmodi pro reliquis eiusdem religiosae provinciae conventibus, monasteriis seu domibus, quatenus in Ordinis seu Congregationis calendario iis ritus tantummodo semiduplex aut simplex fuerit ascriptus. Servatis tamen legibus de occurrentia et concurrentia, et abolito, in casibus expositis, ritu superiori, sicubi fuerit concessus.

Quid de Beato?

Concessio nova et revocatio alius concessionis.

Festa Sanctorum Instituti qui extra diem obitus celebrantur.

II. Festa sanctorum Ordinis seu Congregationis qui, sive in tota Ecclesia sive in universo Ordine aut Congregatione extra diem obitus celebrentur, in die assignata iugiter recolantur, etiamsi festis ritus altior competat et qualitas Titularis propriae ecclesiae vel Patroni religiosae provinciae accedat; servata tamen uniformitate cum clero saeculari, quotiens ab hoc iidem sancti qua Patroni locorum principales, vel ecclesiarum cathedralium Titulares extra diem pro tota Ecclesia vel pro universo Ordine aut Congregatione assignatam, celebrentur, ut uniformitas inter utrumque clerum habeatur.

Festa Sanctorum Instituti qui Patroni principales aut Titulares fuerint.

III. Festa sanctorum Ordinis aut Congregationis qui Patroni locorum principales vel cathedralium ecclesiarum Titulares sint, a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis ibidem sub ritu duplici primae classis cum octava, uti a clero saeculari, recolantur. Item si festa sanctorum vel beatorum Ordinis aut Congregationis ritu superiori a clero saeculari alicuius dioecesis aut loci recolantur, ibidem etiam a Religiosis utriusque sexus eiusdem Ordinis aut Congregationis eodem ritu superiori celebrari poterunt, dummodo in dioecesi vel loco eadem die de huiusmodi sanctis vel beatis fiat Officium, qua fit in Ordine aut Congregatione.

De festis Beatorum quorundam.

IV. Festa beatorum, etiam sicubi sub ritu altiori quam apud Ordinem universum aut Congregationem, celebrentur, in die quo apud calendarium generale Ordinis aut Congregationis inscribuntur, inviolate recolenda sunt, et a sociis minime separentur; attamen Beati proprii nomen et gesta, quae seiuncta sint, nomini et gestis sociorum praeferuntur.

Quaenam exterior sollemnitas permissa in alia die.

V. Si festa sanctorum aut beatorum Ordinis vel Congregationis quae huc usque in die obitus et cum magno populi concursu agebantur, in posterum, ob calendarii reformationem, extra eandem diem celebranda sint; poterit Superior generalis permittere ut in ecclesiis conventuum, monasteriorum aut domorum in quibus iidem sancti aut beati obierunt, vel eorum corpus aut insignis reliquia asservatur, unica missa cantata et alia lecta more festivo de iisdem in praefato die obitus celebrentur, dummodo non occurrat festum duplex primae classis, aut aliquod ex Officiis duplicia primae classis impedientibus.

Approbatio Pontificis.

Clausula.

Atque haec omnia sacra eadem Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ab Ordinibus et Congregationibus religiosis utriusque sexus quae Romano utuntur Breviario, servanda mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (22 maii 1914).

Die 22 maii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

ANNOTATIONES

Saepe occurrit ut in aliqua domo vel provincia religiosa sanctus vel beatus huius Ordinis altiore ritu sit excolendus quam in reliquo Ordine, ob peculiarem conexionem quam ille sanctus vel beatus cum memorata provincia vel domo habuit. De ordinandis his festis agit praesens decretum.

Specialem relationem cum domo vel provincia sanctus vel beatus habere potest, non solum si est Titularis ecclesiae propriae aut cathedralis, aut Patronus loci vel dioecesis, sed etiam si est Patronus provinciae regularis, aut illi ascriptus fuit, vel in domo aut provincia obiit, aut in domo vel provincia corpus eius vel reliquia insignis asservatur.

Duo in decreto determinantur : ritus quo praedicti sancti vel beati celebrari debeant, et dies quo eorum festum sit agendum.

1. **De ritu quo sancti illi vel beati coli debeant.**

a) Nihil dicitur de ritu quo celebrari debeat sanctus qui fuerit Titularis ecclesiae propriae ; nimis enim est evidens illum sanctum gaudere festo duplici 1 classis cum octava.

b) Titularis ecclesiae cathedralis, Patronus loci vel dioecesis per se a regularibus celebrari deberet sub ritu duplici 1 classis *sine octava,* a clero vero saeculari *cum octava;* cum autem visum sit inconveniens ut sodales alicuius Ordinis minore ritu celebrent sanctum sui Ordinis quam clerus saecularis, statuit praesens decretum praedictum Titularem vel Patronum a sodalibus eiusdem Ordinis esse recolendum sub ritu duplici 1 classis cum octava sicut fit a clero saeculari. Ob eandem rationem permittitur ut, si sanctus aut beatus alicuius Ordinis a clero saeculari dioecesis vel loci recolatur ritu altiori quam inscriptus est in calendario eiusdem Ordinis, eodem ritu celebrari possit a regularibus eiusdem Ordinis in hac dioecesi vel loco commorantibus, dummodo tamen de hoc sancto vel beato eadem die fiat in dioecesi vel loco et in Ordine.

c) De Patrono provinciae regularis qua tali fit quidem sermo in decreto, et ita quidem ut pronum sit concludere esse provincias religiosas quibus talis concessus sit etiam sub ritu duplicis 1 classis cum octava. Cum vero ex nulla regula huiusmodi patronatus soli regularium electioni relinquatur, patet alicuius sancti ritum nullatenus elevari ex eo quod ab aliqua provincia regulari fuerit qua eius patronus electus.

Neque haec ritus elevatio aliquo indulto generali conceditur provinciae cui per vitam sanctus vel beatus fuerit ascriptus. Nisi proinde habeatur specialis concessio, vel beato faveat concessio de qua statim sub d), in hac provincia ille sanctus aut beatus eodem ritu erit colendus atque in reliquo Ordine.

d) In domo in qua occubuit, vel eius corpus aut reliquia insignis [1] asservatur, sanctus recolendus est sub ritu duplici 2 classis, beatus vero sub ritu duplici maiori. Insuper in reliqua provincia festum huius beati recolatur sub ritu duplici minore, si in reliquo Ordine gaudet ritu inferiore.

Pro sancto qui in domo provinciae obiit, vel cuius corpus aut reliquia insignis asservatur, non conceditur in reliquis provinciae domibus ritus altior quam in cetero Ordine, probabiliter quia sancti solent iam in toto Ordine excoli sub ritu duplici maiori.

2. **De die in qua celebrandum sit festum illorum sanctorum vel beatorum.**

a) Si sermo sit de Titulari ecclesiae cathedralis, aut de Patrono loci vel dioecesis, omnino celebrari debet eadem die qua recolitur a clero saeculari, etiam si in Ordinis calendario alia die sit inscriptus.

b) Secus omnino celebrari debet die quo inscriptus est in calendario Ordinis, etiam si haec fuerit extra diem natalem ; et si beatus inscriptus sit cum sociis, ab iis non potest separari ; nomen tamen beati qui potiore cultu honoratur praeponitur nominibus sociorum, itemque eius gesta, quae seiuncta sunt, praeferuntur gestis sociorum.

c) Si festum fuerit hucusque celebratum cum magno populi concursu in die obitus, nunc autem propter reformationem calendarii alia die est ascriptum, potest Superior generalis in ipsa die obitus, de sancto vel beato permittere unam missam cantatam et aliam lectam in ecclesia domus in qua sanctus obiit vel eius corpus aut reliquia insignis asservatur, dummodo tamen non occurrat duplex 1 classis aut officium duplex 1 classis excludens. Haec missa fiet more festivo cum *Gloria* et *Credo* propter reliquiam insignem ; commemorationes fient ut in missis sollemnitatum quae per decretum 28 oct. 1913 permittuntur. I. Pauwels, S. I.

---

22. — S. RITUUM CONGR.

RESPONSA 25 MAII 1914

Dubia de Officiis Breviarii (A. A. S. 28 maii 1914, 6, 285.)

Dubia. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione submissa sunt, nempe :

---

[1] Reliquia insignis, ut declaravit S. R. C. (decr. 460 ad 3), est, praeter corpus integrum, caput, brachium, crus aut illa pars in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinario approbata. Insuper, ex decr. 4041, uti reliquiae insignes haberi debent cor, lingua, manus, si ex miraculo intactae conserventur.

De S. Genovefa in Gallia.

I. Quodnam officium sumendum sit a dioecesibus Galliae, quae hucusque festum S. Genovefae Virg. in calendario dioecesano inscriptum non habebant,

De quibusdam Sanctis Hispaniae.

II. Quodnam officium item recitari debeat in Hispania pro festis Ss. Fulgentii, Ildephonsi ac Leandri, utrum scilicet de Doctoribus, ut hucusque factum est, an de Communi Confessorum Pontificum,

De lectionibus emendatis Proprii Romani.

III. Utrum Lectiones emendatae in festis Ss. Felicis III Papae et Conf., Benedicti Iosephi Labre Conf., Felicis a Cantalicio Conf., Ioannis Baptistae de Rossi Conf , Hadriani III Papae et Conf., Rochi Conf , Hilari Papae et Conf. ac Eusebii Papae et Mart., necnon Bb. Urbani V Papae et Conf., Gasparis del Bufalo Conf., Ioannis Leonardi Conf. et Victoris III Papae et Conf., quae in Proprio Romano nuper approbato habentur, sumi debeant vel possint ab omnibus dioecesibus seu institutis eadem festa celebrantibus, quae magis proprias non habeant.

De lectionibus historicis in unum contractis.

IV. Utrum in Propriis particularibus fas sit lectiones historicas festorum Ecclesiae universalis, quae in respectivis calendariis impedita ab officio nobiliori, commemoratione tantum pollent, contractas in unam redigere, uti factum est in praefato Proprio Romano.

Responsum.

Et sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit :

Ad I.

Ad I. Sumatur officium approbatum die 27 ianuarii 1853, et hucusque pro aliquibus locis ad calcem Breviarii appositum.

Ad II.

Ad II. Nihil innovetur.

Ad III.

Ad III. Congruentius posse, sed non teneri ; iuxta decisionem ab Ordinario seu Superiore semel pro semper sumendam et in posterum observandam.

Ad IV.

Ad IV. Affirmative et in casu lectiones contractae a sacra Rituum Congregatione postulentur.

Dies (25 maii 1914).

Atque ita rescripsit, die 25 maii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*,
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

Annotationes

Ad III. In Motu Proprio « Abhinc duos annos », SS^mus. D. Pius X haec scribebat : « Ad compositionem Breviarii sic corrigendam ut talis exsistat qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt : ... sobrie sanctorum vitas ex monumentis retractare. » Haec autem lectionum historicarum reformatio, non ad solas lectiones ipsius Breviarii Romani restringitur, sed et lectiones quae in diversis Propriis Dioecesium vel Ordinum occurrunt respicit [1]. Porro, ex iis est quae plerumque labores requirunt cum magnos, tum diuturnos, ob eamque causam non nisi post longos annos perfici poterit, ita ut in praesenti calendariorum reformatione, nondum possibile sit eam imponere. Quaedam tamen lectiones in Proprio Romano occurrentes, iam fuerunt

[1] Cfr. Litteras circulares 15 maii 1912. Periodica n. **575**, E, t. 6, p. 208.

correctae ; cum autem de iisdem sanctis in non nullis aliis dioecesibus vel in quibusdam Ordinibus fiat officium, permittitur ut in novo Proprio harum dioecesium vel ordinum inserantur novae illae lectiones ; nondum tamen haec correctio ipsis imponitur, probabiliter quia in his calendariis multae aliae lectiones correctione indigent, et ideo visum non est dimidiatam hanc correctionem imponere.

Ad IV. Suppressis plerisque translationibus, etiam festorum in perpetuum impeditorum, iam saepius de officio impedito facienda erit commemoratio cum 9 lectione historica. Haec, ex regulis hucusque vigentibus, componi debet ex omnibus lectionibus historicis propriis festi simplificati, ac proin plerumque ex tribus 2 Nocturni. Non parva saepe exinde officii productio ; in novo Proprio Romano proin lectiones illae fuerunt contractae. Idem nunc permittitur pro reliquis Propriis, sed lectiones contractae a S. R. C. sunt postulandae, aut saltem ipsius approbationi subiciendae.

I. Pauwels, S. I.

---

23. — S. RITUUM CONGR.

RESPONSA 4 APRILIS 1913

De antiphona B. M. V. et oratione pro defunctis [1]

Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis a primaeva observantia.

. . . . . .

Dubia. *De antiphona B. M. V.*

III. An quando, dicta missa conventuali de Festo occurrente, dicitur post Nonam missa de Feria absque assistentia choralium, dicit debeat antiphona finalis B. M. V. ? et quatenus affirmative :

a) An dicenda sit quando chorus ex pia consuetudine etiam missae de Feria assistat ?

De omittenda imperata.

IV. An oratio permissa in missis de Feria celebrandis in altari privilegiato pro defunctis computanda sit in numero Orationum, ut collectae imperatae omitti possint ?

Et sacra eadem Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus diligenter perpensis, propositis dubiis ita respondendum censuit :

. . . . . .

Ad III. Ad III. Ad 1 et 2 omittatur antiphona finalis.

Ad IV. Ad IV. Affirmative iuxta decretum S. R. C. diei 12 iunii 1912, servato recentiore Decreto S. O. diei 20 februarii 1913.

Atque ita rescripsit ac declaravit die 4 aprilis 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praef.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secret.*

---

[1] Ex Periodico Liturgisch Tijdschrift, 4e Jaargang, 1913, n. 2, p. 147.

Annotationes

Etsi hoc responsum in Acta Apostolicae Sedis non vulgatum, debita promulgatione careat, ut plenae authentiae vim obtineat, mentem tamen S. Congregationis certam pandit, ac proin, cum responsum non fundetur in peculiaribus adiunctis, praxim refert quae ab omnibus teneri potest.

Verba novae rubricae : « Collectae prohibentur... quandocumque in missa dicendae sint plus quam tres orationes a rubrica eo die praescriptae » ita plerumque intellegebantur ut imperata omitti posset tantum in casu quo *ex obligatione* plus quam tres orationes in missa essent dicendae, sive illae dicerentur vi rubricae proprie dictae, (ut, v. g. si sermo sit de commemorationibus specialibus) sive ex aliqua regula generali, aut etiam ex indulto (ut v. g. in anniversario electionis episcopi, aut in missa cantata coram SS^mo^ exposito), non vero si quarta oratio tantum ad libitum celebrantis erat permissa [1].

Post decretum 12 iun. 1912 [2], res potuit videri dubia si quarta oratio erat oratio pro defuncto addita ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati. Hoc enim decreto, ad praedictum effectum obtinendum, illa oratio praescribitur ; verum ex alia parte tamen haec praescriptio non erat nisi condicionata, si nempe celebrans voluerit indulgentiam altaris privilegiati lucrari ; sed, post decretum S. Officii 20 februarii 1013 [3] *obligatio* addendi hanc orationem pro defunctis ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati fuit sublata, ita ut nunc illa oratio iam nullo modo dici possit praescripta.

Ex vera aliqua praescriptione ergo arguere non possumus ; sed die 21 iunii 1912 prodiit aliud decretum *Seynen et aliarum* [4], in quo, in responso ad 5, dicitur imperatam collectam omittendam esse quando in missis privatis, post tres orationes eo die praescriptas, addita est oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi; haec tamen oratio in casu generatim non est praescripta, sed tantum ad libitum celebrantis permissa. Porro hic casus nostro prorsus est similis.

Ex his responsis concludendum est, ad hoc ut quarta oratio prohibeat imperatam, non esse necesse hanc quartam orationem esse proprie praescriptam, sed sufficere ut non sit ex orationibus stricte votivis quas celebrans, ultra orationes praescriptas, ad quinque vel septem, in missis ritus simplicis ad libitum addere potest.

Cum autem oratio addenda pro defunctis nullam excludat

---

[1] Cfr. Periodica n. **554**, t. 6, p. 177.
[2] Cfr. Periodica n. **599**, A, t. 6, p. 251.
[3] Cfr. Periodica n. **669**, t. 7, p. 121.
[4] Cfr. Periodica n. **599**, B, t. 6, p. 253.

orationem de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis, inde consequens est, in missis de Feria, in quibus additur oratio pro defunctis, imperatam semper esse omittendam, nisi occurrat commemoratio duplicis.

Re quidem vera, in decreto praesenti non fit sermo nisi de missa celebrata ad altare privilegiatum, sed, ut superius ostendimus, in hac missa iam nulla adest ratio peculiaris imperatam supprimendi, quae non occurreret in qualibet alia missa de Feria, in qua adderetur Oratio pro defunctis: solutio igitur habenda est ut generalis.

I. Pauwels, S. I.

---

24. — S. CONGR. RITUUM

DECLARATIO 28 APR. 1914

De vi inscriptionis in calendario sanctorum vel beatorum nondum authentice agnitorum

(A. A. S. 15 maii, 1914, 6, 235.)

Declarationis opportunitas.

In calendariis perpetuis et Propriis quae, iuxta novissimas Rubricas ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motu Proprio *Abhinc duos annos* SSmi Dni nostri Pii Papae X, et S. R. C. decreta 12 decembris 1912 et 28 octobris 1913 reformata, ipsius sacrae Congregationis revisioni et approbationi subiciuntur, aliquando sancti vel beati notantur qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, prouti speciatim praescribitur per generale decretum n. 3926, diei 19 iulii 1896 ad 1 et 2.

Inscriptio admittitur, sed pro beatificatione valere nequit.

Cum tamen eiusmodi sancti vel beati nuncupati in locis particularibus, ex immemorabili consuetudine, publico ac religioso cultu honorantur cum officio et missa, atque, hac de causa, in memoratis calendariis et Propriis a Rmis Ordinariis inscribantur, sacra Rituum Congregatio, de mandato eiusdem SSmi Domini nostri declarat ex hac inscriptione nullo pacto fas esse arguere ipsos sanctos vel beatos nuncupatos beatificationem formalem vel aequipollentem obtinuisse, eorumque cultum, prouti de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, et recentioribus S. R. C. decretis seu declarationibus dd. 11 novembris 1912 et 31 ianuarii 1913, recognitum et confirmatum fuisse, sed tantum concludere licet horum sanctorum vel beatorum cultum manere in statu suae possessionis, ac proinde neque augeri neque extendi posse inconsulta S. Sede.

Usus signi specialis commendatur.

Demum hortantur (*sic*) Rmi Ordinarii ut memorati sancti vel beati in suis calendariis et Propriis particularibus aliquo signo seu asterisco distinguantur ab aliis sanctis vel beatis in Martyrologio Romano descriptis vel rite canonizatis aut beatificatis, uti laudabiliter fit in aliquibus locis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Dies (28 april. 1914).

Die 28 aprilis 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

ANNOTATIO

Decretum quod in prima § ad 19 iul. ascribitur, ex authenticorum decretorum collectione ad 13 iul. ascribendum est. Normas porro continet nova officia et missas impetrandi. In prima autem et altera norma, statuitur officium et missam non permissum iri nisi de sanctis vel beatis quorum cultus a S. Sede comprobatus et confirmatus fuerit.

Cum tamen, ex praescripta particularium calendariorum approbatione, ab hisce regulis quodammodo recedi videretur, S. Congregatio noluit ut id exceptionis genus disciplinam suam labefactaret. Quare opportune declaravit nullum ex inscriptione in approbatis calendariis particularibus argumentum authenticae recognitionis colligi posse.

Decretum 11 nov. 1912 de ordine servando in causis Servorum Dei quae, ob diuturnam possessionem, a decretis URBANI VIII excipiuntur, habes PERIODICA, n. **631**, t. 7, p. 49. Decretum nova declaratione 31 ian. 1913 aliquantisper mitigatum esse referimus ibidem, n. **665**$_{B}$, p. 116.

---

25. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM SEU DECLARATIO 3 IUN. 1914

Circa propria officiorum et missarum

(A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 316.)

Decreti occasio.

Evulgatis sacrorum Rituum Congregationis decretis n. 4166 diei 11 augusti 1905 circa editionem et approbationem librorum cantum gregorianum continentium, et n. 4260 diei 24 februarii 1911 circa modum servandum in expetenda approbatione Propriorum alicuius dioecesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano ad normam Gradualis vel Antiphonalis Romani Vaticanae editionis, sacra eadem Congregatio opportunum atque utile nunc declarare censuit ac declarat quod tum praedicta Propria cum cantu tum alia Propria sine cantu in triplici exemplari revisioni et approbationi huius sacri Consilii una cum postulato respectivi episcopi, Ordinarii vel Superioris subicienda, tamquam opus non definitivum sed adumbratum atque uti schema manuscriptum etsi typis impressum, esse habenda. Revisione autem peracta et indulta approbatione, unum ex dictis exemplaribus remittetur ad episcopum seu Ordinarium vel Superiorem cum testimonio authentico revisionis et approbationis, adiecta clausula posse, ab iis ad quos spectat, iisdem Propriis approbatis concedi *Imprimatur* in usum respective dioecesis, Ordinis seu Instituti. Huiusce vero Proprii typis definitive impressi, cum testificatione tum approbationis S. Sedis tum licentiae Ordinarii seu Superioris praefixa, duplex exemplum ad sacram Rituum Congregationem transmittatur.

Definitur modus praesentandi et operis auctoritas.

Approbationis ratio.

Opus remittendum ad S. Congr.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 3 iunii 1914.

Dies (3 iun. 1914).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

Annotatio

Non agitur hic de calendariis peculiaribus, sed de ipsis Officiis propriis approbandis quatenus, vel nova vel propter Breviarii reformationem immutata, approbatione opus habeant. Huc porro spectat decretum, ut caveat S. Congregationi, ex ipsa ratione qua officia ista praesentabuntur, de plena correctionis facultate. In memoratis autem decretis 11 aug. 1905 et 24 febr. 1911, de solis Propriis cum cantu sermo est.

DECRETA SUMMATIM RELATA

26. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Societas a Transitu S. Ioseph pro agonizantibus in primariam erigitur* (A. A. S. 23 apr. 1914, 6, 177).

Archisodalitas a transitu S. Ioseph.

Litteris apostolicis 12 febr. 1914, S. Pontifex societatem a Transitu S. Ioseph pro agonizantibus, Romae erectam, constituit in Archisodalitatem cum facultate aggregandi ubique terrarum.

B. *Erigitur in Vicariatum Praefectura Togonensis in Africa aequatoriali* (A. A. S. 23 apr. 1914, 6, 179).

Erigitur Vicariatus Togonensis.

Litteris apostolicis 16 mart. 1914, S. Pontifex Praefecturam Togonensem in Africa aequatoriali occidentali in Vicariatum apostolicum erexit, concreditum Missionariis Societatis Verbi divini de Steyl.

C. *Ordinatur Seminarium maius in Calabria* (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 213).

Erigitur Seminarium generale in Calabria.

Constitutione apostolica: *Susceptum inde*, S. Pontifex tradit normas quibus disponatur novum generale Seminarium in Calabria, sub Rectore a Summo Pontifice designando. In hoc Seminario philosophiae et theologiae incumbent quotquot alumni e Calabria sacris Ordinibus sunt initiandi.

D. *Concreditur ecclesia in Urbe Rumeno episcopatui* (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 222).

Conceditur ecclesia Rumenis in Urbe.

Litteris apostolicis 31 mart. 1914, S. Pontifex episcopatui Rumeno provinciae ecclesiasticae Fogarasiensis et Albae Iuliae concredit ecclesiam SS. Salvatoris ad vicum « delle Coppelle » in Urbe, qua in ecclesia functiones liturgicae fiant iuxta ritum Rumenum.

E. *Facultas conferendi gradus academicos conceditur Seminario S. Vincentii dioecesis Pittsburgensis* (A. A. S. 28 maii 1914, 6, 257).

Conceditur facultas conferendi gradus academicos.

Litteris apostolicis 21 mart. 1914, S. Pontifex Seminario Archiabbatiae S. Vincentii O. S. B. dioecesis Pittsburgensis concedit ad septennium facultas conferendi gradus academicos in Philosophia et sacra Theologia.

27. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

Eriguntur dioeceses et nova provincia ecclesiastica in America (A. A. S. 23 apr. 1914, 6, 187).

Erectio dioecesium.

Successivis S. Congregationis Consistorialis decretis, S. Pontifex erexit

dioecesim Spokanensem, separatam a dioecesi Seattlensi et suffraganeam archidioecesis Oregonopolitanae (17 dec. 1913); — dioecesim Caiazeirasensem, separatam a dioecesi Parahybensi: hanc ipsam Parahybensem dioecesim ad metropolitanam dignitatem erexit, subtractis a metropolico iure ecclesiae Olindensis dioecesibus Parahybensi, Caiazeirasensi et Natalensi (6 febr. 1914); — dioecesim Elpasensem, e partibus detractis a dioecesibus Tucsonensi, Dallensi et S. Antonii, suffraganeam ecclesiae Sanctae Fidei in America.

28. — *S. CONGR. S. OFFICII*

Nominatim excommunicatur sacerdos dioecesis Pictaviensis (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 226).

Excommunicatio nominalis.

Decreto 22 apr. 1914, S. Officium sacerdotem CAESARIUM VACHÈRE nominatim excommunicat qui, frustra obnitente legitimo Superiore, imaginem SS. Cordis Iesu et hostias consecratas velut sanguine manantes fidelium venerationi exponere non destitit.

29. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Erigitur Praefectura de Gibuti* (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 233).

Praefectura Somaliae Gallicae.

Decreto S. Congr. de Propaganda Fide, Somalia gallica distrahitur a Vicariatu apostolico inter populos Gallas et erigitur in Praefecturam de Gibuti nuncupandam, concreditam Fratribus Minoribus Capulatis.

B. *Erigitur Praefectura de Adamana* (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 234).

Praefectura de Adamana.

Decreto S. Congr. de Propaganda Fide, constituitur in Africa centrali Germanicae dicionis Praefectura de Adamana, ex partibus detractis a Vicariatu de Cartum, a Praefectura de Ubanghi-Chari et a Vicariatu Camerunensi, concredita Societati Presbyterorum S. Cordis.

30. — *S. CONGR. RITUUM*

Causae beatificationis et canonizationis.

Reassumptio causae B. Vianney.

A. Die 13 maii 1914 S. Pontifex signavit commissionem reassumptionis causae B. Ioannis Mariae Vianney, parochi vici « Ars » (A. A. S. 28 maii 1914, 5, 279).

Introductio causae S. D. Iosephi Mariae a Panormo.

B. Die 13 maii 1914 S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae Servi Dei Iosephi Mariae a Panormo, tironis Ordinis Minorum Capuccinorum (A. A. S. 28 maii 1914, 6, 280).

31. — *S. ROMANA ROTA*

Diffamatio propter vulgata in ephemeride et

A. Die 27 ian. 1914, S. Romana Rota, in causa *Cameracen. Diffamationis*, actore D. Iulio Lemire sac. contra DD. Delassus et Beck sac., statuit non constare de iniuria et damno illato famae Dni Lemire a

DD. Beck et Delassus ita ut sit locus refectioni damnorum et reparationi in casu. Querela mota erat adversus D. Beck quia prohibuerat, ad scandalum praecavendum, ne in sua ecclesia Dnus Lemire publice Sacrum faceret; — adversus D. Delassus propter quaedam inserta in « Semaine religieuse ». — Causa ista attendenda est ad definiendum quatenus possit parochus prohibere celebrationem in sua ecclesia et quatenus clerici tabernas frequentare vetentur (A. A. S. 31 mart. 1914, 6, 147).

propter prohibitam Missae celebrationem.

B. Die 20 febr. 1914, S. Romana Rota, in causa *Mediolanen. Crediti*, inter parochum Vigano appellantem et sacerdotem Luraschi appellatum, statuit, infirmans sententiam Curiae Mediolanensis, Dnum Vigano solvere non debere Dno Luraschi pecuniam ad exstinguenda debita facta reluctante parocho (A. A. S. 23 apr. 1914, 6, 197).

Debita facta sine sufficiente mandato.

C. Die 12 ian. 1914, S. Romana Rota, in causa *Alexandrina, Iurispatronatus et Praesentationis*, inter DD Bazzilanghi et Mignone appellantes et D. Stortiglione appellatum, statuit praesentationem competere Dno Stortiglione ac proin sustinendam esse praesentationem sacerdotis Ratti (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 237).

Iurispatronatus et Praesentationis.

D. Die 12 maii 1914, edita est pars dispositiva causarum sub secreto actarum mensibus ianuarii, februarii et martii 1914 (A. A. S. 15 maii 1914, 6, 243).

Causae sub secreto.

E. Die 17 febr. 1914, S. Romana Rota in causa *Cremenen. Iurium*, inter D. Eug. Cremonesi et D. Archipresbyterum Marc. Rebissoni, statuit oratorium SSmae Trinitatis in oppido S. Ioannis in Cruce non esse independens a parochi iurisdictione, — et sac. Cremonesi eiusdem oratorii capellanum (cuius beneficium ex duobus canonicatibus insignis collegiatae olim in ecclesia parochiali S. Ioannis in Cruce exsistentibus coalescit) non habere ius percipiendi tamquam unum superstitem veteris collegiatae, reditus aliorum beneficiorum eiusdem collegiatae.

Ius percipiendi reditus beneficiorum.

32. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

A. Die 10 ian. 1914, reiectus est recursus contra sententiam Rotalem 9 dec. 1911 in causa *Neo-Eboracen. Nullitatis matrim.* inter P. Boni de Castellane et Annam Gould (cfr. Period. VI p. 195 et VII p. 217), ex capite deficientis citationis. Unde praedicta Rotalis sententia in suo robore permanere declaratur, salvo iure partis recurrentis alia, si quae habeat, deducendi in tertia instantia (A. A. S. 31 mart. 1914, 6, 165).

Recursus ex deficiente citatione.

B. Die 2 maii 1914, Signatura apostolica in causa *Thelesina seu Cerretana, Restitutionis in integrum et iurium*, inter parochos oppidi Solisopacae et ecclesiam receptitiam SSmi Corporis Christi, statuit non esse locum restitutioni in integrum; petitiones autem parochorum quod ad statutorum ecclesiae receptitiae reformationem spectare ad S. C. Concilii (A. A. S. 28 maii 1914, 6, 295)

Restitutio in integrum negatur; remittitur ad S. C. Conc.

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Alphonse de la Mère des Douleurs (O. C.). *Pratique de l'Oraison mentale et de la perfection.* Tome VII : Voie unitive, 1e partie : Les Fiançailles spirituelles. Bruges, Desclée, 1914, in-16, 352 p.

Livre I. Les contemplatifs dans la nuit ténébreuse. — I. Haute perfection que Dieu exige de ses saints. — II. Purification des puissances de l'âme. — III. Défauts et imperfections de l'âme. — IV. Nature de la contemplation divine. — V-VII. Souffrances de l'âme. — VIII. Ste Thérèse dans la nuit de l'esprit. — IX. Durée de la nuit de l'esprit. — X. Comparaison entre l'action du feu et la transformation spirituelle.

Livre II. L'aurore après la nuit obscure. — I. Sécurité de l'âme. — II. Véhémente passion d'amour. — III. Transformation des puissances de l'âme. — IV. Antagonisme entre l'âme et le démon. — V. Martyre ineffable. — VI. Autre peine de l'âme. — VII. Transports impétueux d'amour. — VIII. L'âme réveillée par la voix de Dieu. — IX. Maladie d'amour. — X. La langueur d'amour. — XI. La blessure d'amour. — XII. La brûlure d'amour. — XIII. Attouchement de la substance de Dieu à la substance de l'âme. — XIV. La transverbération du cœur. — XV. Désir extrême de l'âme.

Livre III. Fiançailles du Verbe, Fils de Dieu, avec l'âme. — I-II. Le vol d'esprit. — IV. Fruits des visites du divin Époux. — V. Description des fiançailles spirituelles. — VI. L'âme transformée et unie à Dieu. — VII. Reconnaissance de l'âme. — VIII. Visites du Bien-Aimé. — IX. Tourments que cause à l'âme l'absence du Bien-Aimé. — X. La guerre dans le pacifique royaume de l'âme. — XI. Moyens que l'âme emploie pour se mettre à l'abri des assauts de ses ennemies. — XII. L'Époux divin découvre à l'âme de merveilleux secrets.

R. P. **S. Bellavance** (S. J.). *Pour préparer l'avenir.* Montréal, Imprimerie du Messager, 1914, in-16, 246 p., prix : 40 s.

I. Après dix ans. — II. Le péril antireligieux. — III. Symptômes alarmants. — IV. Ce que l'A. C J. C. n'est pas. — V. Nos petits jeunes gens. — VI. Des trésors enfouis. — VII. Une difficulté. — VIII. Le salut de l'âme canadienne. — IX. Les moyens : Piété. — X. Étude. — XI. Autres sujets d'étude. — XII. La méthode à suivre. — XIII. Et l'action ? — XIV. Pour réussir. — XV. Dans les campagnes aussi. — XVI. Tout de suite. — Appendices.

Ferreres (S. J.). La première communion des enfants. Paris, Bonne Presse, 1913, in-12, VII-107 p. Prix : fr. 1.50. (Ex idionate hispanico).

1e Partie. Historique. Juridique. Ascétique. Morale. Question des derniers Sacrements et des Funérailles.

2e Partie. Difficultés. Cas spéciaux. Privilèges. Facultés de la Ligue sacerdotale eucharistique.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Chan. Hizette. *Confessions des Religieuses.* 2e édition. Namur, Godenne; 1914, in-16, 116 p.

Texte et traduction française officielle du décret *Cum de Sacramentalibus.* — Commentaire. — 1e p. Différentes espèces de confesseurs des religieuses. — 2e p. Conditions requises dans les confesseurs des religieuses. — 3e p. Du recours des sœurs à l'un des confesseurs extraordinaires. — 4e p. Quand les sœurs peuvent s'adresser à n'importe quel confesseur. — 5e p. Pour qui et comment le décret est rendu obligatoire. — Clauses finales. — Appendices. (Statuts des différents diocèses de Belgique par rapport aux confessions des religieuses).

E. Janssens (Dr). *L'Ascétisme monastique et les Vœux de religion.* Paris, Lethielleux, in-16, 103 p. 1914.

I. Les fondements et les justifications. — II. Réponses aux critiques.

C. Rutten (O. F. P.). *Le travail dans les couvents.* Bruxelles, Goemaere, 1914, in-8, 304 p., prix : fr 3,50.

Lettre-Préface. — Observation préliminaire.

1e Partie : Les multiples professions des religieux.

2e Partie : Les entreprises congréganistes en activité. — I. Broderie sur tulle. — II. Corsets. — III. Tapis. — IV. Lingerie. — V. Blanchissage et repassage. — VI. Écoles dentellières. — VII. Les couvents d'hommes.

3e Partie : Le persounel religieux. — Les réflexions finales de M. Bossart et les commentaires de la presse. — Conclusions.

E. Tibbaut, Représentant. *Les missionnaires ont droit à la vérité!* Bruxelles, Dewit, 1914, 42 p.

I. Notre but. — II. Les missionnaires ne sont pas seuls à se plaindre. — III. Les missionnaires sont attaqués dans leurs œuvres et dans leurs personnes. — IV. Les missions forment un appui pour l'autorité de l'État. — V. Les missionnaires sont attaqués en Belgique. — VI. Les polémiques ministérielles, s'appuyant sur des données erronées, accréditent la légende des missions hostiles à l'État. — VII. Apprécions à sa valeur le concours des missions.

Chan. Van Langendonck. *La Question sociale au Pensionnat et au Collège.* Anvers, Courtin, in-16, 34 p.

Introduction. — I. Savoir. — II. Sentir. — III. Agir. — Conclusion.

(Sine nomine). *Le Centenaire de Frédéric Ozanam à Bruxelles,* 1813-1913. Discours réunis. Vromant, 1914, in-8, 95 p.

(Sine nomine). *Le développement de l'Agriculture au Congo Belge et le programme agricole.* Bruxelles, Imprimerie industrielle et financière, 1914, 50 p.

Importance de l'agriculture dans les autres colonies tropicales. — I. Cueillettes. — II. Agriculture de plantations. — III. Agriculture indigène. — IV. Colonisation européenne au Congo. — V. Le service de l'agriculture au Congo belge. — VI. Conclusions. — Annexes.

(Sine nomine). *Notre Cassart.* Charleroi, Gobbe, 37 p., prix : 1 fr.

Fête et démonstration à Charleroi.

Ex Periodicis

Le Canoniste Contemporain. Avril 1914. A. Boudinhon. — Mariage religieux sans mariage civil, p. 185.

A. Villien. — La Réforme de la Curie romaine. — La Rote, p. 197.

Mai 1914. A. Boudinhon. — La nouvelle édition typique du rituel romain, p. 249.

A. Villien. — La Réforme de la Curie romaine. — La Rote (suite).

The Catholic Educational Association Bulletin. May 1914 Rev. G. Lee, *Age and vocation*, 13-32.

Collationes Brugenses. Aprilis 1914. Analecta ascetica et mystica. — C. Callewaert. — La durée et le caractère du carême ancien dans l'Église latine (suite) — La série des messes quadragésimales, p. 263.

Maii 1914. Doctrina Rusbrochii de dono consiiii, p. 283 ss.

Iun. 1914. Notanda quaedam utilissima in ordine ad rite intellegenda opera scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam, p. 361.

Le mouvement pacifiste. Février et mai 1914. — Communications officielles. — Communications des sociétés. — La Technique de la Propagande pacifiste. — Le Pacifisme en 1913 (suite et fin). — Perfectionnement dans l'Organisation des Congrès internationaux. — Les événements du Mexique.

Illustración del Clero. 1 abril 1914. Respuesta a Sal Terrae, p. 102.

Thomas Echevarria. De oratoria sagrada, p. 108.

16 abril 1914. Fr. Naval, C. M. F. Petición de gracias para Cofradias nuevas, p. 126.

1 mayo 1914. Francisco de Orne, C. M. F. De los Vicarios y Prefectos Apostolicos, p. 136.

1 junio 1914. Pantaleón Casanueva, C. M. F. Funerales, misas parroquiales y preces para ganar indulgencias, p. 169.

Neerlandia Franciscana. Vol. I, n. 2. B. Kruitwagen. — Den wijngaert van Sinte Franciscus, p. 135.

H. Lippens. — Nécrologe des Frères Mineurs du Couvent de Hors-Château à Liége (1244-1791), p. 156.

Chronica, p. 185.

Nouvelle Revue Théologique. Avril 1914. R. Trilhe. — Les nouvelles modifications aux rubriques. — Octaves, 213.

Notes de théologie morale et de droit canonique. Application de messes. — Cumul de messes demandées par des donateurs différents. — Cas héroïque d'obéissance canonique, 242.

Notes de littérature ecclésiastique. — P. Rosa. — A propos du serment antimoderniste, 251.

Resena Ecclesiastica. Marzo 1914. José Vilaplana. — Matrimonios militares, p. 144.

Abril 1914. José Vilaplana. — Súbditos de la jurisdicción castrense, p. 206.

Miguel de Arguer. — Breve exposición de las rúbricas, etc. (continuación), p. 213.

Revue ecclésiastique de Liége. Mai 1914. G. Simenon. — L'Eucharistie dans l'ancien droit ecclésiastique liégeois, 393.

Règlement concernant l'organisation de pèlerinages, promulgué par l'évêque de Metz et étendu par l'évêque de Liége, à son diocèse, 447.

MONUMENTA

33. — Pii PP. X

EPISTOLA « OMNES QUIDEM FILIOS », 10 MAI 1914.

Gratulans Societati Iesu centesimum a restituta Soc. annum (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 303).

Affectu speciali quo Ordines religiosos prosequitur ductus Pontifex librum saecularem Soc. Iesu, coniunctas P. Generalis litteras laetus excepit, ac libentissime occasionem arripit benevolentiam testandi bene meritae Societati.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. — **Omnes quidem filios** Ecclesiae paterno Nos amore complectimur : sed Ordines et Sodalitates Religiosorum, cum pars lectissima sint Dominici gregis, studio, ut aequum est, prosequimur adeo singulari, ut quaecumque iis vel laeta evenerint vel tristia, communia Nobis habeamus. Quapropter periucundus, ut ipse per te existimare potes, is nuper Nobis accidit — quem officiose exhibueras — « Liber saecularis historiae Societatis Iesu, ab anno MDCCCXIV ad annum MCMXIV » itemque adiunctae litterae, actuosam spirantes pietatem, quibus universos e Societate Iesu admonueras, ut ad celebranda proxime saecularia sollemnia ob memoriam restitutae Societatis recte sancteque se accingerent. Profecto non huic Apostolicae Sedi licet, quae Societatem Iesu probe norit experiendo strenuam manum paratumque semper ad praelianda praelia Domini, hoc faustum vobis tempus, tamquam alienum sibi, transmittere ; quin libentissime Nos oblata occasione utimur, ut Nostrae benevolentiae caritatem declaremus erga vestrum Ordinem, qui nimirum pro suis in Ecclesiam praeclaris promeritis maximi debet a bonis omnibus fieri. Ac primum gratulari isti Societati ex animo libet, quae hoc centum annorum spatio tam bene se gesserit in Dei gloria et animarum salute promovenda, idque ratione tam multiplici, in sacris missionibus elaborando, iuventutem instituendo, de philosophia, de theologia secundum Aquinatis doctrinas praecipiendo, cotidianis sacerdotii muneribus maximeque *Spiritualibus Exercitiis* operam dando, bene, docte nervoseque scripta vulgando. Sed praecipuum in modum gratulamur, quod tantas indignitates contumeliasque pertulerit atque adhuc perferat improborum. Neque enim aliud est causae, cur ab his adeo petatur hostiliter, nisi quia in exemplum dedita addictaque est Apostolicae Sedi, quod quidem nemo catholicus negaverit in maximis eius laudibus esse ponendum. Ceterum scimus, non posse mundum cum iis qui pie sequantur Iesum, servare pacem, cum ipse Christus suos praemonuerit : *Beati eritis, cum vos oderint*

Ipsi gratulatur cum merita tum improborum odia.

Horum causa.

homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis [1].

Optat prosperitatem crescentem et plenam ubique libertatem vivendi et agendi, omnibus utilem.

Iamvero Societas Iesu, cum feliciter decessoris Nostri illustris Pii VII auctoritate revixerit, cum omnium deinceps Pontificum gratia florens, mirifice ad hunc diem creverit, optandum est, ut magis et magis invalescat, et apud gentes omnino omnes liberam inveniat et vivendi et agendi potestatem. Id quod certe bono publico fiat : nam qui Ecclesiae administri sint Apostolicae Sedis studiosiores, eos quis ignorat diligentiores alacrioresque ad provehendam humanitatem veraque populorum commoda solere exsistere ? Nos igitur, ut vestra semper opera eas, quas debet, utilitates pariat, vos, quotquot Ignatii Patris estis alumni, impense, ut filios carissimos, hortamur, ne illud praesertim detis umquam oblivioni, quod ipse in parte X Constitutionum sapientissime praecipit : « ut omnes qui se Societati « addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum et spiritualium rerum « studium incumbant ; ac in huiusmodi maius momentum, quam in « doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. « Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad « finem nobis propositum oportet ». Quare sibi quisque vestrum caveat diligenter, ut, dum se omnibus omnia fieri studet ut omnes faciat salvos, ne quid ipse e pestifera mundi contagione contrahat, eius aliqua ex parte aut cupiditatibus indulgendo aut erroribus parcendo ; foret hoc enim demum sequi *sapientiam carnis*, unde magnum fidei sanctorumque morum detrimentum caperet christiana plebs ; brevi, Nos illa ipsa tria volumus religiose vitent, quae tu in ea, quam supra memoravimus, epistola ad Patres et Fratres Societatis, omnibus edixisti religiose vitanda : spiritum mundi, animi levitatem, studium temerariae novitatis. Ita enimvero, nec alio pacto, fiet, ut semper omnium vestrum *una sit fides mentium et pietas actionum*. Quod equidem optantes vobis et precantes, auspicem divinorum munerum ac testem singularis benevolentiae Nostrae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili, et Societati Iesu universae amantissime impertimus.

Hortatur ad studia supernaturalia, et commendationes S. Ignatii et P. Generalis confirmat.

Fructus inde sperandus. Benedictio apostolica.

Datum Romae apud S. Petrum, die X mensis maii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Dies (10 maii 1914).

PIUS PP. X.

---

34. — PII PP. X

MOTU PROPRIO « PRAECLARA INTER » 24 IUN. 1914.

Anselmianum collegium academicos gradus conferre potest (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 333).

Praeclara inter opera decessoris Nostri Leonis Pp. XIII, fel. rec., exstat sane Collegium Anselmianum quo quidem Ordini S. Benedicti in hac Alma Urbe proprium Seminarium datum est. Noverat enim, qua erat sapientia, Pontifex nihil posse plus conferre eo, ut religiosa Patriarchae

Anselmiani collegii utilitas pro novo Ordinis Benedictini flore.

---

[1] Luc., VI, 22.

Cassinensis familia, quae de Ecclesia et de societate civili tam multis nominibus optime est merita, feliciter ad splendorem pristinum revirescat, quam si adolescentes monachi Romam undique conveniant et sub auspiciis eius qui Christi Vicarius est, instituti sui disciplina ac sacris doctrinis erudiantur. Quippe in Romani Sede Pontificatus omnibus qui christiano gloriantur nomine, sed praecipue religiosis Ordinibus fons sanctitatis et sapientiae uberrimus patet.

Ratio qua disciplinae sacrae prudenter traditae ibi sunt probatur.

Evocati igitur a Pontifice maximo, Benedictinae familiae alumni philosophia, theologia Pontificioque iure solide institui in Urbe coeperunt, vigilanter nimirum tum decessore Nostro tum Nobismetipsis curantibus ut in Collegio Anselmiano sanctum esset traditam a Patribus doctrinam incorrupte impertire atque a temeraria quavis novitate rerum abhorrere. Etenim nunc maxime cum errores perniciosissimi e falsis scholis profecti late in mentes hominum irrepserunt, viros religiosos sacrarum rerum scientia bene instructos esse oportet, ut et studium perfectionis christianae firmo nitatur fundamento et ipsi ceteris possint in via veritatis magistros se praebere ac duces. Itaque praeceptoribus alumnisque huius Collegii illud ab initio propositum fuit, ad Cantuariensis Doctoris monita, Scholasticorum Patris, S. Romanae Ecclesiae « fidem indubitanter tenendo, « amando et secundum illam vivendo » pro viribus in eiusdem fidei rationibus indagandis se exercere. Quo in studio magistrum semper secuti sunt ipsum S. Thomam, cuius aurea doctrina mentes splendore suo illuminat ; cuius via et ratio usque ad profundissimam divinarum rerum cognitionem sine ullo erroris periculo perducit. Neque vero conceptam spem fefellit exitus : mirum enim quantum incrementi Ordo Benedictinus postremis temporibus accepit. Equidem gaudemus Nobis, cum videmus numerum eorum sodalium iam factum duplo maiorem ; monasteria ubique vetusta refici, nova condi ; plurima gymnasia academiasque non paucas optimo cum fructu a Benedictinis gubernari ; ex iisque pietatis et studiorum domiciliis subinde prodire promptos et alacres, qui lucem Evangelii in barbaros propagent. Omnino novus quidam vigor huic Ordini, Dei benignitate, iniectus videtur ; sed profitemur libenter Urbanum, de quo loquimur, Collegium non parum ad eam rem contulisse. Plures enim eorum qui Anselmianis in aedibus educati sint, monasteriis et scholis praepositos, plures ad magisterium doctrinae vel ad alia praeclara munera adhibitos esse scimus.

Incrementis Ordinis Benedictini laetatur Pontifex.

Ad quam prosperitatem Coll. Anselm. non parum contulit.

Quo igitur tam salubre institutum magis magisque firmaretur et crescerent, tum Leo Pp. XIII, tum Nosmetipsi Collegio S. Anselmi paternae benevolentiae dare documenta non destitimus ; eaque Nobis nunc opportuna gratia accessione cumulare libet. Decessor Noster cum Collegii aedificia in Monte Aventino sua munificentia excitasset legesque ac statuta sanxisset, eidem insigne dedit vivo vocis oraculo privilegium laureas gradusque academicos conferendi. Id Nos considerantes, duximus faciendum, utpote ad Dei gloriam conducibile, atque utile Ecclesiae Ordinique Benedictino, cuius patrocinium peramanter Nos Ipsi suscepimus, ut huius concessio beneficii firmius consisteret.

Quare facultatem vivae vocis oraculo a Leone XIII iam factam gradus conferendi

Itaque re mature perpensa, collatisque consiliis cum dilecto Filio Nostro, Cardinali S. Congregationi Studiorum Praefecto, apostolica Nostra auctoritate ac Motu-proprio statuimus, ut Collegium Benedictinorum S. Anselmi de Urbe ad instar aliarum academiarum in Urbe exsistentium,

Pontifex Motu Proprio perpetuo confirmat.

perpetuo privilegium obtineat conferendi omnes gradus academicos cum in philosophia, tum in sacra theologia, tum in iure canonico alumnis utriusque cleri, saecularis ac regularis, qui rite laudati Collegii scholas in memoratis *facultatibus* frequentaverint et, periculo coram Collegii professoribus facto, maiorem suffragiorum partem retulerint.

Imperat ut in phil. et theol. s. Thomae doctrinam sequantur et in praelectionibus theol. textum s. Thomae adhibeant.

Quo autem salubriores hoc privilegium et Ordini et Ecclesiae fructus ferat, volumus et praecipimus, ut Professores Collegii Anselmiani in re tum philosophica tum theologica doctrinam semper sequantur Aquinatis, atque in praelectionibus sacrae theologiae pro alumnis qui ad academicos gradus contendunt, ipsum *textum* S. Thomae adhibeant. Aquinatem enim deserere, in re philosophica praesertim et theologica, uti iam diximus, non sine magno detrimento esse potest ; ipsum sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem.

Benedictio apostolica.

Quoniam vero omnis sufficientia nostra ex Deo est, Eundem ex intimo corde apprecamur, ut, qui coepit hoc opus bonum, Ipse perficiat, et in auspicium omnium caelestium gratiarum itemque in pignus paternae Nostrae caritatis omnibus Professoribus alumnisque Collegii S. Anselmi apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Clausulae.

Quae autem hic a Nobis constituta sunt, firma et valida in perpetuum esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet, etiam speciali et specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (24 iun. 1914).

Datum Romae apud sanctum Petrum die XXIV mensis iunii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

---

35. — PII PP. X

MOTU PROPRIO « DOCTORIS ANGELICI » 29 IUN. 1914.

De praelegendo S. Thoma in scholis catholicis Italiae et insul. adiacent. (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 336).

Pro Italia et Insulis adiacentibus

Vindicato sibi iure ordinandi studia, S. Pontifex litteras memorat quibus decreta decessoris de sequenda S. Thomae doctrina confirmavit.

Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam : *Ordinare de studio pertinet praecipue ad auctoritatem Apostolicae Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur* [1]. Quo Nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum praesertim die 1 sept. a. MCMX, cum datis litteris *Sacrorum antistitum* ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros, quibus cura rite instituendae sacrae iuventutis incumberet, haec in primis eos admonebamus : « Ad studia quod attinet, « volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum « sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam « scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intellegi- « mus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita : de qua quidquid a

[1] Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, c. III.

« Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus et, qua opus « sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iube- « mus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in « posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem Religiosorum « Ordinum Moderatoribus praecipimus ».

Falsa autem interpretatione a mente Pontificis recessum est.

Iam vero, cum dictum hoc loco a Nobis esset *praecipue* Aquinatis sequendam philosophiam, non *unice*, nonnulli sibi persuaserunt, Nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, Nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa reicienda est quorundam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit ; ita sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat [1], et omnes omnium aetatum errores refutantur ; et certo dignosci licet quae Deo soli sunt neque ulli praeter ipsum attribuenda [2] ; et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera ; quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat : « inter Creatorem et creaturam non « potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo « notanda » [3]. — Ceterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur, quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo. Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque [4] adhibuit, nec sana ratio vult neglegi nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab eo philosophia, cuius principia cum *Materialismi*, *Monismi*, *Pantheismi*, *Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia sunt aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit : quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

Principia enim S. Thomae sancte servata voluit.

Cuius fidelitatis momentum ostenditur, tam per se,

tum attentis hodiernis erroribus.

---

[1] *Contra Gentiles*, lib. II, c. III et II.

[2] Ib. c. III ; et I, q. XII, a. 4 ; et q. LIV, a. I.

[3] Decretalis II[a] *Damnamus ergo, etc.* Cfr. S. Thom. Quaest. Disp. *De scientia Dei*, art. 11.

[4] In Librum Boethii *De Trinitate*, quaest. II, art. 3.

Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. — Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto Doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicuius auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve Decessoribus umquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio iussioque adderetur ejus vulgandae et defendendae, facile intellegitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret.

Alii Doctores commendati non sunt nisi quatenus principiis Acquinatis non repugnarent.

Haec declarare et praecipere Apostolici officii duximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, saeculari et regulari, mentem voluntatemque Nostram et penitus perspectam habeant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant. Id autem peculiari quodam studio praestabunt christianae philosophiae sacraeque theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant.

Id omnibus, praesertim vero magistris declarat Pontifex, quorum munus est non propria placita sed doctrinas Ecclesiae probatissimas impertire.

Iam, quod proprie attinet ad sacram theologiam, huius quidem disciplinae studium semper eius luce philosophiae, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei praeceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; cuius generis libri suppetunt valde probabiles.

In communibus seminariis compendia adhiberi possunt.

At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habeantur scholae: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare sollemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit. Etenim tot saeculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor Noster Ioannes XXII affirmarit: « Ipse « (Thomas) plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores: in « cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina « toto tempore vitae suae » [1]. Quam sententiam S. Pius V, cum sancti Thomae festum, ut Doctoris, toti Ecclesiae celebrandum indiceret, ita confirmavit: « Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut « Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo caelitibus « civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, « confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido « nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem memo- « riam, cuius meritis orbis terrarum a pestiferis cotidie erroribus libera- « tur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam sta-

Ubi vero gradus academici conferuntur de ipsa Summa Theologica *scholae habendae sunt.*

Hanc doctrinam sufficere variis testimoniis probatur.

[1] Alloc. hab. in Consistorio an. MCCCXVIII.

« tuimus » [1]. Atque, ut alia praeconia Decessorum, plurima quidem et praeclara, mittamus, libet his verbis Benedicti XIV omnes scriptorum Thomae, praesertim Summae Theologicae, laudes complecti: « Cuius « doctrinae complures Romani Pontifices, praedecessores Nostri, perho- « norifica dederunt testimonia, quemadmodum Nos ipsi in libris, quos « de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sen- « tentiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admira- « bundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus; « candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime « Nobis, sed tanto Praeceptori totum esse ascribendum » [2].

Quare in Institutis quae lauream theologiae conferre possunt magistri Summam theologicam *pro textu adhibere et latine explicare debent.*

Itaque « ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat, « quod Nobis maxime cordi est » ac tollatur iam « illa docendi ratio, « quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur » ob eamque rem « mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae « diversae atque inter se pugnantes oriuntur ... non sine magno scientiae « christianae detrimento » [3], Nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomae tamquam praelectionum suarum *textum* habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. — Hoc in pluribus Institutis laudabiliter iam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, Nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec, qui post Aquinatis tempora fuerunt, Sancti homines alium sibi summum doctrinae magistrum habuerunt, nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intellegentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Id auctoritate probatur et magnam spem fundat restaurandae s. theologiae.

Quare nulla in posterum tribuetur cuipiam Instituto potestas conferendi academicos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates*, Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra domesticos fines, eadem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic praescriptioni Nostrae religiose non obtemperarint.

Haec in posterum condicio potestati promovendi apponetur.

Institutis autem tolletur nisi intra tres annos huic legi non obtemperarint.

Atque haec statuimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Clausula.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX mensis iunii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Dies (29 iun. 1914).

PIUS PP. X.

Annotationes

1. Observabis sola tituli inscriptione legem istam Italiae

[1] Bulla *Mirabilis Deus*, d. d. XI aprilis an. MDLXVII.
[2] Acta Cap. Gen. O. P., tomo IX, p. 196.
[3] Leonis XIII Epist. *Qui te*, d. d. XIX iunii an. MDCCCLXXXVI.

finibus circumscribi. In ipso decreti corpore vis nullo verbo restringitur. Quod satis S. Pontificis mentem esse prodit universalioris observantiae quam tamen imperare prudenter omittit.

2. Vult autem Pontifex ut profundior theologiae dogmaticae disciplina alumnis qui academicos gradus formaliter vel aequivalenter, etiam intra fines domesticos Ordinis religiosi [1] consequi parant, latine tradatur utendo *Summa theologica* S. Thomae tamquam textu praelectionum. Non sufficit itaque ut aliqua sit textus S. Thomae in aliqua schola propositio, sed ipsum S. Thomae opus debet in scholis dogmaticis pro libro textus adhiberi. Id sane de tractatibus quos S. Doctor scripsit, intellegendum est. Quo enim pacto possint v. gr. tractatus de vera religione, de Ecclesia, de S. Pontifice, ex Summa Theologica proponi nos plane fugit.

3. Sanctio apponitur. *Summae Theologicae* condicio fit sine qua facultas gradus conferendi iam non concedetur vel ultra tres annos non servabitur.

4. Clarae ceterum legi paucae declarationes satis sunt.

---

36. — PII PP. X

CHIROGRAPHUM 1 IUN. 1914.

Domus instituendis missionariis virginibus canossianis approbatur et eximitur (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 341).

PIUS PP. X

Virginum Canossianarum operositas.

Filias Caritatis Canossianas cum in multiplici alio genere, tum in sacris missionibus apud barbaros ita versari, ut eam christianarum omnium virtutum praestantissimam, unde iis inditum est nomen, magno cum fructu animarum exerceant, pro cognito habemus. Ac de ipsis Canossianis missionibus, quae sunt in finibus Sinarum et Indiarum orientalium, intelleximus novis magnisque earum necessitatibus non aliter satisfieri posse, quam si certa quaedam constituatur domus educandis fingendisque ad tantum munus atque onus iis virginibus Canossianis, quae illud suscipere, Deo vocante, voluerint : hoc enim vicarii apostolici earum regionum sibi esse in votis summa consensione Nobis significarunt ; hoc etiam Canossianarum domorum, quae ibidem sunt, moderatrices, praeeunte generali sodalitatis Antistita, enixe a Nobis postularunt. Itaque huius Nostri auctoritate Chirographi perlibenter eidem generali Antistitae concedimus, ut quam, Nobis consultis, nuper *Vimercate*, in oppido Mediolanensis

Necessitas constituendae domus specialis instituendis missionariis.

Domus ista conceditur quae, sub unica S. Se-

---

[1] Sic v. gr. apud Fratres Praedicatores magistri theologiae renuntiantur, in Societate Iesu apti ad docendam theologiam iudicantur.

archidioecesis, domum comparavit, eam dumtaxat tirocinio destinet Sororum Canossianarum, quae sodalitatis suae missionibus sese dedituraе sint ; ipsam vero domum iubemus proxime et unice esse sub iurisdictione Apostolicae Sedis, atque ab Antistita generali, quae quidem Veronae habitat, de Cardinalis Patroni sententia gubernari.

dis iurisdictione, ab Antistite generali gubernabitur.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 mensis iunii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Dies (1 iun. 1914).

PIUS PP. X.

---

37. — PII PP. X

EPISTOLA « DUM EUROPA », 2 AUG. 1914.

Ad universos orbis catholicos hortatio

(A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 373).

Dum Europa fere omnis in anfractus abripitur funestissimi belli, cuius quae pericula, quas ciades, quem exitum qui paullulum reputaverit, is profecto luctu atque horrore se confici sentiat, non possumus non gravissime et Ipsi affici, non angi animo moerore acerbissimo, cum simus de tot civium, de tot populorum salute ac vita solliciti. In tanta rerum omnium perturbatione ac discrimine plane sentimus atque intellegimus hoc a Nobis paternam caritatem, hoc apostolicum ministerium postulare, ut christifidelium omnium animos eo convertamus impensius *unde venit auxilium*, ad Christum, dicimus, *principem pacis* et *Dei atque hominum* mediatorem potentissimum. Huius igitur thronum gratiae ac misericordiae adeant omnes, hortamur, quotquot sunt per orbem catholici in primisque viri e clero ; quorum insuper erit, iussu episcoporum in unaquaque paroecia publicas peragere supplicationes, ut misericors Deus, quasi piorum precibus defatigatus, funestas belli faces amoveat quantocius detque benignus iis qui publicae rei praesunt *cogitare cogitationes pacis et non afflictionis*.

Animo affectus et anxius propter atrox Europae bellum, catholicos omnes, praesertim e clero hortatur ut ad Christum confugiant et indictas supplicationes pro pace peragant.

Ex aedibus Vaticanis, die 2ª augusti 1914.

PIUS PP. X.

---

38. — PII X

BREVE « CUM NOBIS » 28 FEBR. 1905.

Gratiae congressibus eucharisticis concessae [1]

Ad perpetuam rei memoriam. — **Cum Nobis** nihil sit antiquius quam ut fidelium pietas erga divini amoris sacramentum magis magisque in dies amplificetur, quae ad provehendum sanctissimae eucharistiae cultum

Studiis erga SS. Eucharistiam et precibus ep. namurcensis motus Pontifex,

[1] Ex CANONISTE CONTEMPORAIN, 1914, p. 304.

intendant frugifera pietatis opera peculiaribus gratiis ac spiritualibus privilegiis ditare satagimus. Hac mente, cum Ven. Frater Thomas Ludovicus, episcopus namurcensis, et praeses concilii permanentis congressuum eucharisticorum, nos enixis precibus flagitaverit ut congressibus sive universalibus sive particularibus, qui sub auspiciis concilii permanentis ubique terrarum celebrabuntur, nonnullas indulgentias largiri de apostolica benignitate dignaremur, Nos, ut idem opus potiora in dies, favente Deo, capiat incrementa, votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli app. Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu qui, in locis ubi dicti eucharistici congressus sive universales sive particulares habebuntur, respectivi congressus tempore, vere paenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, quodvis publicum templum visitent, ibique pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam, semel tantum uniuscuiusque congressus intra spatium lucrandam, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero qui, respectivi congressus tempore, in quavis Ecclesia sive publico sacello, ante sanctissimam eucharistiam per aliquod temporis spatium pie orent, ut superius est dictum, quo respectivi congressus die id agant, de numero poenalium, in forma Ecclesiae solita, septem annos totidemque quadragenas expungimus. Largimur denique fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria ac partialibus hisce indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Praeterea concedimus ut, uniuscuiusque eucharistici congressus tempore, die legitima auctoritate designando, servatis rubricis et sacrorum canonum praescriptis, sollemnis missa votiva de Sanctissima eucharistia peragi possit; tandem ut sacrorum antistes qui sollemni huic missae operatus sit, nostro et romani pontificis pro tempore exsistentis nomine et auctoritate, post eadem sollemnia missarum, servatis servandis ac iuxta ritum formulamque praescriptam, apostolicam populo cum plenaria addita indulgentia, impertire benedictionem licite possit ac valeat. — Decernentes praesentes litteras, etc.

in locis ubi habentur congressus, fidelibus plenariam et partiales indulgentias,

defunctis applicabiles;

missam sollemnem votivam de SS^a Euch. et apostolicam benedictionem.

Dies (28 febr. 1905).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCCCCV, Pontificatus nostri anno secundo.

ALOIS. Card. MACCHI.

38bis. — PII X

RESCRIPTUM 24 IAN. 1912.

Gratiae congressibus eucharisticis internationalibus concessae [1]

Beatissime Pater,

Thomas Ludovicus, episcopus namurcensis et praeses Concilii permanentis congressuum eucharisticorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime postulat : *Orator.*

1° Ut tempore congressuum eucharisticorum internationalium, liceat omnibus sacerdotibus qui congressui intersunt, celebrare cotidie missam votivam de SSmo Sacramento, cum *Gloria*, unica oratione et *Credo*, praeterquam in maioribus Ecclesiae festis. **Petit** *missarum votivarum*

2° Ut fideles qui, die processionis sollemnis, s. communionem receperunt, lucrari valeant indulgentiam plenariam, animabus purgatorii applicabilem. *et indulgentiarum privilegia.*

Et Deus,

Iuxta preces in Domino. **Gratia.**

Die 24 ianuarii 1912. *Dies (24 ian. 1912).*

PIUS PP. X.

Die 19 aprilis 1912. *Recognitio S. Congr.*

Visum et de mandato SSmi recognitum.

Aloisius Giambene.

N. B. Monumenta ista epistola Ill. episcopi Tarbensis et Lapurdensis communicata sunt, in qua simul continetur Breve 25 april. 1911, permittens ut cotidie in basilica Lapurdensi, in ecclesia SS. Rosarii et in crypta, missae sacrificium ab exacta media nocte celebrari et s. communio distribui possit.

---

[1] Ex CANONISTE CONTEMPORAIN, t. 37, 1914, p. 305.

DECRETA SUMMATIM RELATA

39. — *PII PP. X*

I. *Privilegia Auditorum Rotae* [1].

Audientiae dies (26 iul. 1913).

In audientia 26 iul. 1913, SSus Decano Rotae, nunc Em. Card. M. Lega significare voluit se, ex certa scientia, auditorum rotae privilegia rata habere et confirmare aut concedere et impertire, prout eorum tenor expostulat.

Privilegiorum summa.

Haec autem eorum summa est :

1. Domini Auditores sunt Familiares, Domestici et Commensales et Capellani Papae. (Benedictus XII, Motu Proprio *Cum sicut*, 1 oct. 1335 ; Martinus V, Breve *Romanum decet*, 1428, pluries confirmatum.)

2. Sunt exempti, immunitate personali, ab Ordinariorum etiam Legatorum a latere iurisdictione. (*Clem.* VI, C. 1 iul. 1349, confirmata a Clem. VII, Bulla *convenit aequitati*, 5 aug. 1525.)

3. Litteras apostolicas quibus instituuntur vel gratias aut officia et beneficia obtinent, ipsi gratis recipiunt. (Leo X, Bulla *Sedis apostolicae*, 15 april. 1513 ; Paulus III, Brevi 17 aug. 1537 ; Clem. X, Brevi *Romani Pontificis*, 19 ian. 1691.)

4. Etiam anticipatis vel posticipatis horis horas canonicas dicere et recitare libere et licite possunt. (Ex Bulla Clem. VII, *Convenit*, 5 aug. 1525.)

5. Ius habent eligendi sibi confessarium, presbyterum saecularem aut regularem. Is vota non reservata ipsis commutare potest, et, semel in anno et quotiens de ipsorum morte timetur, ipsos etiam a specialiter S. P. reservatis casibus absolvere potest. (Clem. VII, Bulla *Convenit*, 5 aug. 1525.)

6. Ius habent altaris portatilis et oratorii privati, in quo, bis diebus singulis, etiam festis sollemnioribus et ante diluculum vel per horam post meridiem, absque aliqua Ordinariorum visitatione et licentia, per se aut coram ipsis S. Sacrificium litrare possunt ita ut quilibet assistentes praecepto satisfaciant. (Clem. VII, Bulla *Convenit*, 5 aug. 1525 ; Clem. XIII, Brevi *Etsi iustitia*, 27 aug. 1762 ; Clem. XIV, C. *Cum primum*, 15 iun. 1770.)

7. Interdicto locali eximuntur. (Clem. VII, Bulla *Convenit*, 5 aug. 1525.)

8. Ad celebrandum litteras *celebret, exeat*, ostendere non debent.

9. Quotiens id ipsi conveniens et opportunum iudicaverint, lege abstinentiae dispensantur. (Clem. VII, Bulla *Convenit*, 5 aug. 1525.)

10. Tum ipsi tum eorum collegium participant privilegia referendariorum eorumque collegii. (Paulus III, Breve *Romani Pontificis*, 17 aug. 1537.)

---

[1] Diploma integrum exscribitur in Archiv für Kathol. Kirchenrecht, t. 94, 1914, p. 98-104.

Quae privilegia, inter alia, sunt: a) Nobilitatis et Comitatus Palatinorum et Lateranensium; b) Gestandi arma pontificia cum insigniis suae domus; c) creandi Notarios; d) utendi mitra, baculo pastorali, dandi benedictionem intra missarum sollemnia; e) recitandi, ordine postposito horas canonicas.

11. Sunt subdiaconi apostolici. (Alex. VII, Bulla *Nuper certis*, 27 oct. 1655. Pluries confirmatum.)

12. Custodiunt sacra pallia. (Clem. X, Brevi *Romani Pontificis*, 19 ian. 1671. Pluries confirmatum.)

13. Retinere, legere, et permittere ut sui a studiis adiutores legant, possunt libros prohibitos de iure tractantes. (Clem. XIV, Bulla *Cum primum*, 15 iun. 1770.)

14. Ius habent gestandi togam, et tunc caput cooperiendi pileo doctorali nigro, flocco violacei coloris et quattuor redemiculis eiusdem coloris ornato.

15. Ius habent gestandi redimiculum (cordone) galeri violaceum. (Alex. VII, C. *Nuper*, 26 oct. 1655.)

16. Decanus mitram S. Pontificis et Triregnum defert.

17. Idem est archicapellanus pontificius.

18. Inter consultores S. Officii idem ascribendus est.

19. Eidem titulus *Reverendissimi* in actibus apud S. Rotam gestis convenit.

20. Idem et duo auditores seniores sunt consultores nati S. C. SS. Rituum, inter Praelatos qui in causis Beatificat. et Canonization. suffragium dant.

21. Auditor iunior in capellis pontificiis crucem defert.

22. Auditores in conclavi custodiam habent trium rotarum ubi Cardinales alloquendi sunt.

23. Auditore diem supremum obeunte, honorifica funebria fiunt.

24. Hisce privilegiis fruuntur quoque DD. auditores emeriti.

25. Nulla derogatoria clausula privilegia auditorum cessant. (Clem. VII, *Convenit aequitati*, 5 aug. 1525.)

Iisdem sine eorum consensu expresso derogari nequit. (Paulus III, Bulla *Romani Pontificis*, 17 aug. 1537.) A. V., s. i.

II. *Eriguntur paroeciae S. Crucis et S. Helenae in Urbe* (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 301). *Novae paroeciae in Urbe.*

Apostolicis sub plumbo litteris 19 mart. 1914, S. Pontifex erexit novam paroeciam S. Crucis via Flaminia, et S. Helenae via Casilina. Tituli selecti sunt in memoriam anni iubilaei Pacis Constantinianae.

III. *Erigitur Vicariatus de Tchao-Tchion* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 342). *Vicariatus de Tchao-Tchion.*

Litteris apostolicis in forma Brevis 6 apr. 1914, S. Pontifex partem orientalem Praefecturae Kuam-Tom in Sinio erexit in Vicariatum de Tchao-Tchion, concreditum Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteros.

Vicariatus de Canton.

IV. *Erigitur in Vicariatum Praefectura de Kuam-Tom* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 344).

Litteris apostolicis in forma Brevis 6 apr. 1914, S. Pontifex Praefecturam de Kuam-Tom erexit in Vicariatum de Canton nuncupandum, concreditum Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteros.

Vicariatus de Kuam-Si.

V. *Erigitur in Vicariatum Praefectura de Kuam-Si* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 345).

Litteris apostolis in forma Brevis 6 iun. 1914, S. Pontifex Praefecturam de Kuam-Si erexit in Vicariatum, concreditum Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteros.

40. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

Hortatio ad universos orbis catholicos de pace precibus et consiliis procuranda (A. A. S. 17 sept. 1914, 6, 501).

Auxilio divinae benignitatis nixus, S. P. fidenter sublime officium suscepit.

Ubi primum in beati Petri Cathedra constituti sumus, equidem probe conscii quam impares tanto essemus muneri, arcanum reverentissime adoravimus consilium Dei providentis, qui Nostrae humilitatem personae ad hanc sublimitatem gradus evexisset. Quod si, non idoneis ornati laudibus meritorum, tamen fidenter administrationem summi Pontificatus suscepisse videmur, dumtaxat divinae benignitatis fiducia suscepimus, minime dubitantes, quin in Nobis opportunam collaturus esset et virtutem et opem, qui maximum imposuisset onus dignitatis. — Iam ex hoc Apostolico fastigio ut omnem Dominicum gregem, Nostrae demandatum curae, circumspeximus, continuo percussit Nos horrore atque aegritudine inenarrabili immane totius huius belli spectaculum, cum tantam Europae partem, igni ferroque vastatam, rubescere videremus sanguine christianorum. Scilicet a Pastore bono, Iesu Christo, cuius obtinemus locum in gubernanda Ecclesia, hoc ipsum habemus, ut omnes, quotquot sunt, eius agnos et oves visceribus paternae caritatis complectamur. Quoniam igitur pro eorum salute, ipsius exemplo Domini, debemus esse, ut sumus, parati vel animam ponere, certum ac deliberatum Nobis est, quantum in Nostra erit potestate, nihil facere reliqui, quod ad celerandum huius calamitatis finem pertineat. In praesens autem, — antequam, more institutoque Romanorum Pontificum, sub initium Apostolatus uuiversos Sacrorum antistites encyclicis appellemus litteris — non possumus quin decessoris Nostri sanctissimi et immortali memoria digni, Pii X, extremam illam decedentis excipiamus vocem, quam, in primo huius belli fragore, apostolica ei sollicitudo atque amor humani generis quodammodo expressit. Itaque dum Nosmet ipsi, oculis manibusque ad caelum sublatis, erimus Deo supplices, omnes Ecclesiae filios, praesertim qui sunt sacri ordinis, ut ille perstudiose hortatus est, ita Nos hortamur atque adeo obsecramus, pergant, insistant, contendant, privatim humili prece, publice supplicationum frequentia, arbitrum ac dominatorem rerum implorare Deum, quoad, suae misericordiae memor, hoc *flagellum iracundiae*, quo quidem a populis poenas peccatorum repetit, deponat. Adsit vero et faveat, precamur, communibus votis Virgo deipara, cuius beatissimus ortus, hoc ipso concelebratus die, hominum generi laboranti, tamquam aurora pacis, illuxit, cum eum esset paritura, in quo voluit Pater aeternus reconciliare omnia, *pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt* (Coloss. 1, 20).

Maximo horrore percellitur ob mala immanis belli.

Ne filii filios debellare pergant, omnem adhibebit conatum.

Exemplum Pii PP. X secutus, omnes fideles, ac praesertim clericos, ad preces fundendas enixe hortatur,

auxiliumque B. M. V. implorat.

Eos autem, qui res temperant populorum, oramus vehementer atque obtestamur, ut iam inducant animum sua omnia dissidia saluti societatis humanae remittere; considerent [illegible] miseriarum et luctuum huic mortali vitae comitari, ut non eam oporteat longe miseriorem ac luctuosiorem reddi; satis esse velint quod iam editum est ruinarum, satis quod effusum est humani cruoris; properent igitur pacis inire consilia et miscere dextras; praeclara enimvero tum sibi tum suae quisque genti ferent a Deo praemia; optime de civili hominum consortione merebuntur;

Eos omnes, qui populis praesunt, obtestatur ut pacem omni consilio restituere satagant.

Nobis autem, qui ex hac eadem tanta perturbatione rerum non mediocres difficultates in ipso auspicando Apostolico munere experimur, sane gratissimum se facturos sciant atque optatissimum.

Dies (8 sept. 1914). Datum ex aedibus Vaticanis, die VIII septembris, in festo Mariae sanctissimae Nascentis, anno MCMXIV.

BENEDICTUS PP. XV.

---

41. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA 18 OCT. 1914.

Ad Felicem Card. de Hartmann, Colon. Arch., ob nuntium modi quo sacerdotes Gallici bello capti in Germania accipientur (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 542).

Gaudet quod sacerdotes Gallici bello capti ut praefecti militum accipiuntur.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — **Gratum equidem** a te nuncium accepimus Maiestatem Suam Germanorum Imperatorem, tuis annuendo precibus, statuisse ut ex militibus Galicis nunc in Germania degentibus captivis, quotquot sunt Dei ministri haud aliter quam praefecti militum tractentur. Hac vero temporum acerbitate, dum Europam fere omnem igni ferroque vastatam Christianorum sanguine rubescere videmus, animumque Nostrum inenarrabili aegritudine immane totius huius belli spectaculum perfundit, quae nobis nuper significasti non mediocri illa quidem Nos consolatione affecerunt. Ex iisdem enim luculenter perspeximus quonam caritatis studio erga eos, qui sacerdotii vinculo tibi sunt coniuncti, tuus exardescat animus. Id etiam Nobis persuasum est eximiam caritatem tuam non Gallicos tantum clericos captivos, sed, quantum fieri poterit, nullo vel religionis vel gentis discrimine, ceteros omnes esse amplexuram qui tuis in finibus detinentur, eosque praesertim qui sunt affecti valetudine aut vulneribus icti, ut eorum cruciatus aegritudinesque leniantur atque spirituali ipsorum utilitati consuletur. Eiusmodi caritatis officium, id quod facile constat, est omnibus hominibus commune; potissimum vero ad Dei ministros ceterosque religiosos viros id muneris pertinet. Quam ob rem Nos fore confidimus ut praeclarum exemplum tuum, omnes quidem, qui christiano nomine gloriantur, praesertim autem episcopi et sacerdotes catholici imitentur, idque non in Germania solummodo, sed in ceteris quoque regionibus ubi extorres, captivi, praecipueque aegri ac vulnerati homines maerore conficiuntur. Interea caelestium munerum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili Noster, clero populoque vigilantiae tuae concredito apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Consolatione afficitur et studio caritatis Em. D. von Hartmann erga sacerdotes

cuius exemplum imitabuntur, ut sperat, omnes Episcopi.

Dies (18 oct. 1914). Datum Romae apud sanctum Petrum, die XVIII octobris anno MCMXIV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XV.

---

42. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA 25 OCT. 1914.

Ad R. P. D. Iosephum Mora y del Rio, Archiepiscopum Mexicanum, de gravi Mexicanae ecclesiae statu (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 543).

S. Pontifex moerorem testatur quo ob tristem Ecclesiae mexicanae statum afficitur.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — **Pontificatum secreto** Dei consilio ineuntes, haud mediocrem sensimus maerorem ob teterrimum illud bellum, quod iam diu campos Europae fere omnis sanguine hominum perfundit; quasi tamen non afficeremur, plus quam satis est, aegritudine, ex disiunctissimis istis regionibus plura de Mexicanae Ecclesiae statu ad Nos afferuntur, quae sollicitudines Nobis magnas conficiant. Ea profecto caritate te, venerabilis Frater, ceterosque reipublicae istius episcopos complectimur, ut, quas perpetimini aerumnas, eas vobiscum habeamus communes. Cum vestris quidem precibus Nostras ex animo coniungimus, ut, miserentis Dei beneficio, patrona B. Virgine Guadalupensi, intestina apud vos componantur aliquando discidia et quieto civitatis statu cuncti fruamini. Quod minime dubitamus celeriter futurum, si populares vestri, in primisque clerus, christianos spiritus quodammodo exacuant et Deum placare humili calamitatum patientia contendant. Quoniam vero necesse est ut talem rerum motum magnae consequantur angustiae nolumus vos aliquo providentiae Nostrae carere testimonio. Dolentes igitur praesentem Apostolicae Sedis condicionem maiore Nobis largitate interdicere, decrevimus de gravi onere vestro aliquantulum imminuere : qua de causa certam mittimus pecuniae vim, quam vos ipsi in divinum cultum et sustentationem tum cleri et religiosarum sodalitatum, tum catholicorum operum, prout vobis visum fuerit, tribuatis. Vota autem adiicimus, quibus optamus, ut regionibus istis alma pax quamprimum arrideat; cuius conciliatrix, itemque paternae benevolentiae Nostrae testis, sit apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis Frater, ceteris Mexicanae Ecclesiae episcopis, et clero populoque vestro amantissime impertimus.

Precibus populi mexicani suas iungit ut quam citissime res componantur

et ut clerus fidelesque Deum pietate et patientia placent hortatur.

Aliquam pecuniae summam ad R. D. Archiep. mittit quo necessitates cleri et fidelium subleventur.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV mensis octobris anno MCMXIV, Pontificatus Nostri primo.

Dies (25 oct. 1914).

BENEDICTUS PP. XV.

---

43. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA 8 NOV. 1914.

Ad R. P. D. Nicolaum Dobrecic, Arch. Antibarensem, cui caritatem erga captivos in sua dioecesi detentos commendat (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 546).

R. P. laudes et exhortationes ad

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — **Ex quo Pontificatum** suscepimus, pro viribus curavimus, ut acerbissimi huius

Em. Card. von Hartmann a se missas commemorat.

belli incommodis nonnihil remedii impertiremus. Quam in rem, profecto nosti, non multo ante ad dilectum Filium Nostrum Felicem S. R. E. presb. card. de Hartmann, archiepiscopum Coloniensem, Nos dedisse litteras, quibus non modo ei tribuimus laudi, quod a Germanorum Imperatore impetrasset ut sacerdotes e Gallia captivi pro eorum dignitate tractarentur, sed etiam hortati eum vehementer sumus, ut quoslibet captivos, nullo religionis, gentis ac condicionis discrimine, in primisque aegrotantes vel saucios, omni caritatis officio persequeretur. Nunc autem idem volumus te istic curare pro viribus, cum tibi, venerabilis Frater, campus haud dissimilis pateat in quo tua versetur miseratio. Fac igitur, ut caritatem imitatus Christi Pastorum Principis, qui *pertransiit benefaciendo et sanando omnes*, in oculis feras amantissimeque milites adiuves qui bello capti apud vos custodiuntur, eosque praesertim qui maiorem curarum tuarum partem ex accepto vulnere aut affecta valetudine sibi iure vindicant. Ceterum non dubitamus quin istius gubernatores regni, ius gentium itemque humanitatis vocem secuti, clementer cum his miserrimis hominibus benigneque acturi sint; ita, cum ad eorum operam tua, venerabilis Frater, accesserit, multo melius erit tam magnae rerum necessitati consultum. Quot ut ex optato eveniat, caelestium donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis Frater, et clero populoque tuo apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Arch. Antibarensi summum caritatis studium erga omnes belli captivos commendat.

Dies (8 nov. 1914).

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VIII mensis novembris anno MCMXIV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XV.

---

44. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

LITTERAE ENCYCLICAE, 1 NOV. 1914.

De malis quae populos afflictos habent Ecclesiaeque minantur et de eorum remediis (A. A. S. 18 nov. 1914, 6, 565).

Vix ad summum Pontificatum evectus, S. P. incredibili amoris impetu ad salutem omnium hominum procurandam se motum sensit.

Ad beatissimi Apostolorum Principis cathedram arcano Dei providentis consilio, nullis Nostris meritis, ubi provecti sumus, cum quidem Christus Dominus ea ipsa Nos voce, qua Petrum, appellaret, *pasce agnos meos, pasce oves meas*[1]; continuo Nos summa cum benevolentiae caritate oculos in gregem, qui Nostrae mandabatur curae, convertimus; innumerabilem sane gregem, ut qui universos homines, alios alia ratione, complectatur. Omnes enim, quotquot sunt, Iesus Christus a peccati servitute, profuso in pretium suo sanguine, liberavit; nec vero est ullus, qui a beneficiis redemptionis huius exceptione excludatur: itaque genus humanum divinus Pastor partim Ecclesiae suae caulis iam feliciter inclusum habet, partim se eodem compulsurum amantissime affirmat: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et*

[1] Ioan. XXI, 15-17.

vocem meam audient [1]. — Equidem non vos hoc celabimus, venerabiles Fratres : ante omnia, divina certe benignitate excitatum, sensimus in animo incredibilem quemdam studii et amoris impetum ad cunctorum salutem hominum quaerendam ; atque illud ipsum fuit Nostrorum in Pontificatu suscipiendo votum, quod Iesu, mox crucem subeuntis, fuerat : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* [2].

Quomodo non acri dolore afficiatur cum videat praestantissimas gentes immani bello sibi destructionem moliri ?

Iam vero, ut primum licuit ex hac arce Apostolicae dignitatis rerum humanarum cursum uno quasi obtutu contemplari, cum lacrimabilis obversaretur Nobis ante oculos civilis societatis conditio, acri sane dolore affecti sumus. Quo enim pacto fieret ut Nostrum communis omnium Patris animum non vehementissime sollicitaret hoc Europae atque adeo orbis terrae spectaculum, quo nullum fortasse nec atrocius post hominum memoriam fuit, nec luctuosius ? Omnino illi advenisse dies videntur, de quibus Christus praenuntiavit : *Audituri... estis praelia, et opiniones praeliorum... Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum* [3]. Tristissima usquequaque dominatur imago belli ; nec fere nunc est aliud quod hominum cogitationes occupet. Maximae sunt praestantissimaeque opulentia gentes quae dimicant : quamobrem quid mirum, si horrificis bene instructae praesidiis, quae novissime ars militaris invenit, conficere se mutuo exquisita quadam immanitate contendant ? Nec ruinarum igitur nec caedis modus : quotidie novo redundat cruore terra, ac sauciis completur exanimisque corporibus. Num, quos ita videris alteros alteris infestos, eos dixeris ab uno omnes prognatos, num eiusdem naturae, eiusdem societatis humanae participes ? Num fratres agnoveris, quorum unus est Pater in caelis ? Dum autem infinitis utrimque copiis furiose decernitur, interea doloribus et miseriis, quae bellis, tristis cohors, comitari solent, civitates, domus, singuli premuntur : crescit immensum in dies viduarum orborumque numerus ; languent, interceptis itineribus, commercia ; vacant agri ; silent artes ; in angustiis locupletes, in squalore inopes, in luctu sunt omnes.

Ideo statim eos qui res publicas regunt ad pacem conciliandam vehementer adhortatus est iterumque adhortatur.

Hisce nos tam extremis rebus permoti, in primo tamquam limine Pontificatus maximi, Nostrarum partium esse duximus, suprema illa Decessoris Nostri, praeclarae sanctissimaeque memoriae Pontificis, revocare verba, iisque iterandis, Apostolicum officium auspicari ; vehementerque eos, qui res regunt vel gubernant publicas, obsecravimus, ut, respicientes quantum effusum iam esset lacrimarum et sanguinis, alma pacis munera reddere populis maturarent. Atque utinam, Dei miserentis beneficio, fiat, ut, quem Angeli in ortu divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem, ineuntibus Nobis vicarium Ipsius munus, celeriter insonet : *In terra pax hominibus bonae voluntatis* [4]. Audiant Nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatum sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sarciri possint. Has, positis interim armis, bona experiantur fide animisque volentibus. Ipsorum Nos universarumque gentium amore impulsi, nulla Nostra causa, sic loquimur. Ne sinant igitur hanc amici et patris vocem in irritum cadere.

---

[1] Ioan. X, 16.
[2] Ioan. XVII, 11.
[3] Matth. XXIV, 6. 7.
[4] Luc. II, 14.

At ipso bello maius malum ipsum anxium habet, neglecta scil. religionis christianae praecepta et instituta in rebus politicis.

At vero, non solum huius cruenti dimicatio belli miserrimos habet populos, Nosque anxios et sollicitos. Alterum est, in ipsis medullis humanae societatis inhaerens, furiale malum ; idque omnibus, quicumque sapiunt, est formidini, utpote quod, cum alia iam attulerit et allaturum sit detrimenta civitatibus, tum huius luctuosissimi belli semen iure habeatur. Etenim ex quo christianae sapientiae praecepta atque instituta observari desita sunt in disciplina rei publicae, cum stabilitatem tranquillitatemque ordinis illa ipsa continerent, necessario nutare funditus coeperunt civitates, ac talis et mentium conversio et morum demutatio consecuta est, ut, nisi Deus mature adiuvet, impendere iam humanae consortionis videatur exitium. Itaque haec cernimus : abesse ab hominum cum hominibus coniunctione benevolentiam mutuam ; despicatui haberi eorum qui praesunt, auctoritatem ; ordines cum ordinibus civium iniuriose contendere ; fluxa et caduca ita sitienter appeti bona, quasi non alia sint, eaque multo potiora, homini proposita ad comparandum. His quidem quatuor capitibus causas totidem contineri arbitramur, cur societas humani generis adeo graviter perturbetur. Danda igitur communiter est opera, ut pellantur e medio, christianis nimirum principiis revocandis, si vere consilium est pacare communes res recteque componere.

Ex cupiditate et superbia discidia et odia inter varios civium ordines oriuntur.

Omnes ergo curent ut christiana principia restituantur.

Caritatem, pacis fundamentum, Chr. D. enixe commendavit.

Ac primum Christus Dominus, cum hanc ipsam ob causam de caelis descendisset, ut, quod invidia diaboli eversum fuerat, restitueret in hominibus regnum pacis, non alio illud voluit niti fundamento, nisi caritatis. Quare haec saepius : *Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem* [1] ; *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* [2] ; *Haec mando vobis, ut diligatis invicem* [3] : tamquam si unum hoc suum esset officium et munus, adducere homines ut diligerent inter se. Atque huius rei gratia, quod non adhibuit argumentorum genus ? Suspicere in caelum nos omnes iubet : *Unus est enim Pater vester, qui in caelis est* [4]. Omnes, nullo nationis aut linguae aut rationum discrimine, eamdem docet formulam precandi : *Pater Noster, qui es in caelis* [5] ; quin etiam affirmat Patrem caelestem, in beneficiis naturae dilargiendis, ne merita quidem singulorum discernere : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos : et pluit super iustos et iniustos* [6]. Fratres etiam nos tum dicit inter nos esse, tum suos appellat : *Omnes autem vos fratres estis* [7] ; — *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* [8]. Quod vero ad fraternum amorem excitandum, vel erga eos quos naturae superbia contemnit, valet plurimum, in infimo quoque suae ipse vult agnosci personae dignitatem : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* [9]. Quid, quod sub exitum vitae impensissime rogavit Patrem, ut quotquot in se ipsum essent crediturі, omnes caritatis copulatione essent unum ? *Sicut tu Pater in me, et ego in te* [10].

---

1 Ioan. XIII, 34.
2 Ioan. XV, 12.
3 Ioan. XV, 17.
4 Matth. XXIII, 9.
5 Matth. VI, 9.
6 Matth. V, 45.
7 Matth. XXIII, 8.
8 Rom. VIII, 29.
9 Matth. XXV, 40.
10 Ioan. XVII, 21.

Denique e cruce pendens, suum sanguinem in nos omnes exhausit, unde quasi coagulati compactique in unum corpus, sic amaremus inter nos, quemadmodum inter membra eiusdem corporis summa amicitia est. — Verum longe aliter se habent mores horum temporum. Numquam fortasse fraternitatis humanae tanta fuit, quanta hodie, praedicatio ; quin imo non dubitant, Evangelii voce neglecta, operaque Christi et Ecclesiae posthabita, hoc fraternitatis studium efferre, tamquam unum e maximis muneribus, quae huius aetatis humanitatis peperierit. Re tamen vera, numquam minus fraterne actum est inter homines, quam nunc. Crudelissima ob dissimilitudines generis sunt odia ; gentem a gente potius simultates, quam regiones separant ; eadem in civitate, eadem intra moenia flagrant mutua invidia ordines civium ; inter privatos autem omnia amore sui, tamquam suprema lege, diriguntur.

Fraternitatem, quae Christi et Ecclesiae opera non nititur, verbis extollunt, factis contemnunt.

Videtis, venerabiles Fratres, quam necesse sit omni studio eniti, ut Iesu Christi caritas rursus in hominibus dominetur. Hoc certe semper Nobis propositum habituri sumus, velut proprium Nostri Pontificatus opus ; hoc ipsum studete vos, hortamur. Ne desistamus vel inculcare auribus hominum vel re praestare illud Ioannis : *Diligamus alteratrum* [1]. Praeclara certe, valdeque commendanda sunt illa, quibus haec aetas abundat beneficentiae causa institutis ; at enim, si quid ad veram Dei et aliorum caritatem in animis fovendam conferant, tum demum solidae utilitatis sunt : quod si nihil eo conferant, nulla sunt : nam *qui non diligit, manet in morte* [2].

Veram hominum inter se dilectionem instaurare studium praecipuum R. P. erit.

Alteram diximus communis perturbationis causam in eo consistere, quod iam non sancta vulgo sit eorum qui cum potestate praesunt, auctoritas. Ex quo enim placuit omnis humanae potestatis non a Deo, rerum conditore et dominatore, sed a libera hominum voluntate deducere originem, vincula officii, quae eos inter qui praesunt et qui subsunt, intercedere debeant, adeo extenuata sunt, ut propemodum evanuisse videantur. Immodicum enim studium libertatis cum contumacia coniunctum, paullatim usquequaque pervasit ; idque ne domesticam quidem societatem, cuius potestatem luce clarius est a natura proficisci, intactam reliquit ; quin etiam, quod magis dolendum est, in sacros usque recessus penetravit. Hinc contemptio nascitur legum ; hinc motus multitudinum ; hinc petulantia reprehendendi quidquid iussum sit ; hinc sexcentae repertae viae ad disciplinae nervos elidendos ; hinc immania illorum facinora, qui, quum se nulla teneri lege profiteantur, nec fortunas hominum verentur nec vitam perdere.

Alia perturbationis causa : despectui habita auctoritas eorum qui praesunt.

Quod malum ipsam societatem domesticam invasit, in sacros usque recessus penetravit.

Ad hanc opinandi agendique pravitatem, qua societatis humanae constitutio pervertitur, Nobis quidem, quibus magisterium veritatis divinitus mandatum est, tacere non licet ; populosque admonemus illius doctrinae, quam nulla hominum placita mutare possunt : *Non est potestas nisi a Deo : quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt* [3]. Quisquis igitur inter homines praeest, sive is princeps est sive infra principatum, eius divina est origo auctoritatis. Quare Paulus non quovis modo, sed religiose, id est ex conscientiae officio, obtemperandum iis esse edicit, qui pro pote-

Cum tamen omnis potestas rite instituta a Deo sit, oboedientiae officium sanctum esse debet.

---

[1] I Ioan. III, 23.
[2] Ibid. 14.
[3] Rom. XIII, 1.

state iubent, nisi quid iubeant divinis contrarium legibus : *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* [1]. Congruit cum verbis Pauli, quod ipse Apostolorum Princeps docet : *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum : sive regi, quasi praecellenti : sive ducibus, tamquam ab eo missis ...* [2]. Ex quo idem Gentium Apostolus colligit, eum qui homini legitime imperanti contumax obsistat, Deo obsistere ac sempiternas sibi parare poenas : *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* [3].

Ai rectores populorum curent ut fides et religio, suae potestatis tegumentum, a regimine civilatis non exulent.

Meminerint hoc principes rectoresque populorum, ac videant num prudens ac salutare consilium cum potestati publicae tum civitatibus sit a sancta Iesu Christi religione discedere, a qua tantum ipsa potestas habet roboris et firmamenti. Etiam atque etiam considerent, num doctrinam Evangelii et Ecclesiae velle a disciplina civitatis, a publica iuventutis institutione exclusam, civilis sapientiae sit. Nimis experiendo cognitum est, ibi hominum iacere auctoritatem, unde exsulet religio. Quod enim primo nostri generis parenti, cum officium deseruisset, contigit, idem civitatibus usu venire solet. Ut in illo, vix voluntas a Deo defecerat, effrenatae cupidines voluntatis repudiarunt imperium : ita ubi qui res moderantur populorum, divinam contemnunt auctoritatem, ipsorum auctoritati illudere populi consueverunt. Relinquitur sane, quod assolet, ut ad turbidos motus comprimendos vis adhibeatur : sed quo tandem fructu ? Vi corpora quidem, non animi comprimuntur.

Ob defectum caritatis et oboedientiae proletarii in divites insurgunt

Sublata igitur aut debilitata illa duplici coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorumdem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur, venerabiles Fratres, hanc hominum societatem dispertitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue digladientur ? Stant contra eos quibus aliquam bonorum copiam aut fortuna tribuit aut peperit industria, proletarii et opifices, propterea flagrantes malevolentia, quod cum eamdem naturam participent, non tamen in eadem, ac ipsi, conditione versentur. Scilicet, ut semel infatuati sunt concitatorum fallaciis, quorum ad nutum solent se totos fingere, quis eis persuadeat, non ex eo, quod homines sunt pares natura, sequi ut parem omnes obtinere debeant in communitate locum, sed eam esse singulorum conditionem, quam sibi quisque suis moribus, nisi res obstiterint, comparavit ? Ita, qui tenuiores cum copiosis depugnant, quasi alienas hi bonorum partes occuparint, non contra iustitiam caritatemque tantum, verum etiam contra rationem faciunt, praesertim cum et ipsi possint honesta laboris contentione meliorem sibi fortunam quaerere, si velint. — Quae vero quantaque hoc invidiosum certamen ordinum tum singulis tum communitati civium gignat incommoda, dicere nil attinet. Videmus omnes deploramusque crebras cessationes ab opere, quibus civilis publicaeque vitae cursus in ministeriis etiam apprime necessariis repente inhiberi

quia, cum eiusdem sint naturae, non eiusdem sunt participes condicionis.

Ex hoc invidioso certamine crebrae cessationes ab opere, minaces turbae et tumultus.

---

1 Ibid. 5.
2 I Petr. II, 13-14.
3 Rom. XIII, 2.

solet : item minaces turbas et tumultus, in quibus non raro accidit, ut armis res geratur et humanus effluat cruor.

Non hic videtur Nobis argumenta repetere, quibus *Socialistarum* aliorumque in hoc genere errores manifesto convincuntur. Egit hoc ipsum sapientissime Leo XIII decessor Noster in Encyclicis Litteris sane memorandis : vosque, venerabiles Fratres, pro vestra diligentia curabitis, ut gravissima illa praecepta ne unquam oblivioni dentur, imo in consociationibus ac coetibus catholicorum, in sacris concionibus, in publicis nostrorum scriptis illustrentur docte atque inculcentur, quandocumque res postulaverit. Sed potissimum - neque enim hoc iterare dubitamus - omni argumentorum ope, quae vel Evangelium, vel ipsa hominis natura, vel publicae privataeque disciplinae ratio suppeditat, studeamus hortari omnes, ut, ex divina caritatis lege, fraternis animis inter se diligant. Cuius quidem amoris non ea certe vis est, ut conditionum ideoque ordinum distinctionem amoveat, - quod non magis potest fieri, quam ut in corpore animantis una eademque membrorum omnium actio sit ac dignitas - sed tamen efficiet, ut qui loco superiores sunt, demittant se quodammodo ad inferiores ; et non solum iuste adversus eos, quod par est, sed benigne, comiter, patienter sese gerant : hi autem illorum et laetentur prosperitate et confidant auxilio ; sic prorsus, uti ex familiae eiusdem filiis minor natu maioris patrocinio praesidioque nititur.

Curent Episcopi ut argumenta, quae Leo PP. XIII contra Socialistas sapientissime perpolivit, omnibus christianis inculcentur sed praesertim omnes ad mutuam dilectionem adhortentur, qua conditionum et ordinum distinctio ob superiorum demissionem, inferiorum confidentiam acres stimulos amittat.

At enim, venerabiles Fratres, quae hactenus deplorando persecuti sumus, ea radicem habent altiorem : ac, nisi ad ipsam evellendam studia bonorum incumbant, illud profecto, quod est in votis, id est rerum humanarum stabilis et mansura tranquillitas, non sequetur. Ea quae sit, monstrat Apostolus : *Radix... omnium malorum est cupiditas* [1]. Etenim, si quis recte consideret, mala, quibus nunc aegrotat humana societas, ex hac stirpe oriuntur omnia. Quandoquidem et perversitate scholarum, quibus aetatula cerea fingitur, et improbitate scriptorum, quibus, quotidie aut per intervalla, imperitae multitudinis mens formatur, et aliarum causa rerum, ad quas opinio popularis exigitur, quando, inquimus, ille infusus est animis perniciosissimus error, non sperandum esse homini sempiternum aevum in quo beatus sit ; hic, hic licere ei esse beato, divitiis, honoribus, voluptatibus huius vitae fruendis ; nemo mirabitur hos homines, natura factos ad beatitatem, ea vi qua ad eorum adeptionem bonorum rapiuntur, eadem quicquid sibi moram in hac re aut impedimentum fecerit, repellere. Quoniam vero haec bona non aequaliter dispertita sunt in singulos, et qui socialis auctoritatis est prohibere ne singulorum libertas fines excedat alienumque occupet, idcirco et odio habetur auctoritas, et miserorum in fortunatos ardet invidia, et inter ordines civium mutua contentione certatur, nitentibus quidem aliis attingere id quovis pacto et eripere quo carent, aliis autem retinere quod habent, atque etiam augere.

At omnium horum malorum radix altior est cupiditas.

Fieri enim non potest quin homines, perversis doctrinis imbuti et spe futurae beatitudinis destituti, illos omnes odio habeant qui sibi ad adipiscenda huius mundi bona videntur esse obstaculo.

Hoc ipsum Christus Dominus cum perspiceret futurum, in divinissimo illo sermone, quem in monte habuit, terrestres hominis *beatitudines* quae essent, data opera explicavit : in quo christianae philosophiae quodammodo fundamenta posuisse dicendus est. Quae quidem vel hominibus perquam alienis a Fide, singularem sapientiam et absolutissimam de reli-

Quod malum ut averteret, Chr. D. « beatitudines » explicavit, quae christiana

[1] 1 Tim. VI, 10.

simul et rationabilis sapientia sunt.

gione ac moribus doctrinam continere visa sunt : et certe consentiunt omnes neminem ante Christum, qui ipsa est veritas, nec similiter eadem de re, nec pari gravitate ac pondere, nec tanto cum sensu amoris unquam praecipisse.

Cuius doctrinae ipsa ratio est quod mala huius mundi et falsis tantum nos privant bonis et aeterni praemii fons sunt uberrimus.

Iam divinae huius philosophiae illa ultima et recondita ratio est, quod quae mortalis vitae appellantur bona, speciem quidem boni habent, vim non habent ; ideoque non sunt ea, quibus fruens, homo beate possit vivere. Deo enim auctore, tantum abest ut opes, gloria, voluptas beatitatem afferant homini, ut, si vere hac potiri velit, debeat iis omnibus, Dei ipsius causa, carere : *Beati pauperes... Beati, qui nunc fletis... Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum* [1]. Scilicet per dolores, aerumnas, miserias vitae huius, si quidem ea toleremus ut oportet, aditum nobis ipsi patefacimus ad perfecta illa et immortalia bona, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* [2]. Verum haec tanti momenti doctrina Fidei apud plurimos negligitur, apud multos penitus oblitterata videtur. — Atqui necesse est, venerabiles Fratres, ad eam renovari omnium animos : non alio pacto homines et hominum societas conquiescent. Quicumque igitur quovis aerumnarum genere affliguntur, eos hortemur non oculos demittere in terram, qua peregrinamur, sed tollere ad caelum, quo tendimus : *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* [3]. In mediis autem rerum acerbitatibus, quibus eorum periclitatur Deus in officio constantiam, saepe reputent, quid sibi paratum sit praemii, cum ex hoc periculo victores evaserint : *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* [4]. Denique omni ope atque opera eniti ut revirescat in hominibus rerum fides quae supra naturam sunt, simulque cultus, desideratio, spes bonorum aeternorum, hoc debet esse vobis propositum in primis, venerabiles Fratres, tum reliquo clero, tum etiam nostris omnibus, qui, vario consociati foedere, Dei gloriam communemque veri nominis utilitatem student promovere. Prout enim haec apud homines Fides creverit, decrescet eorumdem studium immodicum consectandi terrestrium bonorum vanitatem, ac sensim, caritate resurgente, motus contentionesque sociales conticescent.

Curandum ergo ut homines, renovata quam amiserunt fide, bona et mala, quae transeunt, contemnant, ad futura et aeterna anhelent.

Si ad ipsam Ecclesiam respiciat, non unam videt S. P. causam consolationis, ac in primis laetos fructus zeli sui decessoris.

Nunc autem, si ab hominum communitate ad propriaS Ecclesiae res considerandas cogitationem convertimus, est profecto, cur animus Noster, tam magna temporum calamitate percussus, aliqua saltem ex parte reficiatur. Nam, praeter argumenta, quae se dant apertissima, divinae illius virtutis ac firmitatis qua pollet Ecclesia, non parum consolationis ipsa Nobis offerunt, quae decessor Noster Pius X, cum Sedem Apostolicam sanctissimae vitae exemplis illustrasset, praeclara Nobis reliquit suae actuosae providentiae munera. Videmus enim eius opera inflammatum universe in sacro ordine studium religionis ; excitatam christiani populi pietatem ; promotam in consociationibus catholicorum actionem ac disci-

---

1 Luc. VI, 20-22.
2 I Cor. II, 9.
3 Hebr. XIII, 13.
4 II Cor. IV, 17.

plinam ; qua constitutas, qua numero auctas Episcoporum sedes ; institutioni adolescentis cleri tum pro severitate canonum, tum, quoad opus est, pro natura temporum consultum ; a magisteriis sacrarum disciplinarum depulsa temerariae novitatis pericula ; maiestati sacrorum artem musicam digne servire iussam, auctumque liturgiae decus ; novis praeconum Evangelii missionibus christianum late nomen propagatum.

Cum tamen inimicus hominum ipsis insidiare nunquam desinat, SS. D. impense ad omnia bona provehenda laborabit.

Magna sunt ista quidem Decessoris in Ecclesiam promerita, quorum memoriam grate posteritas conservabit. Quoniam tamen ager *Patrisfamilias* semper, Deo permittente, *inimici hominis* malignitati patet, nunquam est futurum, ut ibi elaborandum non sit, ne *zizania* luxuriantia bonis frugibus officiant. Itaque, interpretantes dictum quoque Nobis, quod prophetae Deus dixerat : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas... et aedifices et plantes* [1], quaecumque erunt mala prohibenda, bona provehenda, quantum erit in Nobis, summo usque studio curabimus, quoad Pastorum Principi rationem a Nobis administrati muneris placeat repetere.

Praecipua iam eorum capita proponet quibus incumbere velit.

Iam nunc igitur, venerabiles Fratres, cum vos universos primo litteris affamur, commodum videtur Nobis nonnulla attingere capita rerum, quibus praecipuas quasdam curas adhibere decrevimus : ita, maturantibus vobis vestra opera adiuvare Nostram, maturius etiam optati fructus exsistent.

Primum omnium inter catholicos servanda unio intima.

Principio, quoniam in omni hominum societate, quavis de causa coiverint, ad successum communis causae maxime interest socios in idem summa conspiratione conniti, omnino Nobis faciendum est, ut dissensiones atque discordiae inter catholicos, quaecumque sunt, desinant esse, novae ne posthac oriantur, sed ii iam unum idemque omnes et sentiant et agant. — Probe Dei Ecclesiaeque hostes intelligunt, nostrorum quodvis in propugnando dissidium sibi esse victoriae : quare illam habent usitatissimam rationem, ut cum catholicos homines viderint coniunctiores, tum, callide iniicientes eis discordiarum semina, coniunctionem dirimere nitantur. Quae utinam ratio ne ita saepe ex voluntate eis evenisset, tanto cum religiosae rei detrimento ! Itaque ubi potestas legitima quid certo praeceperit, nemini fas esto negligere praeceptum, propterea quia non probetur sibi : sed quod cuique videatur, id quisque subiiciat eius auctoritati, cui subest, eique, ex officii conscientia, pareat. — Item nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae datum : huic igitur integrum ius esto pro arbitratu loqui, cum voluerit ; ceterorum officium est, loquenti religiose obsequi dictoque audientes esse. In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina, - cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit - in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet. Sed ab his disputationibus omnis intemperantia sermonis absit, quae graves afferre potest offensiones caritati ; suam quisque tueatur libere quidem, sed modeste sententiam ; nec sibi putet fas esse, qui contrariam teneant, eos, hac ipsa tantum causa, vel suspectae fidei arguere vel non

Servent ergo praecepta Superiorum, etiamsi sibi non probentur.

Nemo privatus, magisterii munus sibi arroget, in diariis vel sermonibus publicis.

In argumentis quae liberae disputationi subsunt, modestia ser-

[1] Ierem. I, 10.

monis et temperentia servetur caveantque ab omni nota adversariis inurenda.

bonae disciplinae. Abstineant se etiam nostri, volumus, iis appellationibus, quae recens usurpari coeptae sunt ad catholicos a catholicis distinguendos: easque non modo devitent uti *profanas vocum novitates*, quae nec veritati congruunt nec aequitati; sed etiam quia inde magna inter catholicos perturbatio sequitur, magnaque confusio. Vis et natura catholicae fidei est eiusmodi, ut nihil ei possit addi, nihil demi: aut omnis tenetur, aut omnis abiicitur. *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit* [1]. Non igitur opus est appositis ad professionem catholicam significandam; satis habeat unusquisque ita profiteri: « Christianus mihi nomen, catholicus cognomen »; tantum studeat se re vera eum esse, qui nominatur.

Potiusquam vanis haereant quaestionibus, fidem sub ductu summi Pastoris enixe promoveant.

Ceterum, a nostris qui se ad communem rei catholicae utilitatem contulerunt, longe aliud nunc Ecclesia postulat, quam ut diutius haereant in quaestionibus, quibus nihil proficitur; postulat, ut summo opere contendant integram conservare fidem et incolumem ab omni erroris afflatu, sequentes eum maxime, quem Christus constituit custodem et interpretem veritatis. Sunt etiam hodie, nec ita pauci sunt, qui, ut ait Apostolus, « prurientes auribus, cum sanam doctrinam non sustineant, ad sua desi- « deria coacervent sibi magistros, et a veritate quidem auditum avertant, « ad fabulas autem convertantur » [2].

Superbia enim et novarum doctrinarum cupiditate moti ad nefandos errores ducti sunt « modernistae »

Inflati enim elatique magna opinione mentis humanae, quae progressiones sane incredibiles in exploratione naturae, Deo nimirum dante, fecit; nonnulli, cum prae suo iudicio auctoritatem Ecclesiae contemnerent, usque eo sua temeritate processerunt, ut ipsa Dei arcana et omnia quae Deus homini revelavit, sua intelligendi facultate metiri atque ad ingenium horum temporum accommodare non dubitarent. Itaque exstiterunt monstruosi errores *Modernismi*, quem recte Decessor Noster « *omnium haereseon collectum* » edixit esse et sollemniter condemnavit. Eam Nos igitur condemnationem, venerabiles Fratres, quantacumque est, hic iteramus; et quoniam non usquequaque oppressa est tam pestifera lues, sed etiamnum hac illac, quamvis latenter, serpit, caveant omnes diligentissime, hortamur, a quavis huius contagione mali; de quo quidem apte affirmaveris quod Iob alia de re dixerat: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina* [3]. — Nec vero tantum ab erroribus catholici homines, cupimus, abhorreant, sed ab ingenio etiam, seu spiritu, ut aiunt, *Modernistarum:* quo spiritu qui agitur, is quicquid sapiat vetustatem, fastidiose respuit, avide autem ubivis nova conquirit: in ratione loquendi de rebus divinis, in celebritate divini cultus, in catholicis institutis, in privata ipsa exercitatione pietatis. Ergo sanctam haberi volumus eam maiorum legem: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* quae lex tametsi inviolate servanda est in rebus Fidei, tamen ad eius normam dirigenda sunt etiam, quae mutationem pati possunt; quamquam in his ea quoque regula plerumque valet: *Non nova, sed noviter.*

quorum condemnationem R. P. iterat.

Ab eorum spiritu abhorrentes, conentur fideles docti traditis veritatibus inhaerere.

Cum exempla trahant, fideles omnes R. P.

Iam, quia, venerabiles Fratres, ad profitendam aperte Fidem catholicam atque ad vivendum congruenter Fidei, plurimum homines fraternis hortamentis mutuisque exemplis inflammari solent, ideo Nos alias atque alias

[1] Symb. Athanas.
[2] II. Tim. IV, 3, 4.
[3] Iob. XXXI, 12.

excitari consociationes catholicorum equidem vehementer gaudemus. Atque illae non solum optamus ut crescant, sed volumus Nostro etiam patrocinio studioque semper floreant : florebunt autem, modo praescriptionibus quas haec Apostolica Sedes iam dedit vel datura eis est, constanter fideliterque obtemperarint. Quotquot igitur, earum participes societatum, pro Deo Ecclesiaque contendunt, ne sinant unquam sibi excidere quod Sapientia clamat : *Vir obediens loquetur victoriam* [1] ; nisi enim Deo paruerint per obsequium in Ecclesiae ducem, nec divinam sibi conciliabunt opem, et frustra contendent.

hortatur ut catholicas consociationes promoveant, quarum membra ad obedientiam erga Ecclesiae Superiores servandam incitat.

Ad haec omnia vero — ut eum, quem exspectamus, exitum habeant — nostis, venerabiles Fratres, illorum necessariam esse prudentem sedulamque operam, quos Christus Dominus *operarios in messem suam* misit, id est clericorum. — Quare intelligitis praecipuam vestram curam in hoc debere versari, ut et qui apud vos de sacro ordine iam sunt, in eis consentaneam sanctimoniam foveatis, et qui sunt alumni sacrorum, eos optimis institutis praeceptisque ad munus tam sanctum rite conformetis. Id vos ut quam diligentissime facere velitis — tametsi vestra diligentia hortatione non indiget — hortamur atque etiam obsecramus. Res enim eiusmodi agitur, ut nulla sit maioris momenti ad Ecclesiae bonum : qua de re, cum decessores Nostri fel. rec. Leo XIII et Pius X egerint data opera, Nos hic plura dicere non habemus. Tantum rogamus, ut illa Pontificum sapientissimorum acta, praesertim Piana *Exhortatio ad Clerum*, suadentibus atque instantibus vobis, ne unquam obruantur oblivione, sed studiosissime observentur.

Episcoporum autem maxima cura sit optimos clericos seligere et efformare.

Cum de sacerdotum vita et virtutibus praeclara scripserit Pius X

Unum tamen est, quod praeteriri silentio non debet : quotquot enim sunt sacerdotes, omnes, uti filios Nobis penitus dilectos, volumus admonitos, quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequentissimos. Profecto ab illa elatione animi et contumacia, quae horum est temporum, non omnes, ut supra deploravimus, vacant administri sacrorum ; neque enim raro contingit Pastoribus Ecclesiae, ut dolorem et impugnationem inde inveniant, unde solatium et adiumentum iure exspectarint. Iam vero qui tam misere officium deserunt, etiam atque etiam recogitent, divinam esse eorum auctoritatem, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [2], ac si, ut vidimus, Deo resistunt, quicumque potestati cuivis legitimae resistunt, multo magis impie eos facere, qui Episcopis, quos Deus suae potestatis sigillo consecraverit, parere abnuant. *Cum caritas*, ita Ignatius Martyr, *non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut unanimi sitis in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et Episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Patris sunt. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere* [3]. Quemadmodum autem Martyr illustris, ita omnes, quotquot fuerunt, Patres et Doctores Ecclesiae locuti sunt. — Ad haec, nimis grave, propter difficultates quoque temporum, sacri Pastores ferunt onus ; graviore etiam in sollicitudine sunt de gregis concrediti salute : *Ipsi enim*

unum tantum commemorat R. P. scil. ut cum Episcopo suo sint quam coniunctissimi, cuius curae ab ipso Deo omnium fidelium animae sunt commissae.

[1] Prov. XXI, 28.
[2] Act. XX, 28.
[3] In Epist. *ad Ephes.*, III.

pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri [1]. Nonne crudeles dicendi sunt, qui eis, obsequium debitum recusando, id oneris, id sollicitudinis augent ? *Hoc enim non expedit vobis* [2], dixerit istis Apostolus : idque propterea quia *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens* [3] ; ex quo sequitur, cum Ecclesia non esse, qui cum Episcopo non sit.

Iterum implorat Deum ut, bello finito, societas civilis in omni cultu progrediatur et fides, plena libertate, ad omnes populos diffundatur.

Et nunc, venerabiles Fratres, in harum exitu litterarum, sponte redit animus ad illud, unde initium scribendi fecimus ; atque huius calamitosissimi belli finem, tum societati hominum, tum Ecclesiae, iterum omnibus precibus imploramus ; hominum quidem societati, ut, reconciliata cum fuerit pax, in omni civili et humano cultu vere progrediatur : Ecclesiae autem Iesu Christi, ut, nullis iam impedimentis retardata, pergat in quavis ora ac parte terrarum opem et salutem hominibus afferre. — Ecclesia sane iam multo diutius non ea, qua opus habet, plena libertate fruitur ; scilicet ex quo caput eius Pontifex Romanus illo coepit carere praesidio, quod, divinae providentiae nutu, labentibus saeculis nactus erat ad eamdem tuendam libertatem. Hoc autem sublato praesidio, non levis catholicorum turbatio, quod necesse erat fieri, secuta est : quicumque enim Romani Pontificis se filios profitentur, omnes, et qui prope sunt et qui procul, iure optimo exigunt ut nequeat dubitari, quin communis ipsorum in administratione Apostolici muneris vere sit et prorsus appareat ab omni humana potestate liber. Itaque magnopere exoptantes ut pacem quamprimum gentes inter se componant, exoptamus etiam ut Ecclesiae Caput in hac desinat absona conditione versari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, vehementer nocet. Hac igitur super re, quas Decessores Nostri pluries expostulationes fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Sedis Apostolicae defenderent, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus.

Quae libertas non erit perfecta nec secura nisi Sanctae Sedi sua iura et integra independentia restituantur.

Implorat auxilium Dei, per intercessionem B.M.V., ut pacem nobis restituat,

Restat, venerabiles Fratres, ut, quoniam principum eorumque omnium, qui possunt vel atrocitati vel incommoditati rerum, quas memoravimus, finem imponere, in manu Dei sunt voluntates, ad Deum suppliciter attollamus vocem, atque, universi generis humani nomine, clamemus : « Da pacem, Domine, in diebus nostris ». Qui de se dixit : *Ego Dominus... faciens pacem* [4], Ipse tempestatum fluctus, quibus et civilis et religiosa societas iactatur, nostris conversus precibus ad benignitatem, sedare celeriter velit. Adsit nobis propitia Virgo beatissima, quae ipsum genuit *Principem pacis ;* ac Nostrae humilitatem Personae, Pontificale ministerium Nostrum, Ecclesiam atque adeo omnium animas hominum, divino Filii sanguine redemptas, in maternam suam fidem tutelamque recipiat.

et apostolicam omnibus impertitur benedictionem.

Auspicem caelestium munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles Fratres, vestroque clero et populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

1 Hebr. XIII, 17.
2 Ibid. 17.
3 S. Cypr. « Florentio cui et Puppiano ep. 66 (al. 69) ».
4 Isai. XLV, 6-7.

Datum Romae apud S. Petrum die festo Sanctorum omnium, 1 novembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo. *Dies (1 nov. 1914).*

BENEDICTUS PP. XV.

ANNOTATIO.

Versiones authenticae huius encyclicae datae sunt in A. A. S. VI (1914), pp. 585 ss.

---

45. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA 8 DEC. 1914.

Ad D. Card. Mercier, Arch. Mechlin. — S. P. tristes nationis Belgicae lugens condiciones, Petrianam stipem populi necessitatibus sublevandis cedit (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 668).

R. P. gravissime afficitur de tristi Belgicae nationis condicione.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — **Cum de fidelibus** universis a Divina Providentia Nostrae curae commissis paternam sollicitudinem habeamus, ideoque tum res prosperae tum praesertim adversae sint Nobis cum eisdem communes, fieri non poterat quin moerore gravissimo afficeremur, Belgarum nationem, sic Nobis dilectam, conspicientes acerbissimo ac calamitosissimo bello in condicionem prorsus lacrimabilem adductam. Videmus enim ipsum Belgarum Regem, augustam eiusdem Familiam, eos qui rem publicam administrant, optimates, episcopos, sacerdotes, populum universum talia perpeti, quae cuiusvis animi ad pietatem informati, Nostrique in primis peculiari paterna caritate flagrantis, miserationem commoveant. Nobis igitur, qui moerore angimur et luctu, nihil esset antiquius quam tot tristissimorum eventuum tandem conspicere finem. Quem utinam properet misericors Deus! Interim tantas lenire aegritudines Nos quidem pro viribus contendimus; ideoque illud Nobis summopere placuit et publica gratulatione prosecuti sumus, dilectum Filium Nostrum cardinalem de Hartmann, Coloniensium archiepiscopum, impetrasse ut ex captivis in Germania degentibus, tum Gallicis tum Belgicis, quotquot invenirentur presbyteri haud aliter quam praefecti militum tractarentur. Quod verum ad Belgicam potissimum attinet, proximis hisce diebus Nobis allatum est fideles nationis eiusdem in tanta rerum perturbatione non desinere oculos animosque ad Nos convertere pios, eosdemque, sint quamvis licet calamitatibus obruti, id sibi propositum habere ad sublevandas Apostolicae Sedis necessitates, non secus ac superioribus annis, gravissimis etiam his tempestatibus Petrianam colligere stipem. Quod profecto pietatis caritatisque erga Nos singulare testimonium et summo opere admiramur et ea, qua par est, benevolentia gratoque animo, complectimur. Sed gravem aerumnosamque condicionem considerantes in qua dilecti filii misere versantur, animum nullo modo inducere possumus ut eorum proposito,

Miratur et gaudet quod Belgii fideles Petrianam stipem colligendam in tantis angustiis curent.

Eam tamen, si quae possit colligi,

ipsius populi necessitatibus sublevandis applicari cupit.

quamvis nobilissimo, obsecundemus ; stipem vero, si qua corrogari potuerit, in auxilium volumus impendi populi Belgici tam miseratione digni quam nobilitate ac religione conspicui. In iis autem, quibus isti dilecti Nobis filii opprimuntur difficultatibus et angoribus, eorum animos illud recreet, quod neque *abbreviata est manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat.* In spem, vero, divini auxilii ipsa eos proximorum dierum erigat ratio, quibus Domini natalem diem celebrabimus pacemque recolemus quam Deus per Angelos suos hominibus nuntiavit. Eorum quoque aegros lugentesque animos reficiat ac soletur paternae dilectionis Nostrae testimonium, qua Deum enixe deprecamur ut universae Belgicae nationis misereatur eidemque omnium bonorum copiam volens propitius effundat. Quorum auspex apostolica sit benedictio, quam omnibus et singulis, tibique in primis, dilecte Fili Noster, amantissime in Domino impertimus.

A potenti Dei auxilio finem horum malorum exspectandum docet.

Dies (8 dec. 1914).

Datum Romae, apud S. Petrum, die Dominae nostrae Mariae labis nesciae sacro, anno MCMXIV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XV.

---

46. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

EPISTOLA 21 NOV. 1914.

Gratulatur R. D. Fl. Mortier, moderatori generali Congr. ab Immaculato Mariae Corde, anno ab eadem instituta Congregatione Quinquagesimo exeunte (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 692).

Occasione petitae benedictionis

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Petis tu quidem** a Nobis ut apostolica benedictione ornemus Congregationem quam diligenter moderaris, huiusque rei petendae occasionem scribis tibi ex eo natam quod annus vertitur ab instituta Congregatione quinquagesimus. Nihil est, dilecte Fili, cur precibus hisce libentissime non annuamus. Novimus enim quanta benevolentia decessores Nostri religiosam istam familiam sint prosecuti ; novimus et actuosam frugiferamque caritatem qua sodales tui, christiano praesertim propagando nomini operam dantes, de Ecclesia, de Apostolica Sede bene sunt meriti. Praeclara haec eadem merita Nobis quoque vos egregie commendant. Etenim pro apostolico quo aucti sumus munere, eadem ac decessores Nostros Nos urget Christi caritas, non de iis tantum sollicita quos divina gratia Ecclesiae ac Nobis dedit filios, sed et de ceteris qui adhuc extra Ecclesiam alienique a Nobis sunt. Vos vero cavete ne unquam a vocatione vestra excidatis : imo vero inviolatam retinentes vestrae Congregationis disciplinam, sanctum Conditoris propositum ita persequimini, ut Deo, qui vos elegit ut essetis sancti, magis in dies placeatis.

R. P. benevolentiam decessorum suorum erga Congr. ab Imm. Mariae Corde eiusque merita commemorat.

Conceditur apostolica benedictio.

Vota haec Nostra impleat apostolica benedictio, quam, caelestium auspicem munerum testemque benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, sodalibus tuis, iis prae ceteris qui sacris Missionibus sunt addicti, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI novembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo. *Dies (21 nov. 1914).*

BENEDICTUS PP. XV.

---

47. — SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

ALLOCUTIO

Habita die 24 dec. 1914 ad collegium purp. patrum vota atque optata in pervigilio Nat. Dni offerentium

(A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 694).

Di accogliere per la prima volta il sacro Collegio, ci offre oggi grata occasione la solennità Natalizia del Signor nostro Gesù Cristo, consecrata dalle consuetudini alla scambievole offerta di auguri e voti. Ed è con particolare soddisfazione che dalla autorevole parola fattasi eco fedele di quella dell'Emo Decano abbiamo ora appreso quali sentimenti accolga e quali voti formi per Noi il sacro Collegio : anzi tanto più ne godiamo, quanto più in alto tendono quei sentimenti e quei voti, che, sebbene rivolti alla Nostra Persona, sono novello omaggio all' invisibile Capo della chiesa, da Noi immeritevolmente rappresentato, e mirano, sopra l'umile Nostra Persona, al bene della Chiesa universale, di cui nulla al mondo, neppure il sangue Nostro, potrebbe esserci più caro.

L'anno che or volge a così trepido tramonto è stato di grave lutto alla Chiesa. — Il Pontefice Pio X, nel quale Noi, e da vicino e da lontano, scorgemmo l'aureola di elettissimi pregi e che, strappato in tragica ora alla cristiana famiglia, rimpiangemmo con sincero cordoglio, Ci si svela ora, per i rilievi che di giorno in giorno Ce ne presenta più dappresso la continuazione dell'Apostolico officio, tanto più grande quanto più assidua è stata in Lui la cura di celare le insigni virtù che ne adornavano l'anima eletta. L'immagine pertanto e la memoria di così santo Pontefice rendono in Noi più profondo il sentimento della Nostra immeritata successione.

Id est latine :

Sollemnitas Natalium D. N. I. X., in qua homines mutua sibi vota offerre solent, Sacri Collegii prima vice congregandi occasionem gratam nobis praebet. Peculiari sane satisfactione audivimus a voce auctoritate plena, quae Em. Decani fideliter reddidit verba, quomodo Sacrum Collegium erga nos afficiatur quaeve vota concipiat : quibus eo magis gaudemus quo altius tendunt illa sensa atque vota, quae, etsi nostrae personae oblata, denuo testantur venerationem erga invisibile Ecclesiae Caput, cuius locum nullis nostris meritis tenemus, et vergunt, ultra humilem nostram personam, ad bonum Ecclesiae universalis, qua nihil in mundo, ne animus quidem noster, nobis est antiquius.

Annus qui nunc ad finem tam anxium vergit magno luctui fuit Ecclesiae. Pontifex enim Pius X, in quo et prope et a longe meritorum eximiorum splendorem conspeximus, quemque, in hora luctuosa christianae familiae ereptum, sincero moerore desideravimus, praebet se nobis nunc, ex variis indiciis quae singulis diebus nobis propius offert continuatum apostolicum officium, eo maiorem quo magis assidua fuit in eo cura celandi insignes virtutes quibus eius anima ornabatur.

Quare ex imagine et memoria Pontificis adeo sancti intimius sentimus quam immerito ei succedamus. Nobis tamen animum addunt preces orbis catholici, quibus

Ma Ci confortano le preghiere del mondo cattolico, cui Iddio, per il vantaggio della Chiesa, suole porgere benigno ascolto : e non poco altresì Ci confortano i filiali voti ed auguri che il sacro collegio, quasi a sollievo del Padre commune, Ci ha ora espressi.

Tra questi voti, nessuno sembra nè più proprio del peculiare carattere insito alla festività Natalizia, nè più rispondente al bisogno che oggi stringe ogni cuore quanto, quello della pace. Questo augurio e questo voto Noi perciò accogliamo con particolare sollecitudine, spintivi dai luttuosi avvenimenti che da ben cinque mesi vanno vestendo gramaglie a tutto l'universo..

Purtroppo non piacque alla Divina Provvidenza che il Nostro Pontificato sortisse auspici giocondi : chè anzi, mentre si sarebbe voluto salutarlo con voci di letizia, l'avvento del nuovo Padre della cristiana famiglia in molte regioni fu salutato invece con strepito di armi e con fragori di battaglie. Ma a Noi, fin dagli inizi del Nostro Pontificato, non poteva sfuggire l'altezza della missione propria del Vicario di Colui che, nascendo, è stato foriero di pace alle umane genti ; non potevamo dimenticare di essere venuti a continuare l'opera di Gesù Cristo, Principe della pace, descritto nei vaticinii come quegli ai cui giorni doveva finalmente spuntare il sole della giustizia e l'abbondanza della pace. Memori perciò della Nostra più che umana missione, Noi, sia in pubblico che in privato, nessuna via lasciammo intentata affinchè il consiglio, il volere, il bisogno della pace fossero bene accolti. Fu anche a questo scopo che Ci balenò alla mente il proposito di schiudere, in mezzo a queste tenebre di bellica morte, almeno un raggio, un solo raggio del divin sole della pace, ed alle nazioni contendenti pensammo di proporre, breve e determinata, una tregua natalizia, accarezzando la fiducia che, ove non potessimo dissipare il nero fantasma della guerra, Ci fosse dato almeno di apportare un balsamo alle ferite che essa infligge. Oh! la cara speranza che avevamo concepito di consolare tante madri e tante spose con la

---

Deus, in utilitatem Ecclesiae, benignum solet praebere auditum : nec parum quoque nos confortant vota pietate plena, quae Sacrum Collegium, tamquam ad solatium communis Patris, Nobis nunc expressit.

Inter haec vota, nullum videtur aut peculiari sollemnitatis Natalium Dni indoli magis proprium, aut magis necessitati qua omnium corda anguntur consentaneum quam votum pacis. Atque ideo hoc auspicium votumque singulari sollicitudine accipimus, permoti tristibus factis ob quae a quinque ferme mensibus totius universi homines luctu circumfunduntur.

Non placuit enimvero divinae Providentiae ut noster Pontificatus iucunda auspicia obtineret : imo, adventus novi Patris christianae familiae quem laetis vocibus voluissent salutare, in multis contra regionibus strepitu armorum et tumultu praeliorum est exceptus. At Nos, ab initio nostri Pontificatus, fugere non potuit quam grave sit officium proprium Vicarii Illius qui, nascendo, pacem pronuntiavit genti humanae ; nec licebit oblivisci nos venisse ut opus Iesu Christi Principis pacis exciperemus, quem describunt vaticinia tamquam virum quo vivente sol iustitiae cum abundantia pacis esset oriturus.

Memores igitur muneris nostri plus quam humani, Nos, sive publice, sive privatim, nihil intentatum reliquimus ut consiliis, voluntate, voto paci faveremus.

Atque ad illud obtinendum, menti occurrit propositum manifestandi, medias inter tenebras bellicae stragis, radium saltem, vel unicum radium divini solis pacis, et intendimus proponere nationibus inter se dimicantibus, breves ac definitas, inducias festi Nativitatis, spe moti fore ut, etsi tetram belli imaginem dissipare non poteramus liceret saltem vulnera quae infligit balsamo lenire. Oh ! caram spem conceptam

certezza che, nelle poche ore consacrate alla memoria del Divino Natale, non sarebbero i loro cari caduti sotto il piombo nemico : oh ! la dolce illusione che Ci eravamo fatta di ridare al mondo almeno un assaggio di quella pacifica quiete che ignora omai da tanti mesi ! — Putroppo la Nostra cristiana iniziativa non fu coronata di felice successo. Ma non per questo scoraggiati, Noi intendiamo di proseguire ogni sforzo per affrettare il termine della incomparabile sciagura, o per alleviarne almeno le tristi conseguenze.

Ci sembra che il Divino Spirito dica a Noi come già al Profeta : *Clama ne cesses, Clama ne cesses,* epperò Noi abbiamo perorato, non senza speranze di buon esito, per lo scambio dei prigionieri divenuti inabili ad ulteriore servizio militare. *Clama ne cesses,* epperò Noi abbiamo voluto che ai poveri prigionieri di guerra si accostino sacerdoti non ignari della loro lingua, i quali prestino ad essi quei conforti dei quali possano abbisognare, e insieme si offrano intermediari benevoli fra essi e le loro famiglie, forse angustiate ed afflitte per mancanza di notizie. *Clama ne cesses,* epperò diamo plauso ai sacri pastori e ai singoli individui che hanno determinato il promuovere o moltiplicare pubbliche e private preghiere per far dolce violenza al Cuore santissimo di Gesù onde ottenere che abbia termine il terribile flagello che ora stringe ed affanna una sì gran parte del mondo.

Deh ! cadano al suolo le armi fratricide ! cadano alfine queste armi, ormai troppo macchiate di sangue... e le mani di coloro che han dovuto impugnarle tornino ai lavori dell'industria e del commercio, tornino alle opere della civiltà e della pace. Deh ! sentano, oggi almeno, i reggitori ed i popoli l'angelica voce che annunzia il sovrumano dono del Re nascente, « il dono della pace », e mostrino anch'essi con opere di giustizia, di fede e di mitezza quella « buona volontà » che è posta da Dio condizione al godimento della pace.

Noi confidiamo fermamente, signori Cardinali, che questo voto col

---

consolandi tot matres et uxores quae pro certo scirent suos dilectos, per paucas horas memoriae divini Natalis dedicatas, plumbo hostili non prostratum iri ! Oh ! dulcem errorem, cui indulseram, me posse reddere mundo aliquid saltem illius pacificae quietis qua a tot iam mensibus non fruitur !

At vero illud nostrum christianum conamen non feliciter successit. Sed inde minime animo delecti, intendimus omnia tentare ut huius, quae maior est ut possit concipi, calamitatis finem maturemus aut saltem ut eius tristes effectus allevemus.

Ut iam olim Prophetae, ita Nobis Spiritus Sanctus dicere videtur : « Clama ne cesses ». *Clama ne cesses,* ideoque enixe rogavimus, haud sine spe felicis successus, ut captivi iam inepti servitio militari commutarentur. *Clama ne cesses,* ideoque voluimus ut miseris captivis concederentur sacerdotes sermonis eorum non ignari, qui ipsis bona officia praestarent quibus forte indigerent, ac simul benigne intervenirent inter ipsos eorumque familias, anxias forte et afflictas ob nuntiorum defectum. *Clama ne cesses,* ideoque laudamus sacros pastores et omnes privatos qui excitaverunt vel promoverunt publicas ac privatas preces ut sancta vis inferretur Cordi Sacratissimo Iesu, ut finis impetraretur horrendae calamitatis qua nunc premitur et angitur tanta mundi plaga. Utinam cadant in terram arma, iamiam nimis sanguine maculata, eorumque manus, qui eas capere debuerunt, iterum occupentur artificiis et commutationibus, negotiatione, operibus cultus humani et pacis !

Hei ! Percipiant, hodie saltem, principes et populi angelicam vocem quae nuntiat donum supremum Regis nascentis, « donum pacis », et ostendant illi quoque operibus iustitiae, fidei et mansuetudinis illam « bonam voluntatem », sine qua Deus non concedit ut quis pace gaudeat.

quale, più che con altro, godiamo corrispondere ai sentimenti a Noi espressi, troverà propizia la clemenza di Dio : non vogliamo però omettere di esortare quanti in quest'ora solenne Ci fanno cara corona ad insistere presso l'Altissimo con assidue preghiere per conseguire l'appagamento del Nostro voto.

Aggiungiamo poi un altro desideratissimo voto, e questo è per Lei, Emo Decano, e per tutti i membri del sacro Collegio che con la loro amata presenza Ci porgono ora immagine della immensa famiglia cattolica, stretta nelle ore liete e nelle tristi, intorno al suo Capo.

A Lei dunque ed ai signori Cardinali partecipi del Nostro governo, che tante ansie e tanto sollecito zelo domanda, auguriamo prospero il vivere e fecondo l'operare. Faccia il Signore che la solerzia, l'intelligenza ed il successo di quel provvido aiuto onde Ella ed i suoi Colleghi saranno per confortare il Nostro Pontificato rendano quanto prima l'umana famiglia, per affettuosa concordia e per beata tranquillità, somigliante a quel mistico gregge che Cristo contemplò, quando a Pietro ed a Noi ne affidò la custodia.

Di tali grazie sia arra ed auspicio l'apostolica benedizione che a Lei ed ai Cardinali qui presenti, del pari che ai Vescovi, Prelati e a quanti — ecclesiastici o laici — Ci fanno ora corona, impartiamo con effusione di cuore.

---

48. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

ALLOCUTIO

Habita in consistorio 22 ian. 1915 (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 33).

Venerabiles Fratres,

Occasione consistorii

Convocare vos hodierno die visum est Nobis ob eam causam, ut de supplendo episcoporum ordine sollemniter coram vobis ageremus. Complures enim ex orbe catholico ecclesiae sunt proximo tempore suis

---

Confidimus firmiter, R. Dni Cardinales, huic voto, quo magis quam alio gaudemus, respondere sensis quae Nobis sunt expressa, clementiam divinam fore propitiam : non possumus tamen quin adhortemur omnes illos, qui hac hora sollemni Nobis coronam dilectam efformant, ut precibus assiduis apud Altissimum instent ut nostra vota ad felicem exitum perveniant.

Addimus dein alterum Nobis optatissimum votum, pro te, Em. Decano, et pro omnibus membris Sacri Collegii qui sua dulci praesentia imaginem Nobis referunt immensae familiae catholicae, quae cum res faustae sunt vel infaustae, Ducem suum conferta circumdat.

Ipsi ergo et Dnis Cardinalibus, qui partem habent nostrae gubernationis, quae tot curas et zelum adeo sollicitum postulat, optamus prosperam vitam et fecundum laborem. Faxit Dnus ut sollerti. sapienti et felice auxilio, quo ille et eius collegae Nostrum Pontificatum confirmant, humanam familiam, amanti concordia et beata tranquillitate, quam primum similis fiat illi mystico gregi quem Christus contemplabatur, quando Petro et Nobis eius custodiam commisit.

Tantarum gratiarum pignus et auspicium sit apostolica benedictio quam illi et Cardinalibus praesentibus, simul et Episcopis, Praelatis et omnibus — clericis vel laicis — qui nobis nunc circumfunduntur, maxima cordis effusione elargimur.

viduatae pastoribus ; in iis autem non nullae reperiuntur, quibus, pro ipsarum dignitate, in hoc amplissimo coetu consulere aequum putamus.

R. P. dolorem suum de continuato bello aperit.

Antea vero, cum frequentes vos hic adesse conspiciamus, venerabiles Fratres, qui propter singularem, quam habetis Nobiscum coniunctionem, omnium cogitationum curarumque Nostrarum estis iure participes, temperare Nobis non possumus, quin de illa aegritudine animi, qua Nos opprimi intellegitis, aliquid aliud in animos vestros effundamus. Scilicet menses continuantur mensibus, necdum spes ulla ostenditur fore, ut calamitosissima haec dimicatio, vel potius trucidatio brevi conquiescat. Cuius tanti mali si non, ut vellemus, properare finem possumus, utinam Nobis liceat dolores, qui ex eo consequuntur, mitigare. Equidem ad eam rem hucusque, quantum erat in Nobis, laboravimus ; item, quoad res postulaverit, laborare non desistemus.

Mitigandis eius malis intentus,

etsi violatas a quolibet iustitiae leges solemniter reprobat,

Hoc amplius conari in praesens officii Nostri conscientia prohibemur. Romani quidem Pontificis, ut qui constitutus a Deo sit summus legis aeternae interpres et vindex, maxime est edicere nemini umquam ulla ex causa fas esse violare iustitiam ; id quod Nos apertissime edicimus, quaslibet iuris violationes, ubicumque demum factae sint, magnopere reprobantes. At vero ipsis bellantium contentionibus pontificiam miscere auctoritatem hoc sane neque conveniens foret, nec utile. Profecto quisquis est prudens rerum aestimator, videt Apostolicam Sedem in hoc certamine, quamvis sine maxima cura esse non possit, tamen nullius partis esse debere : cum Pontifex romanus, ut vicem quidem gerens Iesu Christi, qui pro universis et singulis hominibus mortuus est, omnes quotquot dimicant, debeat sua caritate complecti ; ut Parens autem catholici nominis, utrobique filios habeat frequentissimos, de quorum omnium salute aeque debet esse sollicitus. Non igitur in eis respiciat oportet rationes ipsorum proprias, quibus inter se dividuntur, sed commune vinculum Fidei, quo copulantur. Si secus faciat, non modo causam pacis nihil adiuvet, sed etiam, quaesita in Religionem invidia, ipsam domesticam Ecclesiae tranquillitatem et concordiam magnis perturbationibus obiciat.

partes adversas omnium Parens communi caritate amplecti debet.

Omnium sollicitus, illos tamen, ut sunt Belgae, quorum est pietas exploratior, praecipuo prosequitur affectu.

Verum, neutris addicti partibus, utrasque tamen, ut diximus, habemus Nobis curae ; atque horrificos huius belli motus summa sollicitudine atque anxietate prosequimur, praesertim cum timendum sit, ne forte vis inferendae impetus omnem quandoque modum excedat. Utique natura fit, ut ubicumque filiorum in communem Ecclesiae Parentem pietas fuerit exploratior, illic studiosior quodam modo eius mens animusque versetur : cuius rei, quod, exempli causa, ad dilectam Belgarum gentem attinet, argumento sunt eae quoque litterae, quas haud ita pridem ad Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem dedimus.

In regionibus, quibus hostis dominatur, invasores ad moderationem,

incolas ad exquisitam submissionem adhortatur.

Liceat hoc loco eorum, qui in alienos fines pugnando transierint, obtestari humanitatem, ne iis regionibus plus vastationis inferatur, quam ad easdem occupandas necesse sit ; neve, quod maius est, incolarum animi in iis quae habent carissima, ut aedes sacras, ut sacrorum administros, ut iura religionis et Fidei, gratuito vulnerentur. Iis vero, quorum terras hostis occuparit, facile existimamus, quam durum sit externis esse subiectos. Sed caveant velimus, ne, prae libertatis recuperandae studio, gubernationem praesertim ordinis publici impediendo, suam condicionem faciant multo deteriorem.

In tantis malis, enixe ac confidenter recurrendum est ad Deum,

Ceterum, venerabiles Fratres, tantarum premente mole miseriarum, non succumbendum est animo ; sed, quo rerum obscurior videtur exitus, eo vel maiore *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (Hebr., 4, 16). Insistendum nimirum, uti iam diximus, humilibus ad Deum precibus, qui sicut humanarum rerum est dominator et arbiter, sic voluntates hominum deducere, unde velit, et quo velit, impellere unus invicta virtute potest.

qui hac afflictatione animos hominum a terrenis ad caelestia reducere vult.

Neque enim sine nutu permissuque divino pax dicenda est tamquam evolasse ex orbe terrarum ; scilicet, ut gentes humanae, quae suas omnes curas defixissent in terras, oblivionem neglectumque Dei mutuis caedibus inter se vindicarent. — Accedunt identidem alia rerum eventa, quae homines cogant « humiliari sub potenti manu Dei » (I. Petr., 5, 6) ; cuius generis id quod proximis diebus evenit, scimus omnes quam horrendum fuerit et quam luctuosum.

Communes praesertim preces sunt commendandae, quarum ipse S. P. praecepta dedit.

Iam vero, quoniam deprecatio communis acceptior Deo est ac fructuosior, bonos, quotquot sunt, exhortamur, ne desinant quidem apud se quisque divinam implorare clementiam, sed potissime id faciant, publicas in sacris aedibus preces frequentando. Nos autem, propterea ut uno eodemque tempore quam maximus concentus comprecantium exsistat, duas, ut nostis sollemnes supplicationes indiximus, unam Europae catholicae in diem septimum mensis proximi, alteram catholico orbi reliquo in diem vicesimum primum mensis martii. Primae supplicationi Nosmet ipsi ad sancti Petri in Vaticano interesse constituimus ; nec dubitamus quin vos ibidem, venerabiles Fratres, Nobiscum adfuturi sitis.

His faveat B. M. V. advocata nostra.

Faveat communibus Ecclesiae votis adiutrix christianorum sanctissima Deipara, et sui patrocinii suffragio impetret a Filio, ut, mentibus ad veritatis lumen, animis ad iustitiae cultum revocatis, pax Christi revisat orbem terrarum, atque constanter posthac cum hominibus permaneat.

Sed iam ad episcoporum cooptationem deveniamus....

---

49. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 1 FEBR. 1915

Ad R. P. D. Eduardum Likowski, Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem, de miseris Poloniae condicionibus bello partis (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 91).

R. P. testimonium observantiae libenter accepit.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — **Opinionem** quam habebamus eximiae pietatis observantiaeque tuae erga Romanum Pontificem, quae nuper a te redditae sunt litterae probe confirmarunt. Officiosos igitur devotionis tuae sensus libenti Nos quidem animo accepimus de iisque plurimas tibi gratias persolvimus. Quae autem de miseris Poloniae rebus praefatis litteris Nobis rettulisti, talia ea quidem sunt, ut quamvis iam essent aliunde Nobis perspecta, haud mediocri tamen tristitia cor Nostrum perfuderint.

Polones, qui de Eccle-

Etenim, cum exploratum iam diu habeamus egregios Poloniae cives et

Ecclesiae Dei et huic Apostolicae Sedi nullo non tempore firmiter adhaesisse, peculiari Nos quidem, uti par est, eos benevolentia ac dilectione prosequimur. Ob eamque rem, cum laeta tristia sint filiis cum patre communia, fieri nullo pacto potest ut, maeroribus angustiisque circumventi, maximo dolore non afficiamur ob calamitates quibus, acerbissimo hoc bello, Poloniae incolae miserrime torquentur. Etenim, dum paterna caritate mentem animumque ad eos convertimus, quot lacrimae oculis obiciuntur! Quae omnia intimos reconditosque sensus Nostros adeo vehementer commovent, ut Patris caritatem erga filios tam graviter vexatos quam maxime augeri sentiamus. Itaque aeterno solaciorum omnium Auctori Poloniae cives, Nobis quidem dilectissimos, summopere commendamus, enixe Eum deprecantes ut belli furorem tandem coerceat pacemque exoptatissimam et pacis fructus optimos propitius libensque donet. Vota haec Nostra omnipotens respiciat fortunetque Deus, et Polonis quaecumque vel sunt perpessi vel adhuc mala patiuntur, in bona vertere clementissimus Ipse velit. Tu vero, venerabilis Frater, et ceteri Poloniae Antistites, quae vestra est pastoralis caritas, pergite suorum quisque fidelium omnem sollicitudinem curamque habere, et pro viribus contendite ut ope vestra filiorum dolores mitigentur, leniantur aegritudines, lacrimae detergantur. Nos autem in bonam spem adducimur fore ut, opitulante beata Virgine, Poloniae patrona, omnium largitor prosperitatum Deus suorum munerum thesaurum Polonis aperiat eisque benignus effundat. Quorum auspex et conciliatrix apostolica sit benedictio quam tibi, venerabilis Frater, ceteris Poloniae Praesulibus et unius cuiusque vestrum clero fidelibusque peramanter in Domino impertimus.

sia semper tam bene sunt meriti, maximis calamitatibus afflictos summopere dolet.

Ordinarios hortatur ut in dies magis incumbant in iuvandos fideles suos.

Ipse vero a B. M. V. Poloniae patrona auxilium divinum et malorum levamen sperat.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 1 februarii anno MCMXV Pontificatus Nostri primo.

Dies (1 febr. 1915).

BENEDICTUS PP. XV.

---

50. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

APOSTOLICA EXHORTATIO 28 IUL. 1915

ad populos belligerantes eorumque rectores

(A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 365).

BENEDICTUS PP. XV

R. P., cum ab initio sui pontificatus

Allorchè fummo chiamati, quantunque immeritevoli, a succedere sul Trono Apostolico al mitissimo Pontefice Pio X, a Cui il dolore per la lotta fratricida, poco prima accesasi in Europa, aveva abbreviata la santa e benefica vita, sentimmo Noi pure, nel volgere il trepido sguardo verso gli insanguinati campi di battaglia, lo strazio di un padre, che vede la sua

---

Cum vocati essemus, quamvis nullo nostro merito, ut in Sede Apostolica mitissimo Pontifici Pio X succederemus cuius sancta et benefica vita brevior facta est dolore ex fratricida illa pugna concepto, quae paulo ante in Europa exarserat, Nos quoque, dum trepidi ad loca pugnis et sanguine plena oculos vertebamus, cor nostrum

dolore maximo ob tot iuvenes occisos, matres ac uxores anxias, orphanos derelictos premeretur,

casa devastata e resa deserta da furioso uragano. E pensando con inesprimibile cordoglio ai giovani figli Nostri, i quali venivano, a migliaia, falciati dalla morte, accogliemmo nel cuore, dilatato dalla carità di Cristo, tutto lo schianto delle madri e delle spose vedovate innanzi tempo, e tutto il pianto inconsolabile dei fanciulli troppo presto orbati della guida paterna. Nell'animo Nostro, partecipe dell'affannosa trepidazione d'innumerevoli famiglie e ben compreso degli imperiosi doveri impostici dalla sublime missione di pace e di amore, che in giorni sì tristi Ci era affidata, Noi concepimmo tosto il fermo proposito di consacrare ogni Nostra attività ed ogni Nostro potere a riconciliare i popoli combattenti; ne facemmo, anzi, solenne promessa al Divin Salvatore, che volle a prezzo del Suo Sangue rendere tutti gli uomini fratelli.

proposuit ac Domino promisit omnia se conaturum ut pacem inter populos conciliaret.

Postquam prima consilia et adhortationes in cassum cesserunt,

E di pace e di amore furono le prime parole, che alle Nazioni ed ai loro Reggitori dirigemmo come Supremo Pastore delle anime. Ma il nostro consiglio, affettuoso ed insistente qual di padre e di amico, rimase inascoltato! Si accrebbe in Noi il dolore, non si affievolì il proposito; proseguimmo perciò a volgerci fiduciosi all'Omnipotente, che ha in mano le menti ed i cuori così dei sudditi, come dei Re, invocando da Lui la cessazione dell'immane flagello. Alla fervida ed umile Nostra preghiera volemmo associati tutti i fedeli, e, a renderla più efficace, procurammo altresì che fosse accompagnata da opere di cristiana penitenza. Ma oggi, nel triste anniversario dello scoppio del tremendo conflitto, più caldo esce dal Nostro cuore il voto che cessi presto la guerra, più alto il paterno grido di pace. Possa questo grido, vincendo il pauroso fragore delle armi, giungere sino ai popoli ora in guerra ed ai loro Capi, inclinando gli uni e gli altri a più miti e sereni consigli!

orationi ferventius instituit

omnesque fideles ad preces secum fundendas excitavit.

At in die anniversario incoepti belli, magis ardens renascitur votum pacis conciliandae.

Nel nome santo di Dio, nel nome del celeste notro Padre e Signore, per il Sangue benedetto di Gesù, prezzo dell'umano riscatto, scongiuriamo Voi, che la Divina Provvidenza ha posto al governo delle Nazioni belligeranti, a porre termine finalmente a questa orrenda carneficina, che

In nomine S. P.

---

laceratum sensimus, qualis pater cum videt a furentibus ventis domum suam vastatam et ad solitudinem redactam. Cogitantes autem — quanta cum tristitia dicere non possumus — de nostris filiis iuvenibus quorum milia mors immatura rapiebat, in cor nostrum Christi caritate dilatatum recepimus cruciatus matrum et mulierum ante tempus coniuge privatorum et planctum numquam consolandorum puerorum quos cura et directio paterna nimis cito defecit. In animo nostro cum nostros faceremus innumerabilium familiarum angores et tremores, probeque intellegeremus quam necessaria essent officia nobis imposita ex sublimi illo pacis et amoris munere quod in tam luctuosis temporibus nobis demandatum est, brevi proposuimus omnem nostram industriam et facultatem impendere in reconciliandis pugnantibus populis, immo hoc sollemnitor promisimus Divino Salvatori qui, effuso suo sanguine pretioso, voluit omnes homines efficere fratres.

Pacis et amoris verba fuere quae prima misimus, Supremus animarum Pastor, ad omnes nationes eorumque Rectores. Verum consilio nostro affectu pleno et enixe obsecranti, quale pater et amicus dedisset, aures non praebuerunt! Aucto in nobis dolore, non marcuit voluntas. Quare non cessavimus fiducia pleni ad Omnipotentem, qui mentes et corda tum subditorum tum Regum in manu sua habet, animum convertere, implorantes immanis flagelli finem. In nostra fervida humilique oratione adiungi nobis socios voluimus omnes fideles, atque, ut efficacior fieret deprecatio, id etiam curavimus ut adiungerentur christianae paenitentiae opera. Hodie vero, in tristi anniversario exorientis tremendae contentionis, vividius e corde nostro votum promitur: Cito finis sit belli! Altior a paterno nostro ore editur clamor quo ad pacem adhortamur. Utinam hic clamor, superans tremendum armorum tumultum, ad

omai da un anno disonora l'Europa. È sangue fraterno quello che si versa su la terra e sui mari! Le più belle regioni dell'Europa, di questo giardino del mondo, sono seminate di cadaveri e di ruine: dove poc'anzi ferveva l'industre opera delle officine ed il fecondo lavoro dei campi, ora tuona spaventoso il cannone e nella sua furia demolitrice non risparmia villaggi, nè città, ma semina dovunque e strage e morte. Voi portate innanzi a Dio ed innanzi agli uomini la tremenda responsabilità della pace e della guerra; ascoltate la Nostra preghiera, la paterna voce del Vicario dell'Eterno e Supremo Giudice, al Quale dovrete render conto così delle pubbliche imprese, come dei privati atti vostri.

principes omnes deprecatur ut bello totam Europam vastanti finem imponant.

Le copiose ricchezze, delle quali Iddio Creatore ha fornito le terre a Voi soggette, Vi consentono la continuazione della lotta; ma a quel prezzo? Rispondano le migliaia di giovani vite, che si spengono ogni giorno sui campi di battaglia; rispondano le rovine di tante città e villaggi e di tanti monumenti dovuti alla pietà ed al genio degli avi. E quelle lagrime amare, versate nel segreto delle domestiche pareti o ai piedi dei supplicati altari, non ripetono anch'esse che è grande, troppo grande il prezzo della diuturna lotta?

Quo tandem pretio pergerent inceptum suum?

Respondent tot iuvenes vita functi, tot ruinae, tot amarae lacrimae.

Nè si dica che l'immane conflitto non può comporsi senza la violenza delle armi. Depongasi il mutuo proposito di distruzione; riflettasi che le Nazioni non muoiono: umiliate ed oppresse, portano frementi il giogo loro imposto, preparando la riscossa e trasmettendo di generazione in generazione un triste retaggio di odio e di vendetta.

Frustra quis dicat vi decidendam esse causam.

Vi enim semina odii et vindictae sparguntur.

Perchè fin da ora non ponderare con serena coscienza i diritti e le giuste aspirazioni dei popoli? Perchè non iniziare con animo volonteroso uno scambio, diretto o indiretto, di vedute, allo scopo di tener conto, nella misura del possibile, di quei diritti e di quelle aspirazioni, e giunger così a por termine all'immane lotta, come è avvenuto in altre simili circostanze? Benedetto colui, che primo alzerà il ramo di olivo e stenderà al nemico la destra offrendo ragionevoli condizioni di pace.

Curnam compositionem non tentent, ratione habita iustorum votorum et iurium?

---

populos pertingat nunc pugnantes eorumque duces, et inclinet utrosque ad mitiora serenaque consilia!

In sancto Dei nomine, in nomine caelestis nostri Patris et Domini, per benedictum Iesu sanguinem, redemptionis humanae pretium, adiuramus vos quos Divina Providentia gubernandis illis nationibus praefecit quae nunc bellum gerunt, ut finem faciatis illius horrendae carnificinae quae iam per unum annum Europae dedecori fuit. Fratrum sanguis est qui terra marique funditur. Felicissimae Europae regiones, illius horti orbis universi, cadaveribus et ruinis sparsae sunt; ubi ante paucos menses officinarum fervebat opus et industria camporumque fecundus labor, nunc tonat terrificum tormentum bellicum et furore suo destruendi, non parcit neque vicis neque urbibus, sed ubique stragem facit et mortem seminat. Vobis coram Deo et hominibus onus est de pace et de bello respondendi; aures praebeatis deprecantibus Nobis, paternae voci Vicarii Aeterni Supremique Iudicis, cui debebitis rationem reddere et publicorum inceptorum et vestrorum privatorum actuum. Copiosae divitiae quibus donavit Creator Deus terras vestro imperio subiectas, vobis permittunt ut pugnare pergatis; verum quanto pretio? Respondeant milia iuvenum quorum vita singulis diebus diversis in aciebus exstinguitur; respondeant tot urbium et vicorum, tot monumentorum ruinae quae pietas et ingenium avorum extruxerunt. Atque illae amarae lacrimae, intra parietes domesticos secreto vel coram altaribus fusae, nonne ipsae quoque iterum iterumque dicunt grande, grande nimis esse pretium diuturnae pugnae?

Neve quis dicat nisi armorum vi non posse immane discidium componi. Desciscant a mutuo destruendi proposito; cogitent non mori nationes, humiliatas et oppressas

L'equilibrio del mondo e la prospera e sicura tranquillità delle Nazioni riposano su la mutua benevolenza e sul rispetto degli altrui diritti e dell'altrui dignità, assai più che su moltitudine di armati e su formidabile cinta di fortezze.

Ad hanc pacem maturandem allaborent omnes boni.

È questo il grido di pace, che più alto erompe in questo triste giorno dall'animo Nostro ; e Noi invitiamo quanti sono gli amici della pace nel mondo a darci la mano per affrettare il termine della guerra, che omai da un anno ha cambiato l'Europa in un vasto campo di battaglia. Faccia Gesù misericordioso, per l'intercessione dell'Addolorata Sua Madre, che spunti alfine, dopo sì orribile procella, la placica e radiosa alba di pace, immagine del Suo volto divino ! Risuonino presto gli inni di riconoscenza all'Altissimo, Datore di ogni bene, per l'avvenuta riconciliazione degli Stati ; tornino i popoli, affratellati dall'amore, alle pacifiche gare degli studi, delle arti e delle industrie, e, ristabilito l'impero del diritto, risolvano di affidare d'ora in poi la soluzione delle proprie divergenze non più al filo della spada, sibbene alle ragioni dell'equità e della giustizia, studiate con la dovuta calma e ponderazione. Sarà questa la loro più bella e gloriosa conquista !

Faxit Christus Dom., per intercessionem dolorosissimae matris suae, ut mox, restituta pace et prosperitate, componantur lites aequitate et iustitia.

Nella cara fiducia che di così desiderabili frutti l'albero della pace torni presto a rallegrare il mondo, impartiamo l'Apostolica Benedizione a quanti formano il mistico gregge a Noi affidato ; ed anche per coloro, che non appartengono ancora alla Chiesa Romana, preghiamo il Signore di stringerli a Noi con vincoli di perfetta carità.

SS. D. N. benedictionem apostolicam omnibus fidelibus impertitur et pro conversione errantium orat.

Roma, dal Vaticano, il 28 luglio 1915.

BENEDICTUS PP. XV.

Dies (28 iul. 1915).

---

eas fremere dum iugum ferant sibi impositum ; ad iniuriam ulciscendam se praeparare, et a generatione in generationem tristem odii et vindictae hereditatem transmittere.

Cur non nunc iam cum serena conscientia iura et iustae aspirationes populorum ponderentur ? Cur non animo volenti incipiant alii aliis sententiam suam notam facere directe vel indirecte, eo fine ut, quantum fieri potest, illorum iurium et aspirationum ratione habita, possit finis imponi immani pugnae, quod in similibus adiunctis olim evenit ? Benedictus ille qui primus ramum olivae levabit et inimico dextram offeret dum pacis condiciones rationi consentaneas proponet. Aequilibrium universi et prospera securaque tranquillitas nationum mutua benevolentia et iurium dignitatisque aliorum observantia nituntur multo magis quam multitudine militum et munitionum formidanda catena.

Hic est noster clamor quem altiori voce hoc lugendo die ex animo edimus ad pacem adhortantes. Nos quotquot in mundo pacis amantes sunt invitamus, nobiscum manus conserant ut citius finis imponatur bello quod iam per unum annum Europam in immensum campum pugnarum permutavit. Faxit misericors Iesus, per intercessionem dolorosae Matris suae, tandem oriatur, post tam horrendam procellam, placida et radians pacis aurora, imago vultus Eius divini. Brevi resonet Altissimo, a quo bonum omne procedit, hymnus gratiarum actionis de Publicarum Rerum reconciliatione. Revertantur populi, amore iterum fraterno coniuncti, ad pacificas studiorum artium et industriarum aemulationes et, iuris imperio restituto, statuant in posterum suarum contentionum solutionem non iam gladio committere, sed aequitatis et iustitiae rationibus, quas placido ut decet et maturo examini subiciant. Hoc omnium bonorum pulcherrimum et gloriosissimum quod umquam sibi comparaverint.

Confidentes brevi futurum esse ut his tam desiderandis fructibus arbor pacis mundo gaudium afferat, Apostolicam benedictionem impertimur iis omnibus quibus constat grex mysticus Nobis creditus, atque etiam pro iis, qui nondum ad Ecclesiam Romanam pertinent, oramus Dominum ut velit nobiscum eos vincire vinculo perfectae caritatis.

Roma, ex aedibus Vaticanis, 28 iulii 1915.

BENEDICTUS PP. XV.

ANNOTATIO

Sequuntur versiones authenticae lingua gallica, germanica, anglica. Verborum S. P. latinam versionem hic subiunximus.

---

51. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

CONSTITUTIO APOSTOLICA 10 AUG. 1915

De sacro ter peragendo in die sollemnis commemorationis omnium fidelium defunctorum

(A. A. 5. 14 aug. 1915, 7, 401).

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

S. Sacrificium fidelibus pie defunctis prodesse testantur

Incruentum Altaris sacrificium, utpote quod a sacrificio Crucis nihil natura ipsa differat, non modo caelitibus afferre gloriam, et iis qui in miseriis huius vitae versantur ad remedium et salutem prodesse, sed etiam ad animas fidelium qui in Christo quieverint expiandas quam plurimum valere, perpetua et constans Ecclesiae sanctae doctrina fuit. Huius vestigia et argumenta doctrinae, quae quidem, saeculorum decursu, tum christianorum universitatem praeclarissimis affecit solaciis, tum optimum quemque in admirationem infinitae Christi caritatis rapuit, in pervetustis latinae et orientalis Ecclesiae Liturgiis, in scriptis Sanctorum Patrum, denique in pluribus antiquarum Synodorum decretis expressa licet et manifesta deprehendere. Id ipsum autem Oecumenica Tridentina Synodus sollemniore quadam definitione ad credendum proposuit, cum docuit « animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari », eosque anathemate perculit, qui dicerent, sacrum non esse litandum « pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus ». Neque vero rationem agendi huic docendi rationi dissimilem umquam secuta est pia Mater Ecclesia : nullo enim tempore destitit Christifideles vehementer hortari, ne paterentur, defunctorum animas iis carere utilitatibus, quae ab eodem Missae sacrificio uberrime profluerent. Qua tamen in re hoc laudi Christiano populo verti debet, numquam eius pro defunctis studium industriamque defuisse : ac testis Ecclesiae historia est, cum fidei caritatisque virtutes altius insiderent animis, actuosiorem tunc operam et reges et populos, ubicumque patebat catholicum nomen, in eluendas Purgatorii animas contulisse.

veteres liturgiae, scripta Patrum, multa Synodorum decreta et a S. Trid. Synodo est definitum.

Fideles piis de hac re adhortationibus Ecclesiae semper miro zelo obsecuti sunt.

Ex hac pietate ortum est privilegium ut in Lusitania primum, dein in Hispania in sollemni commemoratione Defunctorum

Ea ipsa profecto effecit tam incensa maiorum pietas, ut, plura ante saecula, in Regno Aragoniae, consuetudine paulatim inducta, die Sollemnis Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes saeculares sacrum bis peragerent, ter vero regulares ; quod privilegium Decessor Noster immortalis memoriae Benedictus XIV non modo, iustis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI Hispaniarum Regis Catholici, itemque Ioannis V Lusitaniae Regis, Litteris Apostolicis die XXVI mensis Augusti a. MDCCXLVIII datis, ita produxit, ut cuilibet

pluries S. Sacrificium celebrarent.

sacerdoti e regionibus utrique Principi subiectis facultatem faceret ter eadem in Sollemni Commemoratione litandi.

Causae cur multis precibus Antistitum ut extenderetur privilegium ad alias nationes nedum minutae sint hodie praesertim multo sunt maiores.

Procedente autem tempore, permulti, tum sacrorum Antistites, tum ex omni ordine cives, iterum et saepius supplices preces Apostolicae Sedi adhibuerunt, ut eiusmodi privilegio ubique gentium liceret uti : eademque de re a proximis Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis, in hisce Pontificatus Nostri primordiis, postulatum est haud semel. Nec vero dixeris, causas, quae ad propositum olim afferrentur, iam nunc defecisse : quin immo et exstant adhuc et ingravescunt in dies. Etenim Christifidelium, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis neglegi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire.

Multae enim missae fundatae aut negleguntur, aut, reditibus sublatis vel minutis, iam non dicuntur.

Cui defectui mederi cupit R. P., motus etiam sollicita cura tot virorum qui praematura morte in hoc bello erepti vix suffragiis sufficientibus gaudebunt.

Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in defunctorum animas, qua vel a pueris incensi sumus, vehementer impellimur, ut omissa cum ingenti earum detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus. Ea quidem miseratio hodie maiorem in modum Nos permovet, cum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernimus ante Nostros paene oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere ; quorum animabus expiandis etsi defutura non est propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem quis dixerit ? Quandoquidem vero communis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos, Nobis carissimos et desideratissimos, volumus, paterna cum largitate, congesti e Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere.

Quare haec statuit :

Itaque, invocato caelestis Sapientiae lumine auditisque aliquot Patribus S. R. E. Cardinalibus e Sacris Congregationibus de disciplina Sacramentorum et Sacrorum Rituum, haec quae sequuntur in perpetuum statuimus.

1. Omnes sacerdotes poterunt in commemoratione omnium defunctorum ter litare.

I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter sacrum facere ; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant ; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus.

2. Eodem die omnia altaria erunt « privilegiata ».

II. Quod Decessor Noster Clemens XIII Litteris die XIX mensis Maii a. MDCCLXI datis concessit, id est ut omnia altaria essent eo ipso Sollemnis Commemorationis die *privilegiata*, id, quatenus opus sit, auctoritate Nostra confirmamus.

3. Rubricae trium Missarum indicantur.

III. Tres Missae, de quibus supra diximus, sic legantur, quem ad modum fel. rec. Decessor Noster Benedictus XIV pro Regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit.

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in *Missali* inscribitur legenda *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum ;* eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae.

4. Quid si

IV. Sicubi acciderit, ut Augustissimum sit expositum pro Oratione

XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. 3177-3864 ad 4), ne celebrentur ad *Altare Expositionis*.

in Ecclesia SS. Sacramentum sit expositum?

Quod reliquum est, pro certo habemus fore, ut omnes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die Sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studioseque insigni privilegio uti quod largiti sumus. Impense vero omnes Ecclesiae filios hortamur, ut, memores officii, quo erga fratres, Purgatorii igne cruciatos, non uno ex capite obligantur, frequentes eo die sacris, summa cum religione, intersint. Ita futurum certe est, ut, immensa refrigerationis unda ex tot salutaribus piaculis in Purgatorium defluente, frequentissimae quotannis defunctorum animae inter beatos triumphantis Ecclesiae caelites feliciter cooptentur.

Sperat S. P. omnes sacerdotes suo privilegio esse usuros et fideles frequentissimos sancti sacrificii fore participes.

Quae autem hisce Apostolicis Litteris constituimus, eadem valida et firma perpetuo fore edicimus, non obstante quavis lege, antehac lata a Decessoribus Nostris, de Missis non iterandis.

Clausula.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die X mensis augusti anno MCMXV, Pontificatus Nostri primo.

Dies (10 aug. 1915).

51bis. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 11 AUG 1915.

De tribus missis in die sollemnis commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrandis

(A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 422).

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV per Constitutionem Apostolicam sub 10 huius mensis datam, et privilegium trium Missarum in die sollemnis Commemorationis defunctorum celebrandarum a Decessore suo fel. rec. Benedicto XIV Hispaniae et Lusitaniae dicionibus elargitum, et ipsas tres Missas quas idem Pontifex cuilibet sacerdoti in iisdem regionibus praescripsit legendas, ad universam Ecclesiam benigne extendere dignatus est.

Commemoratur extensio privilegii.

Ut autem omnibus innotescant praedictae Missae, sacra Rituum Congregatio, de ipsius Sanctissimi Domini Nostri mandato, ita in praesenti Decreto eas describit :

Locus et Rubricae indicantur :

Prima Missa est, quae inscribitur in Missali Romano die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

primae missae,

Altera, quae in eodem Missali habetur in anniversario defunctorum cum sequentia *Dies irae* et Orationibus, ut infra :

alterius missae,

ORATIO

Deus, indulgentiarum Domine : da animabus famulorum famularumque tuarum refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

SECRETA

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro animabus famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis : ut eas sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO

Praesta, quaesumus, Domine : ut animae famulorum famularumque tuarum, his purgatae sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam. Per Dominum.

tertiae missae. Tertia Missa quae legitur in Missis cotidianis cum sequentia *Dies irae* et Orationibus, ut infra :

ORATIO

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementian tuam : ut animas famulorum famularumque tuarum, quae ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum.

SECRETA

Deus, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae : et animabus omnium fidelium defunctorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nosirae cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus : ut animae famulorum famularumque tuarum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti, a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem. Per Dominum.

Clausula. Servatis de cetero Rubricis nec non peculiaribus Ritibus Ordinum propriis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (11 aug. 1915). Die 11 augusti 1915.

A. Card. VICO, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

51ter. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSA 15 OCT. 1915

De trium missarum celebratione in die sollemnis commemorationis fidelium defunctorum

(A. A. S. 27 oct. 1915, 7, 479)

Occasio dubiorum. Cum in constitutione apostolica *Incruentum altaris* diei X augusti huius anni sub num. 1 data fuerit facultas « omnibus in ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter Sacrum facere ; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant ; teneantur

vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus », sequentium dubiorum solutio a S. Congregatione Concilii expostulata fuit, nimirum :

Dubia.

I. Ad normam praefatae Constitutionis, in die Sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum, possuntne Sacerdotes unam e tribus Missis, quae magis eis placet, cui maluerint applicare et stipem inde percipere, vel primam tantum exclusive ?

II. Pro unica Missa quam illa die sacerdotes possunt cui maluerint applicare, et stipem inde percipere, possuntne maiorem exigere eleemosynam, vel contenti esse debent eleemosyna ex constitutione synodali, vel consuetudine locali statuta ?

III. Potestne Sacerdos pro aliis duabus Missis, quas illa die celebrat pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Pontificis, aliquid accipere ratione laboris, seu incommodi extrinseci, puta si ad aliorum commodum illas celebrare debeat hora vel loco satis incommodo, puta in aurora vel circa meridiem, in ecclesia vel oratorio rurali, aut coemeterii ; vel ne hoc titulo quidem valeat aliquid percipere ?

IV. Potestne Sacerdos, etiam remoto quovis motivo lucri, alias duas Missas illa die pro suo arbitrio applicare et stipem percipere, et insequentibus diebus applicare per se vel per alium duas Missas, unam pro fidelibus defunctis, alteram ad mentem Pontificis ?

Et quatenus negative :

V. Potestne Episcopus poenam suspensionis, etiam latae sententiae, et non faciendi suum stipendium, irrogare in eos qui ita agerent?

Sacra autem Congregatio Concilii ad proposita dubia respondendum censuit prout respondit :

Responsa.

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, excepto casu ultroneae oblationis, vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Negative.

Ad V. Affirmative.

Dies (15 oct. 1915).

Datum Romae, die 15 octobris 1915.

F. Card. Cassetta, *Praefectus.*
O. Giorgi, Secretarius.

Annotationes

Quae sit S. P. Benedicti XV erga fidelium defunctorum animas caritas testatur cum tot indulgentiae ipsis applicabiles ab eo concessae, tum praesertim prorsus extraordinarius favor quem hac constitutione omnibus sacerdotibus elargitur.

1. Privilegium celebrandi tria sacra in Commemoratione omnium defunctorum conceditur *omnibus* sacerdotibus. Iam Benedictus XIV ad ritus maiorem uniformitatem voluerat ut saecularibus sacerdotibus sicut et regularibus non duo tan-

tum sed tria sacra offerre liceret in dicione regum Hispaniae et Lusitaniae. Dum vero idem Pontifex tres missas pro omnibus fidelibus defunctis promiscue offerre iubet, ex novo privilegio primam saltem cuicumque maluerit sacerdos applicare licet, dum secunda ad mentem S. Pontificis, tertia omnibus defunctis applicanda est.

Ad vitandam omnem speciem avaritiae, ob quam olim permissa iterata celebratio suppressa est, *stipem* pro altera et tertia missa accipere omnino vetantur.

Ex resp. *S. C. Conc.*, d. 15 oct. 1915 haec clare definiuntur :

1° Sacerdotes debent *ipsa die* Commemorationis defunctorum secundam missam ad mentem S. P., tertiam pro omnibus fidelibus defunctis offerre.

2° Pro his duabus missis prorsus vetantur sub quovis praetextu, etiam ratione laboris (puta cantus) vel incommodi extrinseci (v. g. ob tardam horam celebrationis) stipendium ullum accipere. Haec iam sub poenis severissimis edixerat Benedictus XIV Brevi « *Quod expensis* » d. 26 aug. 1748. (Bull. Bened. XIV, Romae, 1740, t. II, p. 498).

3° Etiam pro missa quae intentioni particulari applicatur, non licet stipendium maius taxa synodali accipere, nisi omnino sponte, nulla a sacerdote facta vel insinuatione, recipere.

4° Episcopus suspensionem etiam latae sententiae et poenam stipendium non faciendi in illos ferre potest, qui in Commemoratione omnium fidelium defunctorum pro stipendio secundam vel tertiam missam celebrarent, remissa in alium diem celebratione ad intentiones in Constitutione « Incruentum » impositas.

2. Dum ad lucrandam per celebrationem in altari privilegiato indulgentiam plenariam defunctis applicabilem pro una anima determinata celebrare debes, in festo Commemorationis omnium defunctorum omnes sacerdotes, quamvis pro omnibus vel multis simul defunctis celebrent, eandem indulgentiam lucrabuntur ipsis applicabilem.

3. Ordo missarum earumque orationes plenius describitur in decr. S. C. *Rituum*, 11 aug. 1915, supra transumpto.

4. In memoriam revocatur praescriptum celebrandi missas de requie vestibus violacei coloris in ecclesiis ubi SS. Sacramentum sollemniter exponitur pro publica causa.

Dolendum omnino foret si tantum privilegium, pro quo maxime ab omnibus sacerdotibus Summo Pontifici gratias debentur, quidam misera ducti avaritia in perniciem potius quam in aedificationem fidelium verterent : deplorandae cupiditatis vestigia in quaestionibus ad S. C. Concilii positis et in responsis conteruntur.

I. C., s. I.

52. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. IX

MOTU PROPRIO 16 SEPT. 1915

De indulgentiarum concessionibus S. Congregationi S. Officii exhibendis (A. A. S. 6 oct. 1915, 7, 457).

Occasio decreti.

Quandoquidem in iis exsequendis quae decessor Noster sanctae memoriae Pius X Motu Proprio *Cum per apostolicas* die VII aprilis MCMX praescripsit de concessionibus Indulgentiarum a S. C. S. Officii recognoscendis, plures gravesque iam dubitationes exstiterunt, Nos ut eas omnes praecidamus in posterum, Motu Proprio pariter et certa scientia, secundum decreta a Nostris decessoribus, Benedicto XIV die XXVIII ianuarii MDCCLVI, Pio IX die XIV aprilis MDCCCLVI edita et ab ipso Pio X in Constitutione *Sapienti consilio* confirmata, decernimus et declaramus, illarum tantummodo sub poena nullitatis Supremae Congregationi exhibenda esse documenta Indulgentiarum, quae universi catholici orbis christifidelibus concessae sint. Itaque nec Indulgentias *particulares*, quantumvis late pateant, nec facultates benedicendi pia obiecta eisque Indulgentias et privilegia annectendi, quibusvis sacerdotibus tributas, iam nunc necesse erit Congregationis eiusdem recognitioni subicere.

S. Officio subiciendae concessiones tantum « quae universi catholici orbis fidelibus concessae sunt ».

Haec autem statuimus, sancimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVI septembris MCMXV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Dies (16 sept. 1915).

BENEDICTUS PP. XV

ANNOTATIONES

Motu proprio « Cum per Apostolicas » d. 7 apr. 1910 S. P. Pius X v. m. satis extenderat obligationem exhibendi S. Congr. S. Officii documenta indulgentiarum vel facultatum benedicendi pia obiecta, quae a S. S. concessae essent.

Iamque in suis Commentariis scriptor huius periodici dubitare videbatur ita extensam legem diu posse usu vigere (PERIOD. V, p. 127). Cui praevisioni concordat Motu pr. *Quandoquidem*, quo ad ius antea vigens ex decr. S. C. Indulgentiarum 28 ian. 1756 et 14 apr. 1856 reducimur. Illarum ergo tantum indulgentiarum documenta S. Officio erunt exhibenda quae *universi catholici orbis* christifidelibus concessae i. e. prorsus sunt *generales* ac *perpetuae*.

Notandum est R. P. non supprimere illam Mot. pr. Pii X dispositionem, qua decernitur « concessiones et indulgentiarum... de quibus supra, vim habere tantum postquam S. Congr. S. Officii illas authentice recognoverit. »

Immo post Motu propr. « *Alloquentes proxime* » d. 25 mart. 1917 (cfr. infra p. 113) videtur sublata necessitas exhibendi S. Officio etiam illas concessiones de quibus supra, cum « quidquid ad indulgentias pertinet, omne iam sit Paenitentiariae Apostolicae, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt ». I. C., S. I.

53. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

ALLOCUTIO CONSISTORIALIS 22 MART. 1917

De Exstinctione S. Congr. Indicis

(A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 161-163).

Venerabiles Fratres,

Causa convocandi consistorii.

Amplissimum Collegium vestrum ad nos idcirco in hodiernum diem convocavimus ut novos viduatis ecclesiis episcopos destinemus. Cui quidem rei etsi poterat extra hunc Ordinem provideri, tamen eum morem, qui fuit olim, tractandi causas huius modi in sacro Consistorio, revocare libuit, eo vel magis quia ex episcopalibus sedibus quae vacant, una est, Veliterna scilicet, cui omnino est in hac dignitate loci consulendum. Verum, ante quam aggrediamur ad id quod est propositum, occasione utimur ut alia de re sane gravi vos alloquamur.

Ordinatio curiae a Sixto V facta, a Pio X reformata.

Nostis, Venerabiles Fratres, Decessorem Nostrum inclitae memoriae Pium X, cum « *Ordinatio Romanae Curiae a Sixto V potissimum constituta* » decursu temporis multis partibus demutata esset adeo « *ut singularum (Congregationum et Officiorum) iurisdictio seu competentia non omnibus perspicua nec bene divisa evasisset* » Constitutione *Sapienti Consilio* III kal. iul. MCMVIII decrevisse ut eadem ordinatio « *modo apto et omnibus perspicuo* » renovaretur.

Intentio Pii X committendi S. Officio munus S. C. Indicis

Iam vero, in meditanda et praeparanda Constitutionis huius confectione illud quoque est cogitatum de sacris Indicis et S. Officii Congregationibus coniungendis. Atque id in animo fuisse sollerti pontifici, non solum patet ex iis quae tum acta sunt, sed etiam ex testimoniis clarorum virorum qui partem aliquam in iisdem agendis habuerunt. Par enim et consentaneum videbatur, ne dicamus necessarium, cuius Congregationis summum ministerium esset *tutandi doctrinam fidei et morum*, eidem incumbere munus vigilandi editioni librorum aliorumque scriptorum (quae quidem cum expeditissima via sit divulgandi hominum cogitata, mirum quantum valet in utramque partem, id est sive ad excolendos animos sive ad corrumpendos) ; quin immo memoratae S. Congregationi munus eius modi, tamquam praecipuum et proprium et peculiare esse demandandum : eo etiam ut praecaverentur de competentia inter easdem Congregationes controversiae ; quae quidem, ut diximus, non postrema erat causa cur nova ordinatio Curiae suscepta esset. Huc accedebat quod S. Officii Congregatio, quotiens necessarium vel utile iudicaverat, totiens de libris ceterisque scriptis censuram exercere consueverat : id quod non parvo erat momento ad duarum Congregationum coniunctionem peragendam vel potius restituendam ; nam ab initio unum idemque fuerant, dumtaxat consequenti tempore opportunum visum est eas separari.

variis impedita obstaculis

Verumtamen, quia non nulla erant quae dehortabantur ne in praesens copularentur iterum, placuit Decessori rem interim praetermittere, efficere tum quae poterant, cetera quae sibi proposuerat relinquere Successoribus emendanda, si ita vellent, cum tempora paterentur.

nunc potest ad exsecutionem perduci.

Nunc vero, remotis iis quae obstabant, Nos, plane cum Decessore Nostro consentientes, adhibitis in consilium iis ipsis egregiis viris qui

eidem Decessori in hoc navarunt operam, ante quam novus promulgetur Codex, atque ut in ipso nihil hac quoque ex parte desideretur, munus damnandi prave scripta S. Congregationi Sancti Officii attribuere decrevimus, ut eius proprium ac peculiare sit, quale usque adhuc fuit S. Congregationis Indicis quae hoc ipso iam esse desinet.

Sed usus et concessio Indulgentiarum ad S. Paenitentiariam remittuntur.

Ne autem ex hac accessione muneris S. Officium nimis multis negotiis gravetur, placet constituere ut quicquid ad Indulgentias pertinet, omne posthac Paenitentiariae Apostolicae attributum sit; cuius quidem erit usitato sibi more de iis omnibus iudicare quae spectant ad « *usum et concessiones Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt.* » Id quod ipsa suadet affinitas rerum de quibus, ut propriis, agit Paenitentiaria Apostolica.

His mutationibus videmur perfectam reddere, quatenus humanae res possunt, Ordinationem Romanae Curiae, simulque praeclarum Decessoris consilium plene ad effectum adducere.

Iam ad cooptationem Episcoporum veniamus....

---

54. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

MOTU PROPRIO « ALLOQUENTES » 25 MART. 1917

De tribuenda S. Officio censura librorum et S. Paenitentiariae concessione indulgentiarum

(A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 167)

Ut erat in consistorio nuntiatum

Alloquentes proxime in Consistorio sacrum Cardinalium collegium, ediximus consilium esse ut ordinationem Romanae curiae, praeclarum opus decessoris Nostri fel. rec. Pii X, perficeremus in ea quoque parte cui is ob quaedam rerum adiuncta supersedisset, id est SS. Congregationes coniungendo Indicis et Sancti Officii. Inspecta enim natura utriusque Congregationis, cum censura librorum, quod esset munus unius, contineretur munere *tutandi doctrinam fidei et morum*, quod esset alterius, ex iis Congregationibus unum fieri omnino apparebat oportere, vel ad praecavendas de competentia controversias quae facile inter eas orirentur.

competentia S. Officii et S. Paenitentiariae mutatur.

Nunc igitur id exsequentes consilium, Motu Proprio haec constituimus et sancimus :

I. S. Congregatio Indicis iam nunc non erit.

II. Quod fuit usque adhuc proprium munus S. Congregationis Indicis, erit posthac Sancti Officii de libris ceterisque scriptis censuram facere.

III. Ad ministeria quae sunt apud S. Officium, accedat peculiaris sectio de Indice, eique addicantur Officiales qui exstinctae congregationi ministrabant. — Rationem autem eius sectionis ordinandae S. Congregatio Sancti Officii definiet, Nobisque probandam proponet.

IV. Ne autem Sancti Officii negotiorum moles nimis hac accessione crescat, quicquid ad indulgentias pertinet omne iam esto Paenitentiariae Apostolicae : quae quidem, pro suo instituto, iudicabit de omnibus quae

spectant ad *usum et concessiones indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt.*

V. Sectio de indulgentiis, quae est apud S. Officium, cum suis officialibus, ad Paenitentiariam Apostolicam transferatur : quam ipsam sectionem Cardinalis Paenitentiarius Maior, Nobis consultis, ordinandam curabit.

Haec statuimus et praecipimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Dies (25 mart. 1917). Datum Romae apud S. Petrum, die 25 martii 1917, in festo Incarnationis Dominicae, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV

Annotationes

1. Accurate definiendi competentiam dicasteriorum hic est duplex fructus, ut in suis quisque negotiis iudices sint peritiores et de finibus potestatis lis omnis removeatur. — Quam laudem sane tribuendam Const. « Sapienti consilio » d. 29 iun. 1908 a Pio X. b. m. nemo infitias ibit. Decessoris sui ordinationem paucis punctis perpolire satagit S. P. Benedictus XV.

2. Cum enim librorum censura et prohibitio munere *tutandi doctrinam fidei et morum* contineatur, quae peculiaris est provincia S. Congr. S. Officii, peropportune sublata S. Congr. Indicis ; ipsius S. Officii sectio specialis erit, simul nihil de competentia detrahetur : officiales enim omnes S. Congr. Indicis S. Officio addicuntur. Aufertur vero illa unione vel occasio litis de finibus competentiae inter utrumque Officium. Ceterum haec erat iam olim provincia S. C. Rom. et Univ. Inquisitionis : sed ne multis ac gravibus negotiis sibi commissis obrueretur, condita est a S. Pio V (a. 1571) Congregatio specialis de indice reformando et libris corrigendis, quam postea perfecerunt et confirmarunt Gregorius XIII (a. 1572) et Sixtus V (a. 1588). [1]

Penitus suppressa S. C. Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita (Const. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908) ad S. Officium devoluta erat universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet sive quae usum respiciat. « Ne S. Officium mole negotiorum obruatur, pars illius sollicitudinis ad S. Paenitentiariam amandatur. Quamquam enim proprium est S. Officii videre ea quae spectant ad usum et concessiones indulgentiarum. »

Hoc motu proprio videtur sublata obligatio exhibendi S. Officio documenta indulgentiarum « quae universi catholici orbis christifidelibus concessae sint. » Illud enim ius ipsi reservari minime dicitur.

[1] A. Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum*, p. 4.

Ut autem S. Officium S. Congregationi de Indulgentiis quod ad ius videndi documenta indulgentiarum sub poena nullitatis successerat, pronum est iudicare hoc munus nunc ad S. Paenitentiariam pertinere. Quod si ex silentio Motus proprii « Alloquentes » dubium oriri poterit, tollitur can. 920 in Codice I. C. « Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earundem concessionum ad Sacram Paenitentiariam deferendi. » I. C., s. I.

---

55. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA AD R. D. PAULUM ALBERA, MAGISTRUM MAXIMUM SODALIUM SALESIANORUM, 1 MART. 1917

Occasione septimi conventus « cooperatorum » sancti Pauli in Brasilia (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 170).

Acta septimi conventus et cooperatorum « laudantur ».

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Perlibenter Nos, et quas dedisti ad Nos nuper litteras accepimus, tuae tuorumque erga Nos et hanc Apostolicam Sedem observantiae plenas, et adiuncta litteris acta septimi conventus, quem Salesiani *Cooperatores* Sancti Pauli in urbe Brasilianae Reipublicae pernobili haud ita pridem frequentissimi celebrarant. Quae quidem acta perlegentes, velut positam in conspectu videbamur vitam intueri industrem sane et actuosam universae sodalitatis vestrae. Haec, a parvis orta, uti fit, initiis, ita brevi, Deo adiuvante, aucta est operariorum numero, ut in dissitis etiam utriusque Americae plagis sede collocata, orbem terrarum cum veteri novum complexa sit feliciter. Atque hic, in tanto industriae spatio, mirum quantum adhuc utilitatis attulit Ecclesiae Catholicae constantia laborum, splendore virtutum. Vestra tamen laus est novisse tempora quid postulent, novisse quibus armis, horum data temporum natura, sit potissime dimicandum. Quem ad modum enim religionis atque adeo humanitatis inimici passim sese congregant et pessimo foedere iuncti conspirant ut Ecclesiam, si fieri possit, ipsam deleant, ita vos necesse omnino esse duxistis frequentes universi coetus congressiones Cooperatorum inire, communicare consilia, consociare vires, arma armis opponere. Quo factum est ut, ope divina freti, fructus colligeretis uberrimos. Res autem maximi profecto momenti, ut in superioribus, ita in hoc septimo Brasiliano conventu, fuisse videmus ad deliberandum propositas. Quid enim opportunius, quid utilius quam aut de iuventute cotidie magis iuvanda, novisque praesidiis firmanda decernere, aut de maiore ad sacri ordinis alumnorum institutionem studio adhibendo, aut de sacris expeditionibus ad barbaros promovendis, aut de librorum, qui vera explicent, falsa diluant, amorem religionis excitent, maiore paranda copia fusiusque disseminanda, aut de tuendis studiosius emigrantibus e patria, ne, ab hostibus Ecclesiae catholicae circumventi, aliquid in fide detrimenti capiant ? quid hisce aliisque rebus, de quibus in

Summis laudibus effertur zelus sodalitatis.

SS. D. optima quaeque sodalitati apprecatur.

eo conventu consultum est, his quibus vivimus temporibus, putemus magis consentaneum ? Quare tibi, dilecte Fili, tuisque cooperatoribus et universae cui praees sodalitati felicem huius septimae congressionis exitum vehementer gratulamur. Eadem enim Nos, qua decessores Nostri, benevolentia, Venerabilis Ioannis Bosco instituta complectimur : quae, ut Iesu Christi Vicario deditissima, valde cupimus novis in dies et florere alumnis, et cooperatoribus augeri, ita ut possint, Mariae Auxiliatricis ope, necessitatibus temporum uberiore usque cum fructu mederi.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, et universis et singulis tuae curae concreditis, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Dies (1 mart. 1917).

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 martii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV.

---

56. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA AD R. P. IOSEPHUM HISS, SACERD. SOCIETATIS MARIAE PRAEP. 7 MART. 1917

Occasione anniversarii centesimi anni a societate condita (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 171).

Pericula ex seditione Gallica Ecclesiae orta describuntur.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Anno iam exeunte centesimo, postquam ista, cui praees, Societas Mariae instituta est, decet vos quidem et omnes qui Galliam vere diligunt, sancto efferri gaudio, respicientes quibus ortum initiis quae usque adhuc incrementa Institutum vestrum acceperit. Simul autem non modo decet, sed oportet etiam animadvertere quem ad modum hoc intervallo rem christianam, maxime istic, afflictam et prope perditam, providentis Dei benignitas relevaverit, et quam partem in ea relevanda magnus et singularis vir, qui Societatem vestram condidit, habuerit. — Post illa, proxima origini, tria saecula, in quibus christianorum sanguine orbis terrarum redundavit, numquam tanto in discrimine dici potest fuisse Ecclesiam, in quanto sub finem saeculi decimi octavi esse coeperit. Etenim, insanientis Philosophiae opera, ab haeresi Novatorum et perduellione profectae, vulgo infatuatis mentibus, erupit summa illa rerum conversio, eo pertinens scilicet ut non solum in Gallia, sed paulatim per gentes omnes christiana societatis fundamenta convelleret. Nam, Ecclesiae auctoritate publice reiecta, cum desitum esset iuris, officii atque ordinis in civitate custodem ac vindicem haberi Religionem, iam placuit a populo, non a Deo, potestatem oriri ; homines inter se, ut natura, ita iure pares omnes esse ; quod cuique libuisset, id licere, nisi quae lex prohiberet ; nihil habere vim legis, quod non multitudo iussisset ; libertatem maxime sentiendi de religione, vel vulgandi quidquid quisque voluisset, nullis contineri finibus, dum noceret nemini. Haec fere sunt quibus, tamquam principiis, ex eo tempore civitatum disciplina nititur : eadem vero quam perniciosa humanae societati possint esse, ubi iis caecae cupiditates ac

partium studia multitudinem armaverint, numquam apparuit clarius, quam cum primitus declarata sunt. Ergo, ut dominatum plebs occupavit, cuius adversus ceteros ordines invidia inveteraverat, capitale esse coepit optimo cuique aliter vivere aut etiam cogitare ac facinorosissimis hominibus probaretur ; nihil tam sanctum tamque augustum quod non, libertatis iustitiaeque nomine, effrenata licentia violaret ; plena omnia caedis et ruinarum ad internecionem usque vastitatemque Galliae christianae, praesertim ex quo per summam temeritatem ac dementiam, supremi Numinis cultu sublato, Rationi, tamquam Deo, impurissimis caerimoniis litatum est. Non sane in hac rerum perturbatione, utpote quae violenta nimis et immanis esset, diu est perseveratum ; nec poterat. Itaque civilibus rebus secundum nova iura compositis, brevi factum est, ut divinus cultus, sine quo nulla umquam consistet civitas, restitueretur. Sed, quo stabilior firmiorque restitutio esset publici ordinis, altius intrandum erat tamquam in viscera populi, et ubique christiana vitae instituta instauranda ; cumque futurum iam non esset, ut publici regiminis antiqua forma revivisceret, danda erat opera ut sensim christiani spiritus in novam civitatis constitutionem penetrarent. Atque hic mirari licet misericordem Dei providentiam, qui, cum Galliam sivisset, veteris gloriae adeo immemorem evadere, ut christianae sapientiae hereditatem, cum sua ipsius pernicie et cum pessimo aliorum exemplo, repudiaret, ex ipso Galliae gremio filios excitarit, animis et virtutibus praestantes, qui matris detrimenta, vel accepta vel importata, sarcire niterentur. — Numerandus est inter eos, et quidem non postremo loco, parens et legifer vester, Gulielmus Iosephus Chaminade. Iam in medio illo motu temporum, quando sacerdotibus qui civilem Cleri constitutionem reiecissent, extrema parabantur, et luebatur capite quidquid religiosi ritus actum esset, quam hic eluxit et officii constantia et studio divinae gloriae et amore animarum. Quotiens pro salute fratrum vitae periculum adiit, alio atque alio celatus habitu, circumiens vicatim Burdigalensem urbem, ut secreto vel sacra morientibus ministraret, vel rudes fidei praeceptis instrueret, vel nutantes in officio confirmaret. Incredibile est quem ad modum, conquisitus ad necem, vestigatores suos semper effugerit, saepe etiam dissimulando fefellerit : nimirum Deo vivens, nequaquam sibi, eius tantum spiritu ducebatur. Quare, cum bonorum opinione floreret, apud improbos autem odio crevisset, paulisper, tranquillatis rebus, laetabilem tot laborum fructum cepit, complures in sacerdotio collegas, qui animi infirmitate defecerant, Ecclesiae reconciliando ; rursus autem turbata republica, vertere solum coactus, non sine Dei nutu, Caesaraugustam exsulatum abiit. Ibi pernobilem Dominae Nostrae invisens aedem, divinae misericordiae consilium intellegit de revocanda ad Iesum per Mariam patria sua ; ac non dubie sentiens praecipuam quandam apostolatus huius partem sibi destinari, ibidem ad pedes imaginis augustae meditando atque orando, diligenter se ei tanto muneri accinxit. Neque enim inani ornatur Maria praeconio cum Regina appellatur Apostolorum ; sed, ut Apostolis, Ecclesiae nascentis educatoribus, materna ope et hortatione adfuit, ita omnibus apostolici muneris heredibus, qui Ecclesiae iam adultae aut emolumenta parare aut detrimenta resarcire studeant, perpetuo adesse dicenda est.

Deus restituendae Galliae per ipsius filios mire providit,

inter quos eminuit Gul. Ios. Chaminade

cuius describuntur praeclare gesta et vitae varia fortuna.

Ut igitur agendi maturitas venit, visus est hic mirabili prudentia

studioque pari complecti omnia quae ad temporum sanationem requirerentur. Principio, cum comperisset recenti procella oblitteratas vulgo notiones rerum quae supra naturae ordinem essent, non, ut alii consueverunt, ingenio temporum servire decevrit, inanem quandam religiositatem, specie tenus christianam, praedicando, verum ad perfectionem vitae de caelo allatam, in qua vis et ratio christianae sapientiae consistit, excitari omnes vidit oportere. Ad omnes enim illud spectat Iesu Domini : *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Cumque pro explorato haberet magnum in professione vitae religiosae inesse momentum ad communes mores vel exemplo vel opera vel etiam precum suffragio corrigendos, cerneret autem professionem eiusmodi, qualis esset a maioribus tradita, legibus vetari, homo industrius et experiens, quoddam excogitavit sodalitatis genus, cuius qui essent participes, cum evangelicorum consiliorum summam communiter vivendo ipsi servarent, tum ceteros ad Christum et colendum et sequendum adducerent.

Excogitat novum sodalitatis genus.

Non enim, pro suo caritatis ardore, satis habebat efficere ut aliqui a vitiorum caeno intacti permanerent aut inde ad vitae integritatem emergerent ; sed huc omni semper contentione spectavit, ut multitudines, quae a Christo Domino procul aberraverant, paenitentes tandem ad eius se reciperent sinum : et eam ob causam quot susceperat christianis virtutibus excolendos, totidem ad apostolatum sedulo conformabat.

« Congregationis » Burdigalensis merita offerentur,

Itaque illa nata est *Congregatio*, ut nominatur, Burdigalensis, quae mirifica Operum varietate non eam regionem tantum, sed plures etiam provincias ad christianos mores renovavit. E. Congregatione autem, tamquam e seminario quodam renascentis Galliae, catholicae, ut primum in eius gremio semina religiosae disciplinae, quae temporibus consentanea esset, maturescere visa sunt, exstitit, patrona et auspice Maria, sub ortum Filiarum, vestra Societas. Haec vero, quae institutorum Gulielmi Iosephi habetur facile princeps, si eius propria constitutio et natura spectetur, egregie sane probabilem ostendit viri prudentiam. Qui probe considerans, ex quo vetus civitatis temperatio concidisset, quam odiosum vulgo esset quidquid eius memoriam afferret et clericos praesertim quam haberet saeculum suspectos, ne animorum talis affectio conatus omnes debilitaret Societatis, eam sic coagmentavit ut non solis clericis constaret, sed laicis quoque et iis ex quolibet civitatis loco delectis, quin immo laici, salvo utique honore dignitati sacri ordinis debito, eodem prorsus iure, ac clerici, religiosi sodales haberentur. Res igitur successit, Deo adiuvante, felicissime. Nam eo pacto constituta Societas ut, cum intrinsecus sodales fraternae caritatis vinculis conglobaret, tum extrinsecus singulorum sodalium operam ad cives omnes sine cuiusquam offensione porrigeret, mirum quantum prodesse coepit populo ad christianos ubique et sensus et mores revocandos multiplici quidem via, sed potissime institutione iuventutis. Intercesserunt vero ad exercendum graviter optimum et patientissimum virum dolores domestici : qui, solidam patris vestri virtutem illustrantes, omne institutum eius divina quasi nota nobilitarunt. Etenim, maxime postquam is excessit e vivis, ista in primis Societas Mariae perpetuis incrementis ad hunc diem longe lateque diffusa est adeo, ut non difficulter possis divinae providentiae beneficium agnoscere.

ex qua nova Societas Mariae nata est.

Haec Nos tam laetabilia grato in Deum animo considerantes, Eum impense vobiscum obsecramus, ut omnia Gulielmi Iosephi Chaminade opera, in Ecclesiae sanctae exploratissimam utilitatem suscepta, pergat, ut fecit adhuc, sua gratia fovere et usque provehere in maius. — Atque ob eam causam, ut saecularis haec originum vestrarum commemoratio vobis tamquam novo auspicio sit ad bene merendum de Ecclesia, ornetur ea volumus Pontificalis indulgentiae muneribus, quae vel uberiorem divinae benignitatis opem vobis concilient. Quare damus ut, qui Societatis Mariae templa aut sacella, ubi supplicatione in triduum aut alio sollemni sacro fausta rei memoria celebrabitur, inviserint, omnes — non solum sodales et alumni sed quicumque se vobiscum ad rem celebrandam consociaverint — *Plenariam* peccatorum suorum veniam, usitatis condicionibus, lucrentur. Id ipsum concedimus religiosis Institutis, quae quidem ad fundanda legifer et parens vester plurimum contulit : id est tum Filiarum Mariae Immaculatae Agennensium et Auxitanarum, tum *Misericordiae*, ut dicitur, Burdigalensis ; denique ceteris qui his variis religiosorum familiis consociati sunt. — Auspicem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte Fili, et omnibus quos mode memoravimus, aspotolicam benedictionem amantissime impertimus.

SS. D. Societati optima apprecatur

et spirituales favores concedit.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VII martii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

Dies (7 mart. 1917).

BENEDICTUS PP. XV.

---

57. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EP. AD R. D. IOA. FRANC. NOLL, SACERD.

curionem ecclesiae sanctae Mariae Huntingtonii commendans catholicam ephemeridem « Sunday Visitor ».

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem — Catholicam ephemeridem *Sunday Visitor* in qua moderanda plures iam annos es totus, duo prae ceteris sunt quae Nobis commendant : susceptum a te propositum vulgandi atque illustrandi catholicam doctrinam adeo, ut artius eidem devincas catholicos et non catholicos lucreris, et plaeclarum indicium quod de eadem ephemeride fecisse accepimus cum Decessorem Nostrum f. r. Pium X, tum etiam alios auctoritate praestantes gravesque viros. Alterum enim te bonum praestat mysteriorum Dei dispensatorem : testatur alterum in persequendo proposito sancto te rectam tenere viam et ubere cum fructu allaborare. Quidni igitur acceptis laudibus Nostra accedat commendatio ? Quin etiam ita facere libet, ut currentem te, si quid est opus. incitemus, et apostolicam tibi impertientes benedictionem, alacritatem tuam et eorum, quibus uteris adiutoribus, divinae permuniamus gratiae auxiliis.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI martii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV.

58. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA AD R. P. AUGUSTINUM EPISC. TIT. CONSTANTIEN. ABBATEM GEN. CISTERCIENSIUM REFORM. 12 MART. 1917

laudans sanctam disciplinam et opera familiae Westmallensis (in Belgio) (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 177).

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum Nostra caritas, tum etiam tua tuorumque sodalium virtus facit ut, properante ad exitum saeculo, ex quo Westmallense monasterium conditum est, de eventu qui ad vos privatim attinet, ita Nos quoque laetemur, ut ipsi vos vix laetari posse videamini vehementius. Neque id mirum. Si enim propagari late et apud Belgas et apud Batavos Ordinem Cistercensium vidimus ; si tot virtutum praesidio tantoque comitatu etiam nunc catholicum nomen non honestari modo ab iis, sed firmari ac provehi exploratum est, hoc vel inde repetendum ducimus quod Westmallensis familia adeo inclaruit disciplina sancta, ut ad religiosam perfectionem et suos mirifice iuvaret et ceteros alliceret. Vobis igitur ac reliquis, cum ex Belgio tum ex Batavia Cisterciensibus sodalibus, qui monasterii istius ita vobiscum initia recolent ac decora, ut eidem *quasi matri honorificatae* gratulentur, ita Nos animo adfuturos putatote gratulantes, ut simul ad id hortemur ex quo decora eadem parta maioribus vestris ac vobismetipsis sunt, nimirum ad eam precandi patiendique consuetudinem, quae disciplinae vestrae caput est et summa, quaeque, ut nostis, eo in primus spectat, ut animus ab omni liber perturbatione in Dei amore et intendat se in dies magis et cetores excitet.

Auspex interea divinorum munerum Nostraeque testis benevolentiae, apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis Frater, tuisque religiosis sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XII martii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV.

---

59. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 27 MART. 1917

Ad R. P. Michaëlem Cerda, praep. gen. cum procuratore et consultoribus clericorum regularium Theatinorum. Post designatam a se novam sodalitati regendae curiam.
(A. A. S. 1 maii 1917, 9, 224).

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Fidei et obsequii erga Nos et hanc Apostolicam Sedem certissimo documento fuerunt Nobis vestrae nuper litterae, quibus magnam significabatis habere

vos Nobis gratiam quod Ipsi designaveramus novam eidem sodalitati regendae curiam, maioremque vos habituros pollicebamini si, ut quattuor hoc saeculorum spatio decessores Nostri consueverunt, Nos, quibus datum est Theatinae familiae quodam modo redintegrare vitam, munus patroni vestri retineremus. Nobis autem, vestras litteras legentibus, pergratum fuit agnoscere vividos etiam nunc in vobis Caietani Thienaei spiritus. Hic enim magnus animo et sanctitate vir divinitus Ecclesiae datus, venator animarum verus, in ea malorum colluvie, qua tunc civilis premebatur societas, ad oppugnandas haereses late pervagantes, ad Dei gloriam promovendam, ad virtutem, quae passim intermortua erat, exsuscitandam, pralangem Clericorum velut in aciem deduxit tum pietate insignem tum doctrinae copia validam, et eam Apostolicae Sedis auctoritati, unde imperia boni milites Christi acciperent, iussit esse omnino deditam et obsequentem. Meministis enim quale benevolentiae testimomium a Virgine beatissima habuerit abhinc quadringentis annis Caietanus in Exquiliis, ubi divino instinctu consilium iniit regularis istius Familiae instituendae. Quod vero attente cogitatum sibique propositum meditabatur animo, idcirco facile, Deo adiuvante, potuit in usum deducere, quia exordia rei gerendae auspicato ceperat ab Apostolica Sede, votis sollemnibus coram Pontificis Maximi delegato apud cineres apostolorum Principis in Basilica Vaticana nuncupatis.

Quid igitur non exspectandum boni erat Ecclesiae civilique societati ex hac tam propensa in Apostolicam Sedem voluntate et reverentia quattuor hisce saeculis perseveranter exhibita? Non attinet ista fusius scribendo persequi quae vestri eloquuntur annales. Hanc Nos magni Caietani propaginem nullo modo pati poteramus neque minui, neque debilitari, eo vel magis quod temporum illorum ratio ad hanc nostrorum rationem videtur accedere ob plurimorum contumaciam a fide aberrantium lateque diffusam morum corruptionem. Quare libentissime facimus ut, quod cupitis, in Nostram vos tutelam recipiamus. Vos vero legiferi Parentis opus alacriores persequimini, devias praesertim mentes revocando ad Vicarium Iesu Christi qui solus verba vitae aeternae habet. Ita divinam opem, ipso Caietano deprecante, vobis uberrimam concilaabitis. Cuius auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, dilecti filii, et clericis vestris universis apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 27 martii 1917, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV.

60. — SS. D. N. PP. BENEDICTI Pp XV

BREVE 14 APRIL. 1917

De absolutione Tertiariorum saecularium S. Francisci

(A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 262).

BENEDICTUS PP. XV

Precibus annuens Procuratoris et commissarii gen. Ordinis F. M. Cap.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae omnia ad Ecclesiae thesauris facilius perfruendum spectent, ea de more Romanorum Pontificum praestare libenti quidem animo solemus. Itaque, cum dilectus filius Iosephus Antonius a S. Ioanne in Persiceto, procurator et commissarius generalis Ordinis Fratrum Minorum capulatorum, humiles ad Nos preces admoverit, ut saecularibus tertiariis S. Francisci exoptatum privilegium concedere dignaremur ; Nos, quibus sane est compertum, quot laudes inclitus hic tertiarius Franciscalis Ordo sibi in Ecclesiam et in civilem communitatem comparaverit, piis hisce precibus benigne obsecundamus.

SS. D. extendit facultatem tertiariorum saecularium recipiendi absolutionem.

Quare, de omnipotentis Dei misericordia ac SS. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, et audito quoque dilecto filio Nostro S. R. E. Card. Paenitentiario Maiore, omnibus ac singulis saecularibus fratribms tertii Ordinis S. Francisci Patris, ubicumque degentibus, facultatem apostolica auctoritate Nostra praesentium tenore facimus, cuius vi absolutionem seu benedictionem recipere, servatis de iure servandis, valeant, quolibet die intra octiduum earum festivitatum, quibus eadem benedictio est annexa. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Dies (14 apr. 1917).

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub anulo piscatoris, die 14 april. 1917, pontificatus Nostri anno tertio ;

P. Card. Gasparri, *a secretis Status.*

Annotatio

Festivitates de quibus in Brevi agitur sunt Nativ. Domini ; Pascha ; Pentecostes ; fest. SS^mi Cordis Iesu ; Immaculata Conceptio ; fest. S. Ioseph (19 mart.) ; fest. Stigmatum S. P. Francisci (17 sept.) ; S. Ludovici, regis (25 aug.) ; S. Elisabethae reg. Hung. (19 nov.). — « Octiduum earum festivitatum » videntur illi dies quibus aliorum festorum octava constat, i. e. ipsa festivitas et septem dies qui sequuntur.

I. C., s. I.

61. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 5 MAII 1919 [1]

ad Petrum S. R. E. Card. Gasparri, a Secr. Stat. S. S. de pace a Iesu Christo, per intercessionem B. M. V. crebris supplicationibus impetranda

(A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 265).

Signor Cardinale,

Il 27 aprile 1915, con la Lettera diretta al rev. P. Crawley-Boevey, noi estendemmo a tutti coloro, i quali consacrassero la loro casa al Sacratissimo Cuore di Gesù, le Indulgenze due anni prima concesse per tale atto di pietà dal Nostro Predecessore Pio X, di venerata e santa memoria, alle famiglie della Repubblica Cilena. Ci arrideva allora, vivida e serena, la speranza che il Divin Redentore, chiamato a regnare visibilmente nei focolari domestici, vi diffondesse gl' infiniti tesori di mitezza e di umiltà del Suo Cuore amantissimo e preparasse tutti gli animi ad accogliere il paterno invito alla pace, che Ci proponevamo d'indirizzare nel Suo Augusto Nome ai popoli belligeranti ed ai loro Capi nel primo anniversario dello scoppio dell'attuale terribile guerra. L'ardore, con cui le famiglie cristiane ed anche i soldati dei varî eserciti combattenti offrirono da quel giorno a Gesù l'omaggio di amorosa sudditanza tanto accetto al Suo Cuore Divino, accrebbe la nostra speranza e Ci confortò a levare più alto il paterno grido di pace.

Indicammo allora ai populi l' unica via per comporre — con onore e con beneficio di ciascuno di essi — i loro dissidi e, tracciando le basi su le quali dovrà posare, per essere duraturo, il futuro assetto degli Stati, li scongiurammo, in nome di Dio e dell'umanità, ad abbandonare i propositi di mutua distruzione e addivenire ad un giusto ed equo accordo.

Ma la Nostra voce affannosa, invocante la cessazione dell'immane conflitto, suicidio dell'Europa civile, quel giorno ed in appresso rimase inas-

---

[1] Id est latine : Domine Cardinalis,

Die 27 aprilis 1915, epistola directa ad Rev. P. Crawley-Boevey, omnes quotquot domum suam sacratissimo Cordi Iesu consecrarent, participes fecimus indulgentiarum quas duobus annis prius Decessor noster Pius X, venerabilis et sanctae memoriae, familiis rei publicae Cilenae pro simili pietatis actu concesserat. Arridebat nobis tunc, vivida et serena, spes futurum esse ut divinus Redemptor, ad visibile regnum in focis domesticis assumendum vocatus, infinitos mansuetudinis et humilitatis sui amantissimi Cordis thesauros in iis diffunderet, omniumque animos disponeret ad concedendum paternae invitationi ad pacem, quam recurrente primo anniversario praesentis terribilis belli, gentibus bellantibus eorumque ducibus Augusto Ipsius Nomine dirigere proponebamus. Alacritas quacum christianae familiae et ipsi variorum exercituum bellantium milites obsequium affectuosae subiectionis divino suo Cordi tam acceptum Iesu ab illa die offerre coeperunt spem nostram adauxit, et animos dedit ad paternam vocem qua ad pacem conclamaremus altius attollendam.

Unicam tunc populis viam demonstravimus componendi — sine ullius dedecore et omnibus utiliter — eorum discidia, et, fundamenta adumbrando quibus, ut diuturna foret, stabilitas Statuum in posterum inniti deberet, ipsos Dei et humanitatis nomine imploravimus, ut proposita mutuae destructionis deponerent et ad iustam et aequam concordiam venirent.

Sed anxiosa Nostra vox qua finem immanis conflictus, suicidii excultae Europae,

collata! Parve che salisse ancor più la fosca marea di odi dilagante tra le Nazioni belligeranti, e la guerra, travolgendo nel suo spaventevole turbine altri paesi, moltiplicò le rovine e le stragi.

Eppure, non venne meno la Nostra fiducia! Ella lo sa, Signor Cardinale, che ha vissuto e vive con Noi nell'ansiosa attesa della sospirata pace. Nell'inesprimibile strazio dell'animo Nostro et tra le lagrime amarissime, che versiamo sugli atroci dolori accumulati sopra i popoli combattenti da questa orribile procella, Noi amiamo sperare omai non più lontano l'auspicato giorno, nel quale tutti gli uomini, figli del medesimo Padre Celeste, torneranno a considerarsi fratelli. Le sofferenze dei popoli, divenute presso che importabili, hanno reso più acuto e intenso il generale desiderio di pace. Faccia il Divin Redentore, nell'infinita bontà del Suo Cuore, che anche negli animi dei governanti prevalgano i consigli di mitezza, e che, conscii della propria responsabilità innanzi a Dio ed innanzi all'umanità, essi non resistano più oltre alla voce dei popoli invocante la pace!

A tal fine salga a Gesù, più frequente, umile e fiduciosa, specialmente nel mese dedicato al Suo Cuore Santissimo, la preghiera della misera umana famiglia e Ne implori la cessazione del terribile flagello. Si purifichi ciascuno più spesso nel salutare lavacro della sacramentale Confessione, e all'amantissimo Cuore di Gesù, congiunto al suo nella Santa Comunione, porga con affettuosa insistenza le sue suppliche. E poichè tutte le grazie, chez l'Autore d'ogni bene si degna compartire ai poveri discendenti di Adamo, vengono, per amorevole consiglio della sua Divina Provvidenza, dispensate per le mani della Vergine Santissima, Noi vogliamo che alla Gran Madre di Dio in quest'ora tremenda più che mai si volga vive e fidente la domanda dei Suoi afflittissimi figli. Diamo, quindi, a Lei, Signor Cardinale, l'incarico di far conoscere a tutti i Vescovi del mondo il Nostro ardente desiderio che si ricorra al Cuore di

---

implorabamus, nec tunc nec postea exaudita est. Contra, inter Gentes bellantes, tenebrosa odiorum procella crescere visa est, et bellum formidanda sua voragine alias gentes secum trahens, ruinas et strages multiplicavit.

Nihilo minus, fiduciam Nostram non amisimus! Illud compertum habes, Domine Cardinalis, qui in anxiosa exspectatione optatae pacis nobiscum dies egisti et agere pergis. Dum ineffabili dolore divellimur et super atrocibus cruciatibus quos horribilis ista procella in populos bellantes congerit amarissimas, lacrimas fundimus, iuvat nos propinquum iam sperare auspicatum diem, quo omnes homines, filii eiusdem Patris caelestis, se pro fratribus denuo habebunt. Ipsis populorum malis quae fere importabilia evaserunt, generali pacis voto magnitudinem et vires addidit. Faxit divinus Redemptor, infinita sui Cordis bonitate, ut etiam in gubernantium animis consilia mansuetudinis praevaleant, et rationis coram Deo et coram genere humano reddendae conscii, voci populorum pacem appellanti resistere desinant.

In hunc finem, praesertim per mensem sacratissimo Eius Cordi dicatum, frequentiores, humiliores, confidentiores ad Iesum ascendant preces miserae humanae familiae, et ab eo finem terribilis flagelli implorent. Unus quisque salutari confessionis sacramentalis lavacro saepius purificetur, et amantissimo Cordi Iesu, in sacra communione suo cordi coniuncto, supplicationes suas affectuosa instantia porrigat. Et quia benevolo ipsius divinae Providentiae consilio fit ut omnes gratiae, quas auctor omnis boni misellis Adami posteris impertire dignatur, per manus Virginis Sanctissimae dispensentur, volumus ut in hora ista formidolosa precatio suorum afflictissimorum filiorum, magis quam umquam vivida et confidens se ad Almam Dei Matrem convertat. Quare, Domne Cardinalis, tuis curis mandamus ut omnibus Orbis episcopis ardens nostrum desiderium patefacias, quo cupimus ut ad Cor Iesu, gratiae

Gesù, trono di grazie, e che a questo trono si ricorra per mezzo di Maria. Al quale scopo Noi ordiniamo che, a cominciare dal primo di del prossimo mese di giugno, resti fissata nelle Litanie Lauretane l'invocazione *Regina pacis - ora pro nobis*, che agli Ordinarii permettemmo di aggiungervi temporaneamente col Decreto della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinarii in data del 16 novembre 1915.

Si levi, pertanto, verso Maria, che è Madre di misericordia ed onnipotente per grazia, da ogni angolo della terra, nei tempî maestosi e nelle più piccole cappelle, dalle reggie e dalle ricche magioni dei grandi come dai più poveri tugurî, ove alberghi un'anima fedele, dai campi e dai mari insanguinati, la pia, devota invocazione e porti a Lei l'angoscioso grido delle madri e delle spose, il gemito dei bimbi innocenti, il sospiro di tutti i cuori bennati : muova la Sua tenera e benignissima sollecitudine ad ottenere al mondo sconvolto la bramata pace e ricordi, poi, ai secoli venturi l'efficacia della Sua intercessione e la grandezza del beneficio da Lei compartitoci.

Con questa fiducia nel cuore, Noi imploriamo da Dio su tutti i popoli, che abbracciamo con eguale affetto, le più elette grazie ed impartiamo a Lei, Signor Cardinale, e a tutti i figli Nostri la Benedizione Apostolica.

Dal Vaticano, 5 maggio 1917.

BENEDICTUS PP. XV

---

thronum, confugiatur, et per Mariam quidem ad istum thronum confugiatur. In quem finem ordinamus ut a primo proximi mensis iunii die, in litaniis lauretanis inserta maneat invocatio *Regina Pacis, Ora pro nobis*, quam, decreto S. Congr. super negotiis ecclesiae extraordinariis, 16 nov. 1915, iisdem ab Ordinariis in tempus adiungi permisimus.

Itaque, ad Mariam, quae Mater misericordiae et ex gratia omnipotens est, ex omni terrarum parte, in magnificis templis et in minimis sanctuariis, e palatiis regalibus, e sumptuosis magnorum aedificiis non aliter atque e pauperrimis tuguriis, ubi anima fidelis hospitetur, in cruentatis agris et oceanis, pia, devota invocatio dirigatur eique ferat anxiosum clamorem matrum et coniugum, gemitum innocentium infantium, suspirium omnium cordium bene natorum : moveat teneram benignissimamque Ipsius sollicitudinem ut perturbato mundo pacem concupitam impetret et narret deinde saeculis venturis efficaciam suae intercessionis et magnitudinem beneficii ab Ipsa nobis attributi.

Fiduciam istam corde gerentes, in omnes gentes, quas aequali affectu amplectimur, a Deo electissimas gratias appellamus, tibique, Domne Cardinalis, omnibusque filiis nostris Benedictionem Apostolicam largimur.

Ex aedibus Vaticanis, 5 maii 1917.

DECRETA SUMMATIM RELATA

62. — *SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV*

A. *Conceduntur privilegia clericis conclavistis postremi Conclavis* (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 533).

Privilegia conclavistarum.

Motu proprio 16 oct. 1914, S. Pontifex concedit varia privilegia clericis qui in postremo Conclavi munere conclavistarum functi sunt, puta oratorium privatum, gratuitam confectionem Litterarum apostolicarum etc.

B. *Definiuntur leges quibus regitur Commissio vulgatae versioni Bibliorum emendandae* (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 665).

Commissio Vulgatae emendandae.

Motu proprio 23 nov. 1914, S. Pontifex Commissionem vulgatae versioni Bibliorum emendandae a Pio X institutam Pontificiam nominari decernit : corpus sui iuris erit, cuius praeses a R. P. deligetur, sodales ipsi socii cooptabunt. Praeses erit superior pro tempore sodalium et bona commissionis administrabit.

C. *Confirmatur Bononiense Theologorum Collegium* (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 689).

Collegium Theologorum Bononiense.

Motu proprio 3 dec. 1914, S. Pontifex confirmat Collegium Theologicum Studiumque Generale in Theologica Facultate Bononiensi, qualia Innocentius VI condidit.

D. *Confirmatur Romana S. Thomae Academia* (A. A. S. 15 ian. 1915, 7, 5).

Academia S. Thomae.

Motu proprio 31 dec. 1914, S. Pontifex confirmat Romanam S. Thomae Academiam et nova quaedam de studiis, de doctrinae experimentis etc. iam praescripta rata habet. Statuit praeterea ut in posterum tres S. R. E. Cardinales academiae praesideant, quorum primus semper erit sacri consilii studiis regundis Praefectus *pro tempore*, et ut e reditibus aliquid pecuniae desumatur quod sodalibus et alumnis in praemium distribui possit.

E. *S. Pontifex alloquitur contionatores quadragesimales in Urbe* (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 92).

Contiones quadragesimales.

Die 15 febr. allocutus est S. Pontifex contionatores quadragesimales, ipsisque inculcavit in primis praedicandum esse *verbum Dei*, amandandas autem quaestiones aridas ex philosophia, historia seu rebus politicis ; confutationem errorum modernorum faciendam non esse, nisi quasi per modum corollarii ex doctrina et principiis prius positive et dilucide expositis, quibus persuadeatur populus quantopere teneatur Ecclesiae doctrinam accipere, sacro oratori sistendum non esse, in corrigendo intellectu, sed etiam docendo ipsi incumbendum ad mores christiane perficiendos, ad explicite practicas conclusiones inculcandas ; formam

autem contionis non tantum summa dignitate, sed etiam nitido ordine praeditam esse oportere, quo facilius auditores res capere et memoria retinere possint.

F. *S. Pontifex Const. « Coenobium Sublacense » 21 mart. 1915, abbatiam nullius Sublacensem perfecte sui iuris facit.* (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 197).

Abbatia Sublacencis O. S. B.

Abbatiam Sublacensem maximo semper favore RR. PP. prosecuti sunt, quam Gregorius XI Nullius Dioecesis agnovit (a. 1374 et a. 1376). Postea Cardinali in commendam est data, servata natura Abbatiae regularis. Nec quando temporalem amisit iurisdictionem quidquam de iuribus spiritualibus imminutum est. Iam vero SS. D. N. Benedictus PP. XV, ut suae erga abbatiam benevolentiae argumentum praebeat, suppressa commenda, abbatem in pristinum ius restituere decrevit, qui iam in omnes territorii abbatiae incolas, clericos vel laicos, iurisdictionem quasi-episcopalem exercebit. Ne tamen capitulo saeculari ecclesiae S. Andreae, quae Sublaci est, occasio detur renovandi contentiones de iuribus utriusque capituli, ecclesiae abbatiali titulum et iura cathedralis vel quasi-cathedralis abbatiae, ecclesiae autem saeculari et capitulo S. Andreae iura, honores et privilegia concathedralis vel quasi-concathedralis confirmat. Relationes inter utramque ecclesiam adiectis normis definientur. I. C., s. 1.

G. *Supprimitur institutio Episcoporum suffraganeorum in dioecesibus suburbicariis* (A. A. S. 21 maii. 1915, 7, 229).

Episcopi suffraganei in dioecesibus suburbicariis.

Constitutione apostolica *Ex actis* 1 febr. 1915, S. Pontifex abolet usum adhibendi Episcopo adiutores qui regant dioeceses suburbicarias nomine Cardinalium Episcoporum. I. S. s. 1.

H. *Conceditur indulgentia plenaria opus paenitentiae facientibus* (A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 253).

Opus paenitentiae commendatur pro pace.

In epistola ad Card. Vannutelli, Decanum S. Collegii, directam, S. Pontifex fidelibus qui cum ipso per tres dies strictum ieiunium pro pace obtinenda servabunt, indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem, consuetis condicionibus, concedit.

I. *Laudatur eximia caritas catholicorum foed. Americae civitatum* (A. A. S. 20 apr. 1915, 7, 168).

Laudantur catholici Stat. Foed. Amer.

In Epistola 17 mart. 1915, ad Card. Gibbons, archiep. Baltimorensem, laudat SS. D. caritatem eximiam qua catholici Foed. Stat. Americae sept. miseris Mexicanae regionis incolis opitulati sint, civilibus perturbationibus exagitatis.

J. *Commendatur consecratio singularum familiarum SS. Cordi Iesu* (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 203).

Consecratio familiarum SS. Cordi Iesu.

In Epistola 27 apr. 1915 ad R. D. Matth. Crawley, sac. e. Congr. SS. Cordium, SS. D. laudat eius zelum ad promovendam singularum familiarum consecrationem SS. Cordi Iesu. Cupit autem ut hoc opere praesertim intendat augere veram cognitionem, sincerum amorem D. N. I. X.

K. *Commendantur preces et opera paenitentiae pro pace obtinenda* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 58).

Preces pro pace.

Epistola italice scripta, d. 4 mart. 1916, ad. Card. Pompili, suum in Urbe vicarium, SS. D. commendat ut, praesertim sacro Quadrasegimae tempore, fideles cum privatim tum praesertim inter se associati preces enixe fundant operaque paenitentiae offerant ad impetrandum finem horrendi belli. I. C. s. I.

L. *De Cantoribus choralibus Basilicae Liberianae ordinantur varia* (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 317).

Cantores Basilicae Liberianae.

Constitutione apostolica *Cum iam pridem* 11 iul 1915, varia statuit de cantoribus choralibus Basilicae S. Mariae Maioris in Urbe, ex. gr. ut sacerdotes sint, in cantu gregoriano exercitati et beneficio ecclesiastico donentur. I. S. s. I.

M. *Competentia S. Trib. Signaturae Apostolicae certius definitur et augetur* (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 320).

Competentia Signaturae apostolicae.

Chirographo d. 28 maii 1915, S. Pontifex iuxta exposita a Card. Praefecto Signaturae Apostolicae huius s. Tribunalis competentiam magis definivit et auxit. Ad negotia ipsi subiecta expedienda operam navabunt collegium *a votantibus* et *a Referendariis*, quae S. Pontifex, quatenus opus sit, instituit seu restituit. Erunt illi Praelati loco consultorum, quos induxit Pius X, Const. « Sapienti consilio ».

N. *Feriarum autumnalium SS. Congregationum etc. tempus mutatur* (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 378).

Feriae autumnales SS. Congregationum.

De mandato speciali Romani Pontificis feriae autumnales in SS. Congregationibus, tribunalibus et officiis SS. iam a d. 20 aug. ad d. 10 octobris decurrent. Quo tempore tamen res urgentiores per sufficientem numerum administrorum expedientur. I. C. s. I.

O. *Erigitur S. Congr. « de Seminariis et de studiorum universitatibus* (A. A. S, 30 nov. 1915, 7, 493).

Nova conditur Congregatio.

Motu proprio Seminaria clericorum 4 nov. 1915, Benedictus XV erigit propriam de Seminariis Congregationem, ad quam devolvuntur partes hactenus ad Consistorialem Congregationem de Seminariis spectantes, ita ut huius Congregationis posthac sit « clericorum tum mentes tum animos fingere ». Huius Congregationis muneribus munera Congregationis Studiorum accedant, itaque haec Congregatio « *De Seminariis et de Studiorum Universitatibus* » apelletur. — Cardinalis Praefectus est ex officio inter Cardinales Congregationis Consistorialis; et Secretarius inter Consultores. Vicissim Cardinalis Secretarius Congregationis Consistorialis et Assessor Congregationis Consistorialis ex officio sunt inter Cardinales et Consultores Congregationis novae. — Cardinalis Vicarius Urbis durante munere est inter Cardinales istius Congregationis. — Intactae manent leges pro Seminariis tum Dioecesanis tum regionalibus a decessore latae et a R. P. Benedicto XV approbatae.

P. *In consistorio d. 6 dec. 1915 habetur allocutio de pace et de iuribus* R. P. (A. A. S. 9 dec. 1915, 7, 509).

Haec citanda videntur :

Allocutio consistorialis.

« . . . . . etsi nullum Nos officium praetermisimus quod paci properandae componendisque discidiis esset aliquo pacto profuturum, hoc tamen exitiale bellum terra marique perseverat adhuc ; dum miserrima Armeniorum gens propre ad interitum adducitur. Atque Litterae ipsae, quas ad belligerantes populos eorumque duces, post annum a bello inito, dedimus, etsi reverenter exceptae sunt, non eos tamen qui in optatis erant pepererunt fructus.

Quoniam autem vices in terris Illius gerimus qui est Rex pacificus et Princeps pacis, facere non possumus quin maiore in dies tot filiorum misericordia commoveamur, continenterque ad benignissimum Deum supplices tendamus manus, toto pectore efflagitantes velit iam cruentam dimicationem virtute sua profligare. Cuius mala cum studeamus, quantum in Nobis est, opportunis, ut nostis, allevare remediis, Apostolico officio nunc iterum impellimur suadere rationem, quae una ad huius belli restinguendum incendium possit conducere. Parandae enim illius pacis, qualem universitas gentium tantopere exposcit, quae iusta scilicet ac stabilis sit, non quae alterutri tantum parti prodesse videatur, ea profecto potest via felicem habere exitum quam, in rerum temporumque condicionibus haud dissimilibus alias experiendo probatam, in iis, quas diximus, Litteris commonstravimus. Consiliis videlicet utrimque, vel per se vel per interpretes, collatis, suae cuiusque rationes atque optata, volentibus animis et sincera officii conscientia, aperte diludiceque aliquando manifestentur accurateque expendantur, ita sane, ut quae iustitiae haud congruant, quae modum excedant, ea quidem tollantur e medio, cetera vero, pactis etiam ex aequo, si res ipsa postulet, compensationibus admittantur. Per se patet, quem ad modum in quavis hominum controversia quae ipso eorum iudicio dirimi velit, illud plane requiri, utraque ex parte disceptantium, ut de susceptis propositis vel de praecepta utilitatum spe remittatur aliquid vel concedatur ; eiusmodi vere concessiones, vel cum aliqua iactura coniunctas, alteri libenter alteris impertiant necesse sit, si nolint id coram Deo et hominibus sibi noxae futurum, quod ista tam cruenta proeliandi immanitas, ad hunc diem inaudita, adeo producatur : qua quidem ex productione exsistere causae possint, cur Europa de illo humanitatis honestissimo gradu, quem ope christianae religionis attigerat, decidere incipiat.

Haec quidem de bello, habita populorum ratione qui tam magna calamitate implicantur. Quod si perpendimus, quaenam certamen istud universarum paene Europae gentium rei catholicae et Apostolicae Sedi importarit incommoda, nemo non videt quam gravia ea sint, a dignitate Romani Pontificis quam aliena. Iam alias, Decessorum Nostrorum exemplo, questi sumus, Romanum Pontificem in ea versari condicione ut plena nequeat perfrui libertate qua ad Ecclesiam regendam omnino indiget ; verum, quem fugiat, id multo clarius apparuisse hoc tempore ? Ea certo voluntas gubernatoribus Italiae non defuit, ut amoverent incommoda : at hoc ipsum plane ostendit, Romani Pontificis sortem a civili potestate pendere, eandemque, mutatione hominum atque rerum,

mutari posse atque etiam ingravescere ; quam Pontificis condicionem, incertam prorsus et alieno obnoxiam arbitrio, eam esse quae Apostolicam Sedem deceat, nemo prudens affirmaverit. Ceterum fieri non potuit, quin plures, eaeque graves, permanerent difficultates. Ut alia praetermittamus, illud satis sit animadvertere, ex legatis exteriorum Principum non nullos, sui muneris ac dignitatis tuendae causa, abire compulsos esse : qua re cum Sedis Apostolicae ius proprium et nativum ac necessarium quoddam praesidium deminutum vidimus, tum sublatum eidem ordinarium apprimeque idoneum instrumentum, quo ad pertractanda cum exteris civitatibus negotia uti solet. Quo in genere, maxime dolendum, eo usque res processisse, ut in altera e partibus belligerantibus exoriri potuerit suspicio, Nos, necessitate quadam, in negotiis quae ad gentes inter se decertantes pertinent, sic iam nunc iudicare, sic agere, quasi iis morem gerentes quorum voces aures Nostras unice attingant ! Quid quod Nostrum difficilius evasit cum catholico nomine commercium, ac saepius impediti sumus ne de rebus permultis plene cognosceremus, quas quidem esse Nobis probe cognitas magnopere intererat ? »

Reliqua ad ipsum S. Collegium complendum spectant.

Q. *Renovatur Cruciatae Bulla ad decem annos pro locis Lusitanae dicioni subiectis* (A. A. S 2) dec. 1915, 7, 549), *ad duodecim annos pro locis Hispanicae dicioni subiectis* (l. c. p. 557).

Bulla Cruciatae prorogatur.

Brevi 31 dec. 1914 ad decem annos renovatur bulla cruciatae pro locis Lusitanae dicioni subiectis ; brevi 12 aug. 1915 ad 12 annos renovatur pro locis Hispanae dicioni subiectis.

Qui summaria sumpserunt (ac pauperes hac condicione pro abstinentia et ieiunio dispensantur) fruuntur variis indultis de indulgentiis, de divinis officiis et sepultura, de observatione interdicti, de confessione et votorum commutatione. Indulta ista singulis annis publicanda sunt. Praeterea omnes, etiam regulares utriusque sexus, licet expressa et individua mentione digni et quovis efficaciori privilegio excepti, semel extra mortis periculum et semel in mortis periculo intra annum concessionis, vel bis in utroque casu si duplex sumatur *Summarium*, absolvi possunt a quolibet sibi libere inter approbatos (pro utroque sexu si agitur de monialibus vel mulieribus) electo, ab omni peccato et a censura qualibet a iure vel ab homine quovis modo reservatis sine ullo recursu ad alium Superiorem. Comprehenditur etiam falsa sollicitationis denuntiatio ; sed ante absolutionem debet paenitens hanc *formiter* retractare. Sola excipitur absolutio complicis.

In foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem, potest confessarius dispensando commutare vota, exceptis iure tertii quaesito et votis perfectae perpetuae castitatis et religionis. Exsecutor Apost. litterarum dispensare potest ab irregularitate, impedimento affinitatis et criminis.

De lege abstinentiae et ieiunii : Omni die et quavis refectione condimenta ex quovis adipe, ex butyro, ex margarina et similibus permittuntur ; lacticinia et ova etiam. — Abstinentia servanda tantum est per ferias VI^as^ Quadragesimae, Adventus, IV Temporum, in IV Pervigiliis Pentecostis, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Dni. — Ieiunium fer. IV, VI et sabbatis quadragesimae et quattuor pervigiliis. Pervigilium

Nativitatis anticipatur et remittitur ad sabbatum proxime praecedentium IV Temporum. — Nec vetitum est pisces ac carnes in eadem refectione permiscere diebus ieiunii et dominicis Quadragesimae. — Omnes possunt ex rationabili et iusto motivo a propriis confessariis dispensari a lege abstinentiae et ieiunii. Quod ad legem abstinentiae, excluduntur regulares qui speciali voto esuriales cibos toto anno servare tenentur.

Indulto quod ad legem abstinentiae et ieiunii uti possunt tum intra tum extra Lusitaniam, intra et extra Hispanias, dum absit scandalum.

R. *Quaedam ad SS. Cor Iesu oratio indulgentia ditatur* (A. A. S. 20 dec. 1915, 7, 565).

Indulgentia conceditur.

Litteris apostolicis 4 dec. 1915, R. Pontifex indulgentiam totiens quotiens 100 dierum huic orationi ad SS. Cor Iesu annectit « O sanctissimum Cor Iesu ! o fons omnis boni ! Te adoro, Te amo, et vehementer contritus ob mea peccata, Tibi hoc pauper cor meum offero. Fac illud humile, patiens, purum et omnino tuis votis conforme, Fac, o bone Iesu, ut vivam in Te et pro Te. Tuere me in periculis, consolare me in afflictionibus, concede mihi sanitatem corporis, auxilium in necessitatibus temporalibus, tuam benedictionem in omnibus operibus meis, et gratiam sanctae mortis. »

S. *Laudantur episcopi qui modestiam vestis muliebris, praesertim ad S. Synaxim accedentibus, commendant* (A. A. S. 20 dec. 1915, 7, 567).

De modestia vestis muliebris.

Episcopos Pedemontis, in epistola occasione celebrati annui conventus missa, Benedictus XV laudat de sollerti cura gregis, haec speciatim efferens « In eo quippe (conventu), uti affertis » *nuptialem vestem* » adeo commendatam, Eucharistiam sumentibus voluistis, ut, revocato rigore disciplinae veteris, coercendam in dioecesibus vestris curaveritis eam mulierum vestiendi licentiam, quam si perversi mores probant, modestia non probat, et Ecclesia, quae sancta sancte tractanda vult, adeo improbat, ut vestram in providendo diligentiam, diligentiam esse velit ceterorum omnium pastorum. »

T. *Erigitur provincia eccles. Reginensis et archidioecesis Winnipegensis, in dicione Canadensi* (A. A. S. 3. apr. 1916, 8, 89).

Erectio provinciae eccles. et divisio dioecesis.

Apostolicis sub plumbo litteris 4 dec. 1915, R. P. erexit provinciam ecclesiasticam Reginensem, quae continet dioecesim Reginensem iam ad dignitatem metropolitanam evectam et dioecesim Principis Alberti. Partem occidentalem archidioecesis S. Bonifatii archidioecesim Winnipegensem constituit, S. Sedi immediate subiectam.

U. *Erigitur nova dioecesis « Portus Nationalis » in Brasilia* (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 92).

Erectio dioecesis.

Apostolicis sub plumbo litteris 20 dec. 1915, R. P. septemtrionalem partem dioecesis Goyasensis in dioecesim « Portus Nationalis » erexit, quae fit suffraganea Metropolitanae ecclesiae Mariannensis.

V. *Annectuntur indulgentiae orationi pro reconciliatione Orientis christiani* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 137).

Indulgentiae concessio.

Brevi *Cum catholicae*, 15 apr. 1916, S. P. concedit indulgentiam 300 d. et plenariam semel in mense recitantibus orationem pro reconciliatione populorum Orientis cum Ecclesia romana.

W. *Oratio in honorem S. Petri Apost. indulgentiis ditatur* (A. A. S. 5 maii 1916, 9 139).

Concessio indulgentiae.

Brevi *Cum divinis*, 27 apr. 1916, R. P. concedit indulgentiam 300 d. totiens quotiens et plenariam semel in mense, recitantibus orationem quandam in honorem S. Petri Apostoli.

X. *Erigitur dioecesis Penedensis in Brasilia* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 169).

Erectio dioeceseos.

Bulla 3 apr. 1916, R. P. erexit novam dioecesim Penedensem ex paroeciis avulsis a dioecesi de Alagöas, eamque fecit suffraganeam metropolitanae ecclesiae Olindensis.

Y. *Commendatur S. Communio puerorum ad mentem S. Pontificis* (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 217).

Commendata S. Communio puerorum.

In audientia d. 26 iun. 1916, R. Pontifex enixe omnibus Ordinariis commendandum decrevit, ut pueri utriusque sexus quam frequentissimi et sollemniore, quo fieri potest, ritu ad S. Synaxim accedant, die 30 iulii, anniversario luctuosi belli.

Z. *Erigitur provincia ecclesiastica Cardiffensis* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 257).

Erectio provinciae eccles.

Bulla 7 febr. 1916, R. P. erexit novam provinciam eccl. Cardiffensem, ex dioecesi Menevensi et Neoportensi, cuius sedes in urbem Cardiff transfertur, fitque sedes Cardiffensis Metropolitana totius Walliae.

Aa. *Confertur titulus Basilicae templo S. Mariae « di Pozzano »* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 259).

Titulus Basilicae.

Bulla 15 iul. 1916, R. P. templo S. Mariae « di Pozzano », apud Stabiam, in qua B. M. Virgo fideles multis gratiis cumulavit, titulum Basilicae eiusque privilegia contulit.

Bb. *Decernitur quae rationes intercedere debeant Instituto biblico, Pontificio consilio vulgatae restituendae, supremo pontif. consilio rei biblicae provehendae* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 305).

Institutum biblicum et Consilium rei biblicae provehendae.

Brevi d. 15 aug. 1916, Bened. XV novas leges fecit de studiis in Instituto biblico. Cui confert ius alumnis, post absolutum studiorum curriculum et periculo scientiae facto, « academicum in S. Scriptura prolytatus gradum, nomine tamen Pontificii Consilii Biblici, decernendi », dum soli supremo Consilio pontificio rei biblicae provehendae ius est lauream in S. Script. impertiendi.

Cc. *Reservatur una praebenda canonicalis clero veteris Florentini status* (A. A. S. 5 oct. 1916, 8, 353).

Reservatio praebendae.

Brevi 10 aug. 1916, R. P. unam e praebendis canonicalibus Eccles. SS. Celsi et Iuliani ad templum S. Ioan. Florentinorum in Urbe reservavit clero veteris Florentini Status, ut agnosceret benevolentiam qua Archisodalitas Pietatis ad S. Ioannis Florentinorum Archipresbyterum et Canonicos SS. Celsi et Iuliani post translatam paroeciam suscepit.

Dd. *Erigitur novus vicariatus apostolicus Ho-Nan orientalis* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 335).

Erectio vicariatus apost.

Brevi 21 sept. 1916, S. P. civiles praefecturas Kuentfu, Cencioufu et Kaifoughu in proprium Vicariatum « de Ho-nan orientali » erigit et committit curis alumnorum seminarii ab exteris missionibus Mediolani. A praefectura Kaifonghu excipit tamen tres subpraefecturas Sucion, Lingtchenghsieng et Mihsieng.

Ee. *Sanctuaria duo subiciuntur immediate iurisdictioni ministri generalis O. F. Min.* (A. A. S. 3 nov 1916, 8, 337).

Sanctuaria subiciuntur Ministro Gen. O. S. F. Min.

Motu proprio *Sanctae Mariae ad Rupes*, 19 sept. 1 16, S. P. Sanctuarium S. Mariae ad Rupes, sublata iurisdictione ministri provincialis Saxoniae, *immediate* ministro generali Fratrum Minorum subiecit « praesertim ob religiosam disciplinam eo sanctius ibi cum pietatis popularis incremento servandam » ; atque aliis gravibusque de causis etiam domum minoriticam quae Aquilae est et coniunctam ecclesiam S. Bernardini Senensis, immediate dicto ministro subicit.

Ff. *Commendatur enixe coniunctio inter fideles regionis Canadensis* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 339).

Pacis consilia.

Epistola 8 sept. 1916, ad Card. Archiep. Quebecensem, ceterosque archiepiscopos regionis Canadensis, S. P. discidia narrat propter originem et linguam variam catholicorum in Canadensi regione, et, *pulcherrima adhortatione*, consilia pacis in iusta ordinatione praeparat.

Gg. *Occasione anniversarii Ordo S. Dominici laudatur et favores obtinet* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 395).

Laudatur Ordo S. Dominici.

Ep 29 oct. 1916, appropinquantibus sollemnibus ob Ordinem S Dominici ante annos 700 legitime confirmatum, magnificis laudibus Ordinem effert, et indulgentiam plenariam in celebratione 22 decembris visitantibus publicum oratorium dominicanum concedit, cum privilegio missae de S. Dominico in triduana supplicatione.

Adhuc memorat rosarium mariale tamquam ab Ordine Ecclesiae datum.

Hh. *R. P. in Consistorio Cardinales allocutur* (A. A. S. 9 dec. 1916, 8, 465).

Allocutio consistorialis.

Allocutio consistorialis 4 dec. 1916 in qua SS. D. nuntiat instantem promulgationem novi Codicis cuius utilitatem summe effert ; damnat plures excessus praesentis belli. « Cernere enim in tanta populorum conflictione licet, vel res sacras, sacrorumque administros, etiam dignitate praestantes, quamvis divino ac gentium iure sanctissimos, indigne violari ; vel quietos cives complures procul a domo, matribus coniugibus filiisque complorantibus, abripi ; vel urbes non munitas ac multitudines indefensas aeriis potissimum incursionibus vexari ; passim terra marique talia patrari facinora quae horrore animum et aegritudine perfundant » ; demum novos creat Cardinales, et duos in pectore reservat.

Simul petita est introductio causae Ven. Servi Dei Ioannis Bosco.

Forte quis miretur in titulo petitionis irrepsisse verbum « venerabilis » quod de servo Dei usurpari non posse videtur, iuxta decreta SS. Rituum.

Pro hac vice ad presbyteralem Titulum SS. evehit ecclesiam SS. Cosmae et Damiani ; et ecclesiam S. Mariae in Aquiro.

Ii. *Beneficium abbatiale restituitur Ordini militari Constantiniano* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 6).

Concessio beneficii.

Litteris in forma *brevis* 13 dec. 1916, sacro militari Ordini Constantiniano beneficium abbatiale cum cura animarum S. Antonii abbatis, Neapoli, restituit. Praecipit ut Magnus Prior Ordinario Neapolitano subiectus sit sicut paroeciae in ecclesiis regularium Ordinariis subiciuntur; et ut ipsi Equites ordinis Constantiniani, praesertim si ecclesiastici, proprii Ordinarii iurisdictioni iugiter obnoxii sint, exceptis rebus quae stricte ad memoratum Ordinem pertineant.

Jj. *Confertur titulus basilicae templo Granatensi Ord. S. Ioan. de Deo* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 7).

Titulus basilicae.

Brevi d. 20 dec. 1916, templum Granatense Ord. S. Ioa. de Deo simplici Basilicae titulo cohonestatur.

Kk. *Commendatur Comitatus pro pueris belgis sublevandis; et eleemosyna ipsi datur* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 10).

Opus pro pueris belgis.

Epistola, italice directa ad Card. Gibbons, archiep. Baltimorens. 28 oct. 1916, verbis amore et compassione plenis, S. P. miseram multorum puerorum Belgii condicionem describit, eique operam commendat comitatus ad adiuvandos istos pueros instituti, cui ipse 10 000 libellarum largitur.

Ll. *Nominantur canonici quidem cappellani secreti honoris* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 49).

Cappellani secreti honoris.

Brevi d. 16 oct. 1914, SS. D. canonicos pro tempore SS. Celsi et Iuliani de Urbe « cappellanos secretos honoris » in perpetuum renuntiat.

Mm. *Ecclesia titulo simplicis basilicae decoratur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 50).

Titulus basilicae.

Brevi d. 10 dec. 1914, SS. D. ecclesiam S. Michaelis Archangeli civitatis « Piano di Sorrento » titulo simplicis basilicae decoravit.

Nn. *Catanensis Consociatio « delle Dame Sacramentine » in Archisodalitatem erigitur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 51).

Erectio rchisodalitatis.

Brevi d. 8 ian. 1915, SS. D. Catanensem consociationem « delle Dame Sacramentine » in archisodalitatem erigit cum facultate aggregandi in omnibus dioecesibus Siciliae insulae.

Oo. *Conceditur indulgentia plenaria in festo BB. Agathangeli et Cassiani* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 53).

Concessio ndulgentiae.

Brevi d. 11 aug. 1915, SS. D. visitantibus quamlibet Ordinis Minorum S. Fr. Capulatorum ecclesiam a medietate diei praecedentis festum Bb. Agathangeli et Cassiani (7 aug.) ad usque solis occasum ipsius diei, indulgentiam plenariam, consuetis condicionibus, indulget.

Pp. *Conceduntur indulgentiae « Foederi missae cotidianae »* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 53).

Concessio indulgentiarum.

Litteris *in forma brevis* 16 sept. 1915, SS. D. piam sodalitatem « Foedus missae cotidianae » instante archiepiscopo Dublinensi et Hiberniae Pri-

mate, qui consociationem istam in Templo Dublinensi S. I. canonice iam erexerat, indulgentias plenarias et partiales huiusmodi sodaliciis iam erectis vel erigendis in Hibernia, concessit.

Qq. *Conceditur Seminario Bonaerensi facultas conferendi gradus academicos* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 55).

Facultas conferendi gradus academicos.

Bonaerensi Seminario, Rei publicae Argentinae, servatis Gregorianae Universitatis legibus, et dummodo « Decuriales Doctores utriusque scientiae supradictae (philosophiae et theologiae) germanam D. Thomae doctrinam adamussim sequantur, strenue vindicent atque illustrent », facultatem conferendi gradus academicos philos. et theol. concedit. Post absolutum quadriennum relatio ab Archiepiscopo Bonaerensi ad S. P. de studiis mittenda est.

Rr. *Confertur titulus basilicae minoris templo B. M. V, « del Pino »* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 57).

Titulus basilicae.

Litteris *in forma brevis*, 13 ian. 1916, SS. D. ad basilicae minoris dignitatem evexit Templum B. M. V. vulgo « del Pino », in « Las Palmas » Canariensis dioeceseos.

Ss. *Erigitur in archiconfraternitatem sodalitas « Ligue de l'Évangile »* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 59).

Erectio archiconfraternitatis.

Litteris *in forma brevis*, 16 febr. 1916, SS. D. confraternitatem « Ligue de l'Évangile » in civitate Montmagny, dioeceseos Versaliensis, ad diffundendam S. Evangelii cognitionem, iam a Pio X indulgentiis ditatam, in archiconfraternitatem cum facultate aggregandi ubique terrarum confraternitates, erigit.

Tt. *Conceduntur indulgentiae recitantibus preces pro unitate Ecclesiae* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 61).

Concessio indulgentiarum.

Litteris *in forma brevis*, 25 febr. 1916, SS. D. omnibus qui a die 18 ian. ad 25 ian. preces infrascriptas semel in die recitaverint ac, vel ipso die 18 vel 25, confessi ac S. Communione refecti, quamvis ecclesiam vel quodlibet oratorium publicum visitaverint et ad intentionem S. Pontificis oraverint, plenariam indulgentiam concedit. Iis qui quolibet ex octo dictis diebus preces istas recitaverint, indulg. 200 dierum largitur. Indulgentiae defunctis applicari possunt. Sodalitas Neo-Eboracensis dicta « Expiationis » has preces pro unitate Ecclesiae proposuit.

« *Ant.* (Ioann. 17, 21) : Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ; ut credat mundus quia tu me misisti.

« A. Ego dico tibi quia tu es Petrus.

« R. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

« Oratio. Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea sed fidem Ecclesiae tuae : eandem secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris : qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen. »

Uu. *Duo templa Rhedonensia titulo basilicae minoris decorantur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 63-64).

Tituli basilicae.

Duabus litteris, *in forma brevis*, d. 27 apr. 1915, curiale templum Rhedonense, sub titulo SSmi Salvatoris ac B. M. V. de miraculis et virtutibus, et parochialis ecclesia S. Albini ac B. M. V. de bonis nuntiis in basilicas minores eriguntur.

Vv. *Conceduntur indulgentiae sodalitati « Catholic Truth Society »* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 66).

Concessio indulgentiarum.

Litteris *in forma brevis*, 2 maii 1916, SS. D. piae Angliae sodalitati « Catholic Truth Society » indulgentias plenarias et partiales largitur ; sacerdotibus praeterea allegendis facultatem concedit applicandi rebus aptis apostolicas indulgentias, et benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum quae a via crucis dicuntur, ac privilegium altaris privilegiati bis in hebdomada. Missae praeterea, pro defunctis sodalibus legitime celebratae, sunt privilegiatae.

Ww. *Sanctuarium B. M. V. Montis Berici indulgentiis et privilegiis ditatur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 69).

Concessio indulgentiarum.

Litteris *in forma brevis*, 13 maii 1916, SS. D. Christifidelibus loci Perth, dioeceseos Dunkeldensis, ter salutationem angelicam pro Scotiae conversione recitantibus, indulgentias largitur.

Xx. *Conceduntur indulgentiae recitantibus precem in honorem B. M. V. « di Montenero »* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 73).

Concessio indulgentiarum.

Litteris *in forma brevis*, 2 iul. 1916, SS. D. devote recitantibus iaculatoriam precem « Santissima Vergine di Montenero, pregate per noi », indulgentiam 300 dierum concedit.

Yy. *Opus ab apostolatu caritatis in domo Sororum pauperum Senensi primarium declaratur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 74).

Opus « apostolatus caritatis ».

Litteris *in forma brevis* 23 iul. 1916, SS. D. opus ab apostolatu caritatis in domo principe Sororum Pauperum, civitatis Senensis, erectum, primarium declarat ; praepositis autem istius operis facultatem facit aggregandi alias eiusdem nominis et Instituti societates in piis Sororum Pauperum domibus erectas vel erigendas, iisque indulgentias et spirituales gratias communicandi.

Zz. *Sodalitas B. M. V. in sanctuario Einsidlensi in archiconfraternitatem erigitur* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 75).

Erectio archisodalitatis.

Litteris *in forma brevis*, 24 aug. 1916, SS. D. confraternitatem in sanctuario abbatiae Einsidlensis, nullius dioecesis, a B. M. V. Regina Angelorum nuncupatam, in archisodalitatem cum facultate aggregandi confraternitates eiusdem nominis et instituti in helvetica dicione.

Aaa. *Praefecturae Apost. Iukonensis territorium ampliatur et fit Vicariatus Apost.* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 97).

Erectio Vicariatus Apost.

Litteris apostolicis *in forma brevis*, 20 nov. 1916, SS. D. motu proprio annuens oblato postulato in provincia ecclesiastica Vancouveriensi aposto-

licam praefecturam Luconensem, addito novo territorio ab archidioecesi Vancouveriensi in Canada distrahendum cum proximis Oceani Pacifici insulis « Queen Charlotte Islands » in Vicariatum erigit, cui titulus sit Lukonensis et Principis Ruperti, committendum Vicario episcopali caractere insignito.

Bbb. *Templum SS. Eucharistiae Sacramento in civitate Bonaerensi dicatum titulo Basilicae minoris decoratur* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 98).

Titulus basilicae.

Litteris apostolicis *in forma brevis* 25 nov. 1916, SS. D. templum recens in civitate Bonaerensi SS. Sacram. consecratum et dicatum in basilicam minorem erigit, cum praerogativis basilicarum minorum Urbis.

Ccc. *Erigitur Vicariatus Apost. Alaskensis* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 99).

Erectio Vicariatus Apost.

Litteris apostolicis *in forma brevis* 22 dec. 1916, votis archiepiscopi et Episcoporum prov. eccles. Oregonensis annuens, SS. D. motu proprio et ex certa scientia praefecturam apostolicam Alaskensem in Vicariatum apostolicum cui praesit Vicarius episcopali caractere insignitus, erigit.

Ddd. *Conceditur indulg. plenaria totiens quotiens visitantibus templum quoddam Bononiense* (A. A. S. 1 mart 1917, 9, 100).

Concessio iudulgentiae.

Litteris apostolicis 25 febr. 1917 (non additur sub anulo piscatoris, quamvis de reliquo formam brevis praeferat. Puto ergo verba haec excidisse) SS. D. indulgentiam plenariam, consuetis condicionibus *totiens quotiens* lucrandam concedit visitantibus, die 21 martii a meridie diei praecedentis, templum Bononiense S. Benedicto dicatum.

Eee. *Commendatur valde Societas « Holy Name » in Stat.-foed. Americae* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 102).

Societas « Holy Name ».

Epistola 15 ian. 1917, ad Archiep. et Episcopos Foederatorum Statuum Americanorum Septemtrionalium societatem « Holy Name » quae eo in primis « spectat ut verenda Dei maiestas sanctissime colatur ab omnibus ac simul observetur quaevis hominum potestas, utpote quae a divina proficiscatur; sed, quod est consequens, ne huiusmodi reverentia in vanum quiddam abeat, vult etiam ut divinis humanisque obtemperetur legibus, ex christiana officii conscientia, quae vitam omnem gubernet ». Simul haec mala vel pericula indicat in Statis Foederatis Americae : « Potestatem quae tanta patet faciendi divortii, unde fundamentum familiae convellitur ; immodicam libertatis copiam, cui nulla fere sancta est, ne paterna quidem auctoritas ; oblatam nostis, in variarum sinu consociationum, consuetudinem cum acatholicis, qua multis modis fides iuventutis in discrimen adducitur : communem ipsam pecuniae affluentiam, quae multiplices peccandi illecebras gignere consuevit ».

Fff. *Clericorum Collegium Capranicense Basilicae Liberianae addicitur* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 209).

Collegium Basilicae addicitur.

Motu Proprio Nobilissimam, 8 april. 1917, S. Pontifex Collegium Capranicense Basilicae Liberianae his legibus addictum vult :

a/ Ut eius alumni choro statis diebus intersint et absentes suppleant ;

b/ Ut tertia collegii pars per vices sollemni sacro adsit singulis dominicis et festis de praecepto, excepto festo S. Agnetis collegii patronae, si incidat in dominicam, et tempore feriarum aestivarum et antumnalium ;

c/ Ut, diebus a schola vacuis, plures tertia parte adsint ad missam et ad vesperas, cum cardinalis archipresbyter sollemni ritu sacris operabitur, in dedicatione Basilicae, in Assumptione B. M. V. cum haec inter ferias occurrant ; ad functiones hebdomadae sacrae, ceterisque festis sollemnioribus de quibus Cardi Archipresbytero cum Cardinali collegii patrono convenerit ;

d/ Ut alumnis conclave idoneum apud Basilicae sacristiam tribuatur, ornatus choralis sumendi et deponendi causa ;

e/ Ut sacellum collegii maximum eodem iure sit quo *filiales* aedes Basilicae, in omnibus vero collegii sacellis missae quae in Basilica celebrandae sunt celebrari possint.

Praeterea novum canonicatum constituit qui collegii moderatori pro tempore obtinget. Huius canonicatus non alii fructus erunt praeter reditus pecuniae a R. P. constituendae, ita ut ne quidem distributiones inter praesentes canonicus ille participaret ; quod autem in poenam absentiae amittet, in sacristiae Liberianae utilitatem cedere debet.

Concessio indulgentiarum.

Ggg. *Primaria SS^mae Crucis Associatio in Sessoriana Basilica erecta indulgentiis ditatur* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 212).

Litteris in forma *brevis* 24 mart. 1917, S. P. primariam SS^ae Crucis associationem in basilica Sessoriana (S. Crucis in Ierusalem ex Urbe) postulante Abbate, variis indulgentiis ditat.

Beatificatio.

Hhh. *Beatorum caelitum honores Ven. S. D. Ios. Ben. Cottolengo decernuntur* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 214).

Litteris in forma *brevis* 8 april. 1917, in quibus laudes V. Servi Dei texit qui, in Taurinensi dicione alter Vincentius a Paulo fuit, Iosepho Benedicto Cottolengo beatorum caelitum honores decernit.

Iii. *Decernuntur honores beatorum caelitum Ven. S. D. Annae a S. Bartholomaeo* (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 257).

Beatificatio.

Littteris *in forma brevis* S. P. 10 apr. 1917, postquam in laudes disserunt V. S. D. Annae a S. Bartholomaeo, carmelitae excalceatae quae, quamvis litterarum ignara, S. Theresiae socia et adiutrix fuit et consiliatrix principum, et, virtutibus religionis et mortificatione insignis, sancte obiit Antverpiae 7 iun. 1626. Ei beatorum honores decrevit, cum cultu publico in dioecesi Mechliniensi et Ordine Carmelitano excalceato.

I. Cr., s. I.

62bis. — S. CONGR. CONCILII

RESCRIPTUM 12 FEBR. 1913

Gratia quinquennalis de tempore paschali neo communicantium et parentum in dioec. Mechlin. [1]

Beatissime Pater,

Orator,

Desideratus Iosephus Cardinalis Mercier, Archiepiscopus Mechliniensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit quod sequitur.

Propositis consuetudine pristina

Ante promulgatum decretum S. Congregationis de sacramentis « Quam singulari Christus amore » die 8 augusti 1910 datum, consuetudo in hac dioecesi vigebat, vi cuius pueri ad primam communionem admittebantur quando undecim circiter annos nati erant. Haec sollemnitas semel singulis annis celebrabatur, et quidem plerisque in paroeciis dominica Passionis, magnis autem in civitatibus dominica aliqua post festum Paschatis.

et indultis iam concessis,

Porro, ut illi pueri neo-communicantes praecepto paschali satisfacere valerent, indultum a S. Congregatione Concilii pluries ad quinquennium concessum ac renovatum fuit, ultima vice die 4 februarii 1904, vi cuius tempus praecepti paschalis in hac dioecesi ipsis prorogabatur a dominica Passionis usque ad diem 30am mensis iunii. Insuper, ut parentes et propinqui inducerentur ad S. Communionem recipiendam simul cum pueris neo-communicantibus, eadem S. Congregatio, supradicto Archiepiscopo postulante, indulto diei 17 martii 1907, quod valeret usque ad finem indulti anni 1904, benigne concessit ut parentes et propinqui cum pueris ad S. Synaxim accedentes *in dominica Passionis* praecepto paschali satisfacere possent.

Propter hodiernam praxim communionis sollemnis,

Hodiedum vero, inde a promulgato decreto « Quam singulari », res ita sese habent. Pueri ad primam communionem admittuntur cum ad annos discretionis pervenerunt, et deinde non tantum pluries per annum turmatim ad S. Synaxim accedunt, sed etiam adducuntur ut frequenter immo cotidie S. Eucharistiam recipiant. Praeterea, praescribentibus Belgii Episcopis, communio sollemnis pro pueris qui, undecim circiter annos nati, per biennium assidue lectiones catechisticas frequentarunt, in usu permansit eodem modo atque eadem die ac prius.

petit

Quae cum ita sint, supradictus Orator Sanctitati Vestrae humillime supplicat quatenus benigne indulgere dignetur :

Pueris

1) ut pro omnibus pueris a prima communione usque ad communionem sollemnem inclusive, tempus ad praeceptum paschale implendum in hac dioecesi incipiat a dominica Passionis et extendatur usque ad dominicam quartam post Pascha.

et

Parentibus extensionem temporis paschalis.

2) ut parentes et propinqui usque ad tertium gradum, si cum illis pueris ad S. Synaxim accedant, praecepto paschali satisfacere valeant in dominica Passionis.

Quam gratiam, etc.

---

[1] Ex collect. epistol. pastoralium.

Dies (12 febr. 1913).

Die 12 februarii 1913, S. Congregatio Concilii, auctoritate SS. D. N. Pii Pp. X, attentis expositis ab Emo Archiepiscopo Mechliniensi, benigne tribuit eidem facultates iuxta petita ad quinquennium.

(S.) C. Card. Gennari, *Praef.*
O. Giorgi, Secr.

---

63. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSUM 16 DEC. 1914

Circa missam pro populo (A. A. S. 15 ian. 1915, 7, 26).

De missa pro populo.

Ordinarius Papiensis haec dubia de Missa pro populo applicanda, ad sacram Congregationem Concilii pro opportuna solutione detulit, nimirum :

I. In festis suppressis ;

I. Utrum, post immutationes definitive nuper in festorum quorundam celebratione inductas, obligatio pro parochis adhuc maneat applicandi missam pro populo sequentibus diebus : die 19 martii in festo S. Iosephi, feria IV ante dominicam tertiam post Pascha in festo Patrocinii eiusdem S. Iosephi, feria quinta post dominicam primam post Pentecosten in festo SSmi Corporis Christi, et die 24 iunii in festo S. Ioannis Baptistae ?

II. In festo translato ;

II. Utrum, cum in dioececi Papiensi festum S. Bartholomaei Ap., ob perpetuum impedimentum ex festo Dedicationis ecclesiae cathedralis die 24 augusti occurrente, perpetuo, tamquam in sedem propriam, in posteram diem 25 augusti fuerit translatum, missa pro populo hac ipsa die applicari debeat, an potius die 24 augusti ?

III. Quando ad mentem Episcopi celebratur.

III. Utrum, attento quod in Papiensi dioecesi, diebus festis suppressis, missa pro populo celebranda, ex apostolico indulto, ad mentem episcopi applicatur, tolerari possit quod parochi, non ipsa die qua tenerentur, neque per se, sed per alium sacerdotem, missam ut praefertur applicandam celebrent ?

Et sacra eadem Congregatio, die 16 decembris 1914, ad proposita dubia rescripsit :

Responsa.

Ad. I. Affirmative, excepta feria IV ante dominicam tertiam post Pascha, qua festum Patrocinii S. Iosephi celebratur.

Ad II. Missam pro populo, in casu, celebrandam esse die 25 augusti.

Ad. III. Affirmative.

O. Giorgi, *Secretarius.*

Annotationes

Ad I. Motu proprio « *Supremi disciplinae* », 2 iul. 1911 (Period. VI, p. 80), novus propositus est catalogus festorum de praecepto. Nihil inde deminutum de obligatione celebrandi pro grege declaraverat rescriptum S. C. *Concilii*, 8 aug. 1911 (l. c. p. 84). Quo responso iam solutum erat dubium de festo S. Ioseph et SSmi Corporis Christi. Alii duo dies festi difficultatem forte movere poterant. Festum etenim Patrocinii S. Ioseph, olim semper tertia dominica post Pascha cele-

bratum, decreto S. C. *Rituum*, 28 oct. 1913, in feriam IV ante dominicam tertiam post Pascha erat translatum et in novo Breviario inter festa *feriata* recensetur : haec vero fere cum antiquis festis de praecepto coincidunt. Cum tamen *qua talis* numquam fuit festum de praecepto, mirum fuerat ex hac translatione, cuius finis erat non impediendi officium dominicae, ortam esse novam obligationem celebrandi pro grege. Et negative respondit S. Congregatio.

Alius est casus festi S. Ioannis Baptistae. Dum enim antea d. 24 iunii celebrabatur, motu proprio, de quo supra, translatus erat totus in dominicam quae festum SS. Apost. Petri et Pauli antecedit « tamquam in sedem propriam ». Cum non supprimeretur tantum « praeceptum » festi, sed ipsum festum d. 24 iunii a calendario expungeretur, ad ipsum non stricte pertinebat rescriptum S. C. *Concilii*, (cf. supra) de festis suppressis. Iam vero, vi decreti S. C. *Rituum* 28 oct. 1913, iterum die 24 iunii est celebrandum. Forte quis dubitare potuit num obligatio celebrandi pro grege, priori translatione forte sublata, nova translatione restitueretur. Mansisse vel saltem manere obligationem rescribit S. C. Concilii.

Ad II. Si contigerit festum, in quo celebrandum est pro grege, transferri, missa applicari debet ipso die festi, nisi una cum sollemnitate officium transferatur. Qui casus occurrit in perpetua translatione festi duplicis secundae classis. Inde solutio secundi dubii.

Ad III. Obligatio celebrandi *per se* urgetur, quia S. Sacrificium, praeter efficaciam ex opere operato, fructus maiores habet ex opere digne operantis. Supponitur autem maiori caritate celebraturum pastorem pro grege suo quam virum qui curam non habeat harum animarum. *Dies* autem assignatus servari debet, quia fideles, cum ob festum permanens tum ob applicationem sibi factam, ecclesiam illo die magis celebrent. Quae causae cum, secunda excepta, in missa ad mentem Episcopi celebrata deficiant, haud est cur miremur concessionem a S. Congregatione factam celebrandi alia die et per alium sacerdotem. I. Cr., s. I.

S. CONGR. CONCILII

RESPONSA 15 OCT. 1915

De trium missarum celebratione in die sollemnis commemorationis omnium fidelium defunctorum

Vide supra, n. **51**ter, p. 108.

64. — S. CONGR. CONCILII

DECRETUM 14 NOV 1916

De provisione officiorum et beneficiorum durante bello

(A. A. S. 1 dec. 1916, 8, 445).

Cum multi praesbyteri militari servitio impediantur ne beneficia iuxta canones consequi possint,

licebit Episcopis collationem ultra sex menses post vacationem differre,

et bono animarum per vicarios seu oeconomos providere.

Cum vi praesentis belli quamplures presbyteri militari servitio mancipentur, ac proinde impediantur quominus adimpleant condiciones pro assequendis officiis et beneficiis ecclesiasticis requisitas, opportunum visum est declarare et, quatenus opus sit, decernere praescriptionem SS. Canonum, sapientissimam illam quidem, de non protrahenda provisione officiorum et beneficiorum ultra sex menses a die habitae notitiae vacationis, huiusmodi perdurante impedimento, non urgere. Itaque haec S. Congregatio Concilii, auctoritate SS^{mi} Domini Nostri Benedicti Pp. XV, declarat, statuit ac decernit, tempore belli, integrum esse Ordinariis locorum collationem officiorum et beneficiorum vacantium differre ultra sex menses, quotiens et quousque peculiaria rerum et personarum adiuncta, prudenti eorum iudicio, id suadeant : speciatim vero pro iis officiis et beneficiis quorum provisio per concursum, sive specialem, ad normam Const. *Cum illud*, Benedicti Pp. XIV, sive generalem, fieri debet aut solet, eadem S. Congregatio, tenore praesentium litterarum, decernit collationem tituli protrahendam esse ubicumque et donec sacerdotes propriae cuiusque dioecesis ad militare servitium, belli causa, adigantur ; interim autem providendum esse, praesertim curae animarum in paroeciis vacantibus, per idoneos vicarios seu oeconomos, ad normam S. Concilii Tridentini, Sess. 24, cap. 18 de Ref : contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (14 nov. 1916).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Concilii, die 14 novembris 1916.

F. Card. CASSETTA, *Praefectus*
O. Giorgi, Secretarius.

---

65. — S. C. CONCILII

DECRETUM 29 IAN. 1917, IUSSU SS. EDITUM

De lege abstinentiae in proxima quadragesima

(A. A. S. 1 feb. 1917, 9, 84).

Ecclesia leges suas ad animarum bonum moderatur.

Ne bis sequentibus diebus a carnibus abstinere debeant,

Pia Mater Ecclesia semper sollicita fuit ecclesiasticas leges pro peculiaribus rerum ac temporum adiunctis moderari easque etiam relaxare quotiens id animarum bonum requirere videbatur. Cum itaque aliquot sacrorum antistites nuper apostolicae Sedi rettulerint, in regionibus praesenti bello afflictis nimis durum fore in mox adveniente Quadragesimali tempore legem abstinentiae, praeterquam feria VI cuiusque hebdomadae, etiam insequenti die, nempe sabbato, ut antea servare, SS. D. N. Benedictus PP. XV, omnes earundem nationum fideles speciali

benevolentia prosequens, necessitatibus quibus ipsi in praesens premuntur, quantum in se est, occurrere statuit atque decrevit. Quapropter idem SS. Dominus, de Emorum Patrum huius S. Congregationis Concilii consulto deque apostolicae potestatis plenitudine, indulgere dignatus est ut in tota proxima Quadragesima, firma manente lege abstinentiae ut antea feria VI cuiusque hebdomadae, nec non feria IV cinerum et feria IV quattuor temporum, universis de quibus supra Christifidelibus eandem abstinentiae legem loco sabbati servare liceat alia cuiusque hebdomadae die. Iisdem praeterea fidelibus Sanctitas Sua concedit ut, durante hoc quadragesimali tempore, carnes ac pisces in eadem refectione permiscere licite possint ac valeant. Quo duplici indulto SS. Dominus uti posse benigne annuit, quod ad abstinentiam ex generali praescripto servandam et iuxta prudens proprii Praelati arbitrium, omnes pariter utriusque sexus regulares ac religiosos sodales in memoratis regionibus commorantes, qui tamen peculiari ieiunii aut abstinentiae voto non sint astricti. De omnibus denique ut supra statutis hoc edi iussit decretum ; contrariis non obstantibus quibusvis.

abstinentiam sabbati per Quadragesimam in aliam diem transferre praeterea simul pisces ac carnes edere licebit.

Religiosi omnes privilegio gaudebunt, nisi agatur de suis propriis legibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Concilii, die 29 mensis ianuarii, anno 1917.

Dies (29 ian. 1917).

F. Card. CASSETTA, episc. Tusculanus, *Praefectus.*
Ioseph Mori, Secretarius.

ANNOTATIONES

Iam multis in regionibus, ante bellum, episcopi, vi facultatum specialium, tempore Quadragesimae ad tres dies in hebdomada, sc. fer. IV, VI et sabbato, immo ad duas scil. fer. VI et sabbato abstinentias restringebant. Quae ceterum forma legis mox fiet novo iure communis (cf. c. 1252). Hoc decreto non minuitur regionibus bello afflictis haec iam parva mensura obligationis, sed ita mitigatur ut singulis liceat praeter fer. VI aliam diem eligere qua a carnibus abstineant. Praeterquam quod enim ita sunt constituti multi ut non sine vero incommodo carnibus abstinere possint, in regionibus bello vastatis non erat omnibus facilis delectus alimentorum, cum certis diebus alia aliis locis omnino deficerent.

2. Prohibitio miscendi diebus ieiunii carnes cum piscibus sapienter quoque concessione tollitur ob eam quam mox indicavimus rationem. Quae prohibitio quoque iure novo omnino tollitur (cf. c. 1251).

3. Notum est dispensationes a iure communi religiosis concedi a *S. C. de Religiosis*. Ideoque mentio specialis fit extensionis huius decreti ad omnes utriusque sexus religiosos. Simul in memoriam revocatur dispensationibus quae circa legem *communem* conceduntur, nihil de obligationibus detrahi quae ex regulis et votis singularum religionum oriuntur. I. Cr., s. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

66. – *CONGR. CONCILII*

A. *Deciditur casus refectionis damnorum* (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 702).

Refectio damnorum.

Die 14 mart. 1914, S. Congr. Concilii decidit Canonico X. dioecesis X. cui commissa erat arca Capituli et arca Seminarii, propter aliquam neglegentiam suam reficiendum esse damnum ingens ex furto a quodam negotiorum gestore patrato.

B. *Deciditur casus redituum mensae, sede vacante* (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 45).

Reditus mensae sede vacante.

Die 8 feb. 1913, S. Congr. Concilii decidit dimidiam partem fructuum, ex biennio quo dioecesim X. rexit Administrator apostolicus, investiendam esse favore mensae episcopalis, dimidiam autem tribuendam esse Episcopo successori, facto verbo cum Sanctissimo. Ob peculiaria enim causae adiuncta, non visum est fructus illos ad S. Congr. de P. F. esse tradendos, cui vi reservationum pontificiarum spectant, nisi peculiare ius obstet, fructus sedis vacantis.

C. *Deciditur casus mediae annatae* (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 67).

Media annata.

Die 12 dec. 1914, S. Congr. Concilii in causa Fossanen. *Mediae annatae*, decidit canonicos ecclesiae cathedralis Fossanen., de beneficio etiam per Bullas Apostolicas provisos non eximi ab onere solvendi consuetam praestationem in casu, quia Constitutioni Ben. XIII « Pius et misericors », d. 28 apr. 1725, quae illos videtur eximere, obstat immemorabilis consuetudo, et ipsa constitutio « ad supplendam non ad supplantandam iuris consuetudinarii in hac re utilitatem » haud obscure edita est.

D. *Deciditur casus iuris optionis* (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 98).

Ius optionis; reservatio pontificio.

Die 8 mart. 1913 et 11 iul. 1914, S. Congr. Concilii in causa Fanen *Iuris optionis*, statuit reservationem pontificiam afficere praebendas in casu.

E. *Deciditur casus exemptionis* (A. A. S. 20 apr. 1915, 7, 173).

Non constat de exemptione.

Die 24 mai 1913, S. Congr. Concilii in causa Eugubina, *Administrationis*, statuit non constare de exemptione a potestate Episcopi circa bonorum administrationem pro Capitulo cathedrali in casu cum constet de praetenso Capituli privilegio.

F. *Deciditur casus mediae annatae* (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 209).

Media annata.

Die 16 ian. 1915, S. Congr. Concilii in causa Fanen. *Mediae annatae*, non stricte decidens utrum necne obligatio solvendi mediam annatam variet prout parochus recipiat a gubernio congruae supplementum et alia quaedam, statuit parochum N. solvere debere certam summam pro fabrica ecclesiae cathedralis.

Distribut. chorales.

G. Die 20 feb. 1915, S. Congr. Concilii, in causa Gerunden. *Distributionum choralium*, statuit Vicarium capitularem in casu, dum muneri vacat, excusari a choro, sed percipere dumtaxat praebendae fructus, non autem distributiones (A. A. S. 1 iun 1915, 7, 262).

Iubilatio. Dispensatio temporis.

H. Die 25 apr. 1914, S. Congr. Concilii, in causa Iacien. *Iubilationis*, concessit gratiam iubilationis, facto verbo cum SSmo, cuidam canonico, nondum omnino completo tempore 40 annorum a momento quo « beneficio insignitus » choro inserviebat (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 382).

Ius funerandi capellani Castrensis.

I. Die 7 iul. 1915, S. Congr. Concilii, in causa Vercellen. *Iuris funerandi*, respondit, dum ardet praesens bellum, capellanis castrensibus, qui in hospitalibus nunc pro militibus erectis inserviunt, exclusive competere ius funerandi quod ad milites ibidem decedentes, dummodo exsequiae peragantur in sacello hospitalis et cadaver sine pompa efferatur ad coemeterium (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 388).

Concursus parochialis. Omissa monitio diei.

J. Die 16 ian. 1915, S. Congr. Concilii, in causa Calatageronen. Concursus paroecialis, statuit sustinendam esse collationem paroeciae sacerdoti N., non obstante monitione personali circa diem concursus non facta sacerdoti X, et praetensa inaequitate in iudicandis responsis aliorum duorum concurrentium (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 416). I. S., s. I.

K. *Sacerdotes calumniarum rei iubentur severa poena medicinali plecti* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 9).

Punitio sacerdotum calumniatorum.

Causa attentione digna exponitur. Cum in dioecesi N. sacerdotes clam calumnias contra suum Ordinarium sparsissent, hic rem ad S. C. Conc. detulit, quae archiepiscopum iussit de factis inquirere. Factis comprobatis et reis detectis, definivit ipsa S. C. reos severe esse puniendos. Cum tamen ob adiuncta rerum et ex auctoritate apostolica causa in linea disciplinari acta sit, vult ut poenae non ad rigorem iuris sed potius medicinales, etsi graves, applicentur.

L. *Reicitur petitio canonici N. N. de participatione in proventus capituli* (A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 37).

Urgetur obligatio servitii gratuiti in Capitulo Oritano.

Reicitur (29 mart. et 19 iun. 1915) petitio canonici N. N. qui in capitulo Oritano participatione proventuum frui volebat, antequam per annum praestasset gratuitum servitium. Ob modum quo iuxta suas leges cooptantur eius membra, hoc capitulum potius est ecclesiasticorum virorum consociatio specialis quam capitulum sensu stricto iuris. Nec ius strictum ad participationem habetur, quia proventuum pars maxima caret penitus erectione canonica in titulum seu dotem beneficii, sed constat ex piis legatis, oblationibus pro anniversariis, etc. et citatur de Luca (de Canon. et Capit. disc. XVII, n. 4). Tandem servitium gratuitum, quamquam a Tridentino C. reprobatum, certis locis temporibusque non est damnandum.

M. *Vindicatur ius patroni ad liberam praesentationem post semel iterumque frustra inductum concursum* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 271).

Iuris patronatus.

De devolutione paroeciae sub iure patronatus post semel iterumque indictum concursum.

In dicione Veneta, vi iuris particularis, etiam pro paroeciis de iure patronatus laicorum indicendus est concursus in forma Tridentina. Cum autem episcopus post alterum tertiumque frustra indictum concursum paroeciam fieri iam liberae collationis contenderet, postulat Patronus a S. Congr. Conc. ut facultatem sibi recognoscat libere eligendi et praesentandi, post alterum concursum. Annuit S. Congr. (d. 17 iun. 1916), quia quotiens forma concursus, e particulari iure praescripta, adhiberi nequeat, reducimur ad ius commune.

N. *Vindicatur ius canonicorum-curatorum, qui extra capitulum in certis ecclesiis ministerio vacent, ad distributiones non stricte inter praesentes* (A. A. S. 1 dec. 1916, 8, 439).

Distributiones oeconomis curatis conceduntur.

Die 12 (loco 13)-15 dec. 1913, S. C. Conc. in causa dioecesis V. *distributionum*, dubium sequens diremit. Civitatis N. territorium antiquitus unicam paroeciam efformabat, cuius canonici ecclesiae cathedralis curam gerebant. Saeculo XVIII° illud divisum fuit in quattuor partes, singularumque cura actualis, nomine *Vicariae parochialis*, commissa est sacerdotibus extra Capitulum selectis fructusque ex congruo beneficio percipientibus. Sed ut usum iurium parochialium Capitulum recuperaret, recentius sacerdotes curam animarum gerentes in capitulum recepti sunt ; et perpetua lege id est firmatum, ut *oeconomi curati* essent servitio ecclesiae cathedralis, excepto tamen tempore quo curae animarum sunt detenti, mancipati, sed iisdem iuribus et honoribus quibus canonici fruerentur. Pactio ista a S. Sede approbata est. Post 30 annos et ultra, dubitari coeptum est num, dum vacabant officiis ecclesiae, *distributiones* inter praesentes obtinere possent. S. C. respondit : « Attentis peculiaribus rerum adiunctis iisque perdurantibus, affirmative ». — Per se quidem lex a distributionibus excludit canonicos qui curam gerunt in ecclesiis sub quocumque respectu extraneis ; sed hic agitur de ecclesiis quae materialiter tantum sunt a cathedrali diversae, et pactio auctoritate S. Sedis firmata ita semper intellecta est.

O. *Conceditur indultum perpetuae iubilationis post quadragenarium servitium in variis capitulis* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 318).

Privilegii iubilationis origo et evolutio.

Ex ipsa praxi factum est ut indultum iubilationis non concederetur nisi servitium saltem per 40 annos in eadem dioecesi praestitum esset, quia hoc privilegium est extensio consuetudinaria causae absentiae quae *in utilitate ecclesiae* fundatur. Paulatim tamen ab ea interpretatione est recessum et magis considerantur *merita personae*. In hac causa *Hispalen.* (19 iun. 1915) gratia eo facilius conceditur quod in Hispania pro merito personarum translationes etiam in Capitulum diversae dioeceseos conceduntur.

P. *Definiuntur iura quaedam parochorum quando fideles ab una ad aliam paroeciam transferuntur* (A. A. S. 9 dec. 1916, 8, 480).

Iura parochorum post mutatos fines.

In causa Narnien., *iurium*, die 12 pro 13 dec. 1913, solutione approbata a SS°, die 15 dec. S. C. C. varia definivit dubia exorta ex translatione christifidelium ex una paroecia in alteram : a) Ius benedicendi animalia utrique parocho competit ; b) Non debent confratres contribuere pro expensis cultus alius ecclesiae, quamvis parochialis suae ; c) Confratres

qui expresse sepulturam non elegerunt, in propria paroecia sepeliendi sunt, quamvis ad confraternitatem quae in alia sedem habeat pertineant ; d) Administratio cuiusdam legati manet penes ecclesiam quae illam habebat.

Q. *Condonantur missae manuales, una tamen pro oneribus omissis celebrata* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 17).

Absolutio et condonatio missarum.

In causa dioec. H***, *absolutionis et condonationis missarum*, S. C. C. die 20 nov. 1916, in plenario coetu, probante die 22 S. Pontifice, hanc facti speciem hoc modo solvit. Defunctus, cum debitis solis, parochus quendam Manualium Missarum numerum adhuc persolvendum reliquit. Nemo titulo *iustitiae* obligabatur ; nec, attenta curiae et cleri paupertate, quisquam *caritate* tenebatur. Quare a *S. C. Conc.* condonatio petita est.

Consultor, demonstrata prius ex Pasqualigo, *De Sacrif. Novae Legis*, t. 2, q. 1151, et appellans S. Th. Suppl. q. 25, art. 1 et art. 26 et ad 5, potestate S. Pontificis supplendi per dispensationem ex thesauro Ecclesiae fructum plurium sacrificiorum, simul tamquam condicionem indulgentiae pium opus postulabat unius Missae pro oneribus omissis. (Lucidi, De Visit., art. 5, n. 80 ss.)

Relator ex officio, usum S. C commemorans, monuit S. C. C. tunc tantum supplere solere, cum absque culpa missae celebratae non sint et reditus deficiant. Animadvertit praeterea a S. Sede potius in se suscipi opus pium peragendum, cum in Basilica Vaticana cappellani aliqui addicti sint celebrandis Missis pro omissis, et Ben. XV ad illam intentionem unam ex Missis die 2 nov. applicare voluerit. Iniungi autem potius opus in paenitentiam.

S. C. Conc. tribuit Episcopo oratori facultatem condonandi ; ita tamen ut Episcopus curaret unius Missae pro oneribus omissis celebrationem, supplente in reliquis S. Sede de thesauro Ecclesiae.

R. *Ius optionis in mensibus S. S. reservatis capitulo negatur* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 122).

Optio et nominatio ad Canonicatum per menses S. Sedi reservatos.

Resolutio, in plenariis comitiis 27 ian. 1917, S. C. Concilii, in causa Volaterrana, Capitulum contendebat sibi ex consuetudine spectare ius optionis etiam in mensibus S. Sedi reservatis, et ipsam nominationem ad praebendam residuam vacantem, de consensu tamen Apostolicae Datariae, ex decreto Innocentii III, c. 31, Cum Ecclesia Volaterrana, 31, *De electione et electi potestate.* Utrumque autem est a S. C. repudiatum, neque per modum gratiae admissum. In voto suo Consultor late explicat ius optionis, vim consuetudinis, cuius ipsum factum denegat. Observes memoratam regulam admissam a Rota in decis. 1195 n. 10 et 11 : « Post completam centenariam (consuetudinem), pro aliquo destruendo titulo qui ex ea resultat, alia in contrarium centenaria requiritur. » — Ius vero optionis est « ius quo antiquiores canonici, dimissa propria praebenda, aliam vacantem, quae reservata non sit, intra certum tempus eligere et consequi valent » (Moneta, De opt., c. 1, n. 13). In canonicatu tria distinguenda sunt : *canonia, titulus canonicalis, bona praebendalia.*

S. *Datur interpretatio legati pii* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 234).

Interpretatio voluntatis piae.

Resolutio *S. C. Concilii* 27 ian. 1917, de interpretatione testamenti quo legatum pium continebatur. Res in se non valde perspicua videbatur.

Respondit S. C. C. *nihil esse innovandum;* et sic videtur in dubio pro interpretatione hactenus usitata respondisse.

T. *Ius nosocomii contra parochum vindicatur* (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 269).

Associatio cadaverum parocho imposita.

S. C. C. in causa Pisauren. *Associationis cadaverum*, 27 ian. 1917, contra parochum qui, fretus pactione, sibi vindicabat ius associandi cadavera dementium nosocomii, fretus autem exemptione nosocomii, associationem indigentium cappellano nosocomii imponere volebat, confirmavit decretum curiae Pisaurien., quo onus istud parocho competere declaratum est.

Amentium domicilium.

In ista causa p. 270 et 273 examinatur quaestio de domicilio amentium; — de iure associandi cadavera in coemeterium confirmatur opinio communis. I. C., s. I.

S. CONGR. CONSISTORIALIS

67 — *RESPONSUM 8 IUN. 1914*

De munere Consiliarii municipiorum vel provinciarum a sacerdotibus per Italiam suscipiendo
(A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 313).

Dubium

Quaerentibus non nullis Italiae Ordinariis, utrum possint sacerdotes munus suscipere Consiliarii in rebus administrativis sive municipiorum sive provinciarum civilium et ad hunc finem acceptare ut candidati in electionibus proponantur, sacra Congregatio Consistorialis, de mandato SSmi Domini nostri, rebus omnibus mature perpensis, respondendum censuit non licere, nisi praevio consensu tum Ordinarii proprii cuiusque sacerdotis, tum Ordinarii loci in quo mandatum administrativum est exercendum ; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Respon sio *pro Ita lia.*

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 iunii 1914.

Dies (8 iun. 1914).

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
Ioannes Bapt. Rosa, Substitutus.

---

68. — *DECRETUM 20 IUN. 1914*

Vetans ne sacerdotes in Italia syndicalistis cooperentur (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 349).

Querelae de sindacalismo allatae S. Sedi.

Ex compluribus Italiae, praesertim septemtrionalis, dioecesibus graves questus ad Apostolicam Sedem pervenerunt de detrimentis quae vel ipsi opificum et agricolarum coetui infert institutio illa seu consociatio quae *sindacalismus* vocatur, utpote quia, praeter cetera, actu reapse in sociale certamen desciscit. Quapropter ad praecavendum, quantum fas est, tanto malo, SSus D. N. Pius Papa X sacrae huic Congregationi mandavit, ut memoratis Italiae Ordinariis notum faceret, mentem suam esse firmamque sententiam, sacerdotes, remota qualibet personarum locorumque exceptione, non posse consociationibus hisce *sindacalistis* nomen dare aut semel datum in iis servare, officio aliquo in iisdem fungi et sermones seu adhortationes in earum opem habere : a quibus omnibus cunctos prohibitos esse sacerdotes, ne malorum quae ex institutione illa saepe profluunt participes ipsi videantur.

Quare S. Pontifices iussu monentur Italiae Ordinarii sacerdotibus omni participatione abstinendum esse.

Ordinarii pro variis casibus provideant.

Quo iussa SSmi Domini faciam, haec cum Ordinariis ad quos spectat communico, ut opportune iuxta casuum varietatem provideant. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (20 iun. 1914).

Datum Romae, ex Secretaria sacrae Congregationis Consistorialis, die 20 iunii 1914.

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
Ioannes B. Rosa, Substitutus.

69. — *DECLARATIO 6 DEC. 1914*

De electione Vicariorum Capitularium in quibusdam Mexicanis dioecesibus (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, p. 698).

Sede impedita capitula quaedam vicarium generalem elegerunt.

Cum in Mexicana re publica, ob publicarum rerum subversionem, fere omnes Antistites locorum Ordinarii aut vi e suis dioecesibus expulsi, aut impediti quominus ad eas regrederentur, aut in carcerem detrusi, aut delitescere vel in finitimas regiones clam aufugere coacti fuerint, contigit ut non nulla capitula cathedralia censuerint casum evenisse eligendi Vicarium Capitularem, et re vera in aliqua dioecesi illum eligere praesumpserunt, iniuste proinde sublata Vicario generali Episcopi qualibet ordinaria potestate.

Cum adsint vicarii generales, electiones vicariorum Capit. nullae declarantur.

Quod cum tolerari omnino nequeat, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SS^mi D. N. Benedicti Pp. XV, declarat nullam esse in expositis adiunctis legitimam causam procedendi ad electionem Vicarii Capitularis, et si quae facta fuerit, eam irritam esse et nullius roboris; sartam e contra tectamque et integram subsistere Episcoporum auctoritatem quam ipsi, vel per Vicarium generalem vel per alium sacerdotem a se delegatum, exercere possunt ac debent; eamque ab omnibus fidelibus et in primis a canonicis cathedralis ecclesiae rite et omnimode agnoscendam esse et observandam.

Dies (6 dec. 1914)

Die 6 decembris 1914.

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
Ioannes B. Rosa, Substitutus.

Annotationes

1. Quando episcopus a finibus dioeceseos vi remotus vel in carcerem detrusus iurisdictionem exercere non potest, eius potestas ad capitulum non defertur, sed ad S. Sedem est recurrendum. Quod si vicarius generalis legitime designatus dioecesim regere potest, episcopi iurisdictio suspensa non censetur, et omnis deputatio vicarii capitularis nulla est et irrita. Haec ex textibus iuris et S. S. documentis clare depromuntur. (Cf. Wernz. *Ius Decret.* II, n. 794). Nec similia casui supra proposito facta desunt. Ita v. g. cum capitulum eccles. Coloniensis vicarium generalem Archiepiscopi in carcerem detrusi a. 1838 in vicarium capitularem elegisset, Gregorius XVI electionem ratam habere noluit (cf. Bizzarri, *Collect.* p. 563). Item Pius IX omnino irritas declaravit electiones vicariorum capitularium, quas fecerant capitula in regione Neapolitana, quod episcopi seditionibus in exsilium acti erant, relicto tamen vicario generali. (Cf. Decret. S. C. Ep. et Reg. 3 maii 1862, Bizzarri, l. c. p. 167).

2. Hac declaratione S. Congr. Consistorialis confirmatur disciplina vigens, mox in Codice his verbis proponenda : « Sede per episcopi captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem ita impedita ut ne per litteras quidem cum

dioecesanis communicare ipse possit, dioecesis regimen, nisi S. Sedes aliter providerit, penes episcopi vicarium generalem vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum esto » (c. 429, § 1).

Dum autem antea censebant non posse deputari vicarium capitularem, si et ipse vicarius generalis ab exercenda sua iurisdictione vi impediretur, sed ad S. Sedem esse recurrendum (cf. Bizzarri, l. c. p. 663), aliter statuit Codex, sc. « His (i. e. viris ab episcopo delegatis) deficientibus, vel, uti supra dictum est, impeditis, capitulum Ecclesiae cathedralis suum vicarium constituat, qui regimen assumat cum potestate vicarii capitularis » (c. 429, § 3). I. C., s. I.

---

70 — *DECRETUM 15 IAN. 1915*

De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in episcoporum inscriptionibus et armis (A. A. S. 20 apr. 1915, 7, 172).

Prohibitio Cardinalibus facta nobilitatis familiaris quaedam signa servandi

Apostolica constitutione, cuius initium *Militantis Ecclesiae*, die 19 decembris 1644 data, Summus Pontifex Innocentius X mandavit ut « omnes « S. R. E. Cardinales, ad unitatem et aequalitatem ordinis construendam, « iubeant e propriis sigillis et insignibus quibuscumque, vulgo *armis* « nuncupatis, amoveri coronas, signa ac omnes notas saeculares, praeter « eas quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentia « et integritate eorundem armorum utuntur, et ut in posterum ab illorum « usu abstineant ». Ad unam vero eandemque rationem hac in re etiam quod ad episcopos inducendam SS^mus^ D. N. Benedictus Papa XV legem, quae supra relata est, ad eos extendendam opportunum censuit. Quapropter Sanctitas Sua hoc edi iussit consistoriale decretum, quo patriarchae, archiepiscopi et episcopi omnes, tam residentiales quam titulares, in posterum in suis sigillis et insignibus seu armis, itemque in edictorum inscriptionibus, titulos nobiliares, coronas, signa aliasque notas saeculares, quae nobilitatem propriae familiae vel gentis ostendant, addere penitus prohibentur, nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit annexa; aut nisi agatur de ordine equestri S. Ioannis Hierosolymitani aut S^mi^ Sepulchri. Contrariis non obstantibus quibusvis.

extenditur ad Patriarchas, archiepiscopos et Episcopos omnes.

Dies (15 Ian. 1915).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 15 ianuarii 1915.

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
Fr. Thomas Boggiani, Adsessor.

Annotationes

1. Rationes cur Innocentius PP. X vetuit Cardinales servare signa familiaris nobilitatis episcopis non minus valent sc. « ut inter eos... quos omnium virtutum splendore ceteris

praelucere decet, fraterna servetur aequalitas, unde sincerae caritatis affectu sese invicem prosequantur et dimissa omnium rerum saecularium cura, non nisi pro eiusdem Ecclesiae bono ac Dei gloria vigeat inter eos laudabilis aemulatio ». (Bull. rom. t. VI, p. 7).

2. In armis duo genera imaginum distinguunt, eas sc. quae in ipso scuto (v. g. aves, turres, signa linearia) et illas quae extra ipsum (v. g. corona, galeus) delineantur. His gradus nobilitatis designantur, illis notae quibus familiae inter se distinguuntur potius exhibentur.

Pro fine ipsius decreti, episcopi omnes signa tantum omittere debebunt quibus ipsa nobilitas familiae ostendatur, sc. « titulos nobiliores, coronas, signa aliasque notas saeculares ».

3. Quaedam exceptiones statuuntur. Insignia servare poterunt dignitatis saecularis quae « ipsi sedi » sit annexa, uti v. g. in Austria sex archiepiscopi « principis » dignitatem habent. Idem conceditur episcopis qui pertineant ad ordinem equestrem S. Ioannis Hierosolymitani, quibuscum Canonici S. Sepulchri ab Innocentio VIII uniti sunt, ita ut tamquam independens Ordo fere ubique exstare cessaverint.

I. C., s. I.

---

71 — *DECRETUM 1 IUN. 1915*

De Ordinario Castrensi in Italia durante bello

(A. A. S. 21 iun. 1915, 7, 287).

Causa decreti.

Rectus ordo et iusta ecclesiasticae disciplinae ratio postulant, ut quod in plerisque aliis regnis et civitatibus factum est, in Italia quoque obtineat, et sacerdotibus qui magno numero militibus in praesenti bello terra marique dimicantibus assistunt, Antistes aliquis seu Ordinarius donetur a quo spiritualiter pendeant.

Rmus D. Ang. Bortolomasi eligitur Ordinarius castrensis italus.

Quam ob causam Smus D. N. Benedictus Pp. XV eligendum censuit, et hoc Consistoriali decreto elegit Revmum Angelum Bortolomasi Episcopum Derbensem et Emi Archiep. Taurinens. Auxiliarem : eumque cum dispensatione ab obligationibus quibus qua Auxiliaris Episcopus tenetur, durante novo munere, Ordinarium proprium constituit clericorum et sacerdotum omnium, sive saecularis sive religiosi ordinis, qui in proelio aut in castrorum hospitalibus seu in navibus, hoc bello perdurante, operam suam praestant ut sacramenta et spiritualia subsidia militibus administrent.

Ipsi debita oboedientia.

Hi itaque omnes, cuiuscumque ordinis sint, dum militibus deserviunt, cessante quolibet privilegio vel exemptione, memorato Antistiti qua Ordinario proprio in exercitio munerum sacerdotalium parebunt. Facultates quas Apostolica Sedes ipsis nuperrime tribuit, non nisi subordinate et dependenter ab eo exercere poterunt.

Ab eo pariter, non vero ab aliis, si quae dubia in sacro ministerio exercendo occurrant, consilia et directionem postulabunt.

Facultates ipsi concessae in genere et in specie.

Ad hunc finem Summus Pontifex praefato Antistiti facultates omnes necessarias et opportunas hoc ipso Consistoriali decreto tribuit et largitur.

Eius itaque erit, initis cum auctoritate militari consiliis, sacerdotes approbare qui sacrum ministerium penes militares copias sive terrestres sive maritimas exerceant, auditis tamen prius ipsorum Ordinariis, ut cognoscere valeat an tanto muneri exercendo sint pares : et eius pariter erit facultates iisdem tribuere, et data iusta causa cum militaris auctoritatis consensu pro sua conscientia ab officio eos amovere, vel a sacris interdicere, appellatione quacumque remota et monitis in singulis casibus propriis singulorum Ordinariis.

Poterit ordinarius per delegatos agere.

Denique cum per se et immediate R^mus hic Ordinarius omnibus postulationibus satisfacere forte non valeat, conceditur ut unum vel plures sacerdotes suos Vicarios seu Delegatos nominare valeat, cum facultatibus necessariis ut in aliqua dissita militum statione vel in classi eius locum teneant, et urgentibus necessitatibus congrue provideant.

Praesentibus valituris contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (1 iun. 1915).

Romae, die 1 iunii 1915.

C. Card. De Lai, Episcopus Sabinensis, *Secretarius.*
Thomas Boggiani, Archiep. Edessen., Adsessor.

---

72 — *RESPONSUM 5 IUL. 1915*

De competentia circa facultatem concedendi religiosis paroecias saeculares (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 327).

Dubium.

Proposito dubio : « utrum facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de Religiosis ».

Responsum.

Emi Patres huius S. C. Consistorialis, re mature perpensa et praehabito Consultoris voto, in generalibus comitiis diei 28 iunii 1915 respondendum censuerunt : « spectare ad S. C. Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae iis prohibeant paroecias retinere et regere ».

In audientia autem infrascripto Cardinali Secretario concessa die 2 iulii 1915, SSmus D. N. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Dies (5 iul. 1915).

Romae, die 5 iulii 1915.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
Thomas Boggiani, Archiep. Edessen., Adsessor.

Annotationes

In hoc decreto conficiendo usa est S. C. potestate ipsi in Const. Pii PP. X, *Sapienti consilio*, 29 iun. 1918, facta solvendi dubia circa competentiam sacrarum Congregationum. Dubium ex eo oriebatur quod, dum collatio paroeciarum ad S. C. Concilii spectat, negotia quae inter episcopos et religiosos aguntur a S. C. de Religiosis pendent.

Iam vero, quando paroecia *saecularis* seu ad clerum saecu-

larem pertinens religioso committitur, a iure ordinario de collatione beneficiorum receditur et cleri saecularis iuri detrahitur : quae duo proprie ad competentiam S. C. Concilii pertinent.

Quod si religiosus, cui paroeciam committere vult episcopus, vi Constitutionum sui Ordinis eius regimen non possit accipere, iam negotium religiosi qua talis agitur et apud S. C. *de Religiosis* est perficiendum. I. C., S. I.

73. — *DECRETUM 2 IAN. 1917*

Ad Rev^mos Italiae Ordinarios, de ordinatione clericorum militare servitium obeuntium (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 15).

Ut ius certum omnibusque perspicuum statuatur circa ordinationem clericorum qui, bello hoc perdurante, militare coacti sunt, SS^mus D. N. Benedictus PP. XV, de consulto peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium, declaravit et statuit :

1) Vetitum omnino esto, gravissimis de causis, quemlibet clericum qui militaria stipendia faciat, vel ad militiam mox vocaturus praevideatur, etsi aliunde dignum et idoneum, ad sacrum subdiaconatus ordinem promovere ; et super huius prohibitionis observantia, omnium ad quos spectat conscientia gravitèr oneretur ;

2) Quod vero attinet ad ulteriorem ordinationem eorum qui in sacris iam sint constituti, si in iisdem ut supra adiunctis versentur, recurrendum est ad respectivas Sacras Congregationes, quae in casibus singulis, necessitate aut alia gravissima causa intercedente eaque comprobata, legitimo insuper studiorum cursu ab ordinando emenso et proprio dioecesis aut religionis Ordinario postulante, opportune providebunt ; semper tamen sub condicione ut candidatus congruum temporis spatium obtinere queat quo per spiritualem recollectionem ad sacram ordinationem digne se disponere valeat ;

3) Hisce omnibus servatis, ad petitionem Ordinarii loci aut religionis qui ordinandi sit proprius, fas esto Ordinario Castrensi clerico ratione militiae sibi subdito testimoniales litteras elargiri.

Haec porro SS^mus D. N. publici iuris fieri et ab omnibus ad quos pertinet servari iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Sacra autem Congregatio, praesentis Decreti publicatione usa, universos sacrorum per Italiam Antistites monet ac vehementer hortatur, ut clericos qui ad militiam vocati sunt vel erunt, diligentissima sollicitudine ac vigilantia prosequantur, iuxta Litteras circulares a se datas die 16 iunii 1916.

Datum Romae, ex S. Congr. Consistoriali, die 2 ianuarii 1917.

C. Card. De Lai, Episcopus Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Adsessor.

ANNOTATIONES

Quo tempore bellum in Italia quoque furere coepit, multi clerici in eo erant ut mox sive subdiaconatum, sive alios sacros ordines reciperent. Episcopis dubium oriri poterat, num melius esset illos ad sacros ordines primos vel ulteriores promovere. Etsi enim perseverantiae ex vita in castris non unum exsurgebat periculum, ex maiori obligatione maiorem vocationis et aedificationis curam nascituram sperare licebat. Praeterea multis dioecesibus nimius sacerdotum numerus non adest. Adde infausto bello multos fortasse praeter omne meritum ac omnem voluntatem, progressu ad sacros ordines privatum iri. Dubia volens solvere et uniformem agendi modum inducere, SS^mus D. N. decreto S. C. Consistorialis regulas omnibus Italiae Ordinariis adhibendas proponit.

Discrimen fit inter illos qui subdiaconatus ordinem nondum receperint et illos qui iam in sacris versantur. Iure quidem. Illis enim sacra ordinatio onera fere tantum imponet, quin potestatem conferat qua ad alios iuvandos uti possint. In iis minor est virtutum informatio, minor apud Superiores indolis experientia, fere nulla facultas studia persequendi quae ad sacros ordines suscipiendos necessaria sunt. Atque imprudens videri potest illos vinculo castitatis perpetuae ligare a quo Ecclesia nisi aegre ac gravissimis de causis non dispensat.

Qui vero strictis vinculis cum Ecclesia iam vinciuntur, minoribus tamen quam sacerdotii, valde caute tantum magis ligandi videntur antequam periculis erepti sint quibus eorum virtus et perseverantia exponuntur. Cum tamen iam sint in sacris, necessitas dioecesis aut maxima utilitas quae sive ipsis, servitii « activi » dispensatione, sive commilitonibus, sufficienti auxilio religioso orbatis, orietur, rationes praevalentes esse possunt illos ulterius in sacris promovendi.

Dum igitur priores ad subdiaconatum promoveri omnino prohibentur, non nulli ex posterioribus non omni spe carent perveniendi, etiam durante bello, ad sacerdotium.

Condiciones tamen severas proponit S. Congr. scil. 1) ut ordinatio sit necessaria vel suadeatur gravissima causa ; 2) ut necessitas vel urgentissima causa candidati comprobentur ; 3) ut studia requisita omnino sint absoluta ; 4) ut ordinandi competenti tempore sacris exercitiis sese ad ordinationem praeparare possint.

Quae condiciones si impleantur, Ordinarii poterunt a SS. Congr. sive Concilii aut de Sacramentis, sive de Religiosis opportunam licentiam vel dispensationes necessarias petere.

Testimoniales elargietur Ordinarius Castrensis promovendis qui ratione militiae ipsi subiciuntur. I. C., s. I.

74. — *RESPONSA 25 APRILIS 1917*

De secreto servando ab iis qui de informationibus requiruntur circa promovendos ad episcopatum

(A. A. S. 1 maii 1917, 9, 232).

Dubia. Ad S. hanc Congregationem sequentia dubia pro solutione proposita fuerunt :

I. Num iis qui sub secreto S. Officii de informationibus requiruntur circa personas ad episcopatum promovendas, liceat delatum sibi munus, qualibet de causa, etiam ad tutiores notitias hauriendas, aliis revelare ?

II. Num, reticita commissione de qua supra, liceat ab aliis notitias requirere, quotiens adsit periculum, etiam remotum, revelationis secreti ?

III. Num datas informationes liceat, quacumque de causa, alteri, etiam secretissimo et intimo vel in ipsa sacramentali confessione, revelare ?

IV. Quibus poenis plectatur qui talia egerit in primo, vel secundo, vel tertio casu ?

V. Qui ignarus certae notitiae, eam ab alio vel aliis tutissime haurire valeat absque ullo periculo violationis secreti ; num possit ex se, absque S. Congregationis licentia, hanc personam vel has personas interrogare ?

VI. Et si hoc fecerit, teneturne hanc personam vel has personas a quibus notitias hausit, in suis informationibus S. Congregationi manifestare ?

Responsa. Et Sacra Consistorialis Congregatio, omnibus mature perpensis, ad praedicta dubia respondendum censuit :

Ad I, II et III. In omnibus his casibus non licere.

Ad IV. Excommunicatione, a quo nemo, nisi Ipse Romanus Pontifex, excluso etiam Emo Cardinali Maiori Poenitentiario, absolvere potest ; aliisque poenis ferendae sententiae, quae contra violatores secreti S. Officii a iure statutae sunt.

Ad V. Posse.

Ad VI. Teneri.

Quae solutiones cum ab infrascripto Cardinali Secretario ad Summum Pontificem, in audientia diei 20 huius mensis relatae fuissent, Sanctitas Sua eas approbavit et publicari mandavit.

Dies (25 apr. 1917). Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 aprilis 1917.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Adsessor.

Annotationes

1. Clara ista responsa vix ulla commentatione opus habent. Tria prima responsa obligationem secreti strictissime urgent, addita, in quarto responso, severissima sanctione. Quinto responso permittitur interrogatio aliarum personarum si utilis sit et omne periculum violationis secreti abfuerit.

In sexto demum declaratur opus tunc esse ut personae interrogatae S. Congregationi in informationibus manifes-

tentur, ut haec de valore informationis melius iudicare queat.

2. De tertio et quarto responso illud tamen observandum videtur, non agi ibi de materia quae umquam sit necessaria materia sacramenti paenitentiae. Supponas etiam casum quo quis secreti violationem accusandam habeat. Satis profecto paenitenti erit dicere a se secretum S. Officii violatum esse. Dubium de peccato poterit quoque generice indicari, ita ut numquam opus sit narrare quasnam quis dederit informationes. Quidquid autem dictum sit vere sub sigillo sacramentali seu in foro Dei, non arbitramur posse in ullo foro humano poena etiam excommunicationis plecti.

DECRETA SUMMATIM RELATA

75. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Supprimitur Confraternitas Catacensis B. M. V. de Monte Carmelo* (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 312).

Supprimitur Confraternitas.

Decreto 5 maii 1914, S. Congr. Consistorialis exstinxit Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo in Catanzaro, propter rebellionem adversus ecclesiasticam potestatem.

B. *Erigitur Praelatura Nullius Registro de Araguaya* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 350).

Erigitur Praelatura Nullius, in Brasilia.

Decreto 12 maii 1914, S. Congr. Consistorialis, territorium missionis Salesianae vulgo *Matto Grosso* in Brasilia, a dioecesibus Cuyabensi et Corumbensi avulsum erexit in Praelaturam Nullius, *Registro de Araguaya* nuncupandam, suffraganeam archidioecesi Cuyabensi.

C. *Evulgatur Ordinatio de Collegio sacerdotum pro Italis ad exteras regiones migrantibus* (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 547).

Cura spir. emigrantium.

Die 24 iun. 1914, S. Congr. Consist. plura determinavit in *Regolamento generale* circa Collegium sacerdotum pro Italis ad exteras regiones migrantibus, fundatum Motu proprio 13 mart. 1914 ad curam spiritualem migrantium.

Insuper de eodem argumento prodibit supplementaria Notificatio die 31 ian. 1915 (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 95).

D. *Erigitur dioecesis Cratensis in Brasilia* (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 551).

Erectio dioecesis.

Die 20 oct. 1914, dioecesis Fortalexiensis in Brasilia ita divisa est ut coartata in parte septemtrionali dioecesi Fortalexiensi, in parte meridionali nova erigeretur dioecesis, nuncupanda Cratensis ab urbe Crato.

E. *Declaratur dubium circa decr. S. C. Consist. 25 mart. 1914* (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 671).

Declaratur decretum.

Die 22 nov. 1914, S. Congr. Consist. declaravit in decr. 25 mart. 1914 de sacerdotibus in certas quasdam regiones demigrantibus, verba « *deferant* ad hanc S. Congregationem » (art. 4), audienda esse perinde ac *deferre debent.* (Cf. Period. VIII, p. 19).

F. *Commendatur Ordinariis Italiae Collegium sacerdotum pro Italis ad exteras regiones migrantibus* (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 699).

Cura spir. emigrantium.

Die 6 dec. 1914, S. Congr. Consist. misit litteras circulares ad Ordinarios Italiae enixe commendans Collegium sacerdotum pro Italis ad exteras regiones migrantibus et plura de ipso disponens.

G. *Erigitur dioecesis Iericoensis in Republica Columbiana* (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 121).

Erectio dioecesis.

Die 29 ian. 1915, S. Congr. Consist. territorium dioecesis Antioquiensis in duas partes divisit, et, coartata in parte septemtrionali ipsa dioecesi Antioquiensi, in parte meridionali novam dioecesim erexit, nuncupandam Iericoensem, suffraganeam ecclesiae Medellinensis.

H. *Immutatur titulus dioecesis Bisarchiensis* (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 121).

Immutatur titulus.

Die 12 febr. S. Congr. Consist., suppressa denominatione Bisarchiensi, eandem dioecesim posthac *Octeriensem* nuncupandam statuit.

I. *Titulus cathedralis, honoris causa, attribuitur ecclesiae S. Benedicti in urbe Gualdo Tadino* (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 122).

Titulus cathedralis.

Die 2 ian. S. Pontifex ecclesiam S. Benedicti in urbe Gualdo Tadino evexit ad cathedralis dignitatem, honoris tantum causa, ita ut posthac dioecesis et episcopus Nucerinus simul Tadinensis nuncupari debeat.

J. *Mittuntur litterae circulares ad Ordinarios Americae de emigrantium Italorum cura* (A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 145).

Cura spir. emigrantium.

Die 22 febr. 1915, S. Congr. Consist. litteras misit ad Ordinarios Americae, quibus impense commendat curam spiritualem migrantium Italorum.

K. *Erigitur abbatia mitrata in dioecesi Brixiensi* (A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 262).

Erectio abbatiae mitratae.

Decreto 27 apr. 1915, S. Pontifex paroecialem ecclesiam oppidi Montichiari in dioecesi Brixiensi ad dignitatem abbatiae mitratae evexit, ea condicione ut pastor non nisi in hac ecclesia et in ecclesia S. Pancratii in die sollemnis eiusdem festivitatis sacrum pontificale peragere vel pontificaliter assistere possit ac valeat.

L. *Erigitur Praefectura apostolica de Arauca in Republica Columbiana* (A. A. S. 21 iun. 1915, 7, 288).

Erectio Praefecturae.

Decreto S. C. Consist. 26 maii 1915, S. Pontifex a Vicariatu Casanarensi in Re publica Columbiana seiunxit septemtrionalem partem ad sinistram fluminis Casanare, eamque in Praefecturam apostolicam de Arauca erexit.

M. *Ordinatur iurisdictio ordinaria in oppido Polla* (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 326).

Determinatur iurisdictio.

Decreti S. Congr. Consist. 12 dec. 1914, S. Pontifex, ad praecavendas difficultates ex mixta in oppido Polla iurisdictione Episcopi Dianensis et Abbatis Cavensis, statuit limites territoriales iuxta quos deinceps utriusque Ordinarii iurisdictio exclusive exerceatur.

N. *Explicatur amovibilitas Rectorum in Statibus Foederatis Americae* (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 378).

Rectores amovibiles Americae. Quid nunc in Gallia?

Die 28 iun. 1915, S. Congr. Consist. declaravit illos rectores paroeciarum seu missionum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, qui *non* recenseantur inter « inamovibiles », posse adhuc amoveri ad nutum Episcopi, seu cum ipsis non servandas esse dispositiones decreti *Maxima cura* de parochorum amovibilitate. Ortum scil. erat dubium 1° eo quod decretum illud declaratum est vigere etiam in Statibus Foederatis : quod intellegendum de iis Rectoribus seu parochis qui ibidem iam ut « inamovibiles » habentur ; 2° eo quod decretum, iuxta ipsius tenorem, dicebatur applicari « iis omnibus qui paroeciam quovis titulo ut proprii eius rectores obtineant, sive nuncupentur ...*desservants* sive alio quolibet nomine ». Sed Concordato in Gallia violenter abrupto, parochos « *desservants* ad suum nativum ius hoc ipso restituebantur, et illos tamquam veros parochos considerandos esse decretum *Maxima cura* aestimavit, adeo ut etiam quod ad ipsorum amotionem dispositionibus eiusdem decreti obnoxii retinendi sint ». Insuper qui, ut plerique rectores Americani, « paroecias *ad nutum Ordinarii* administrant, videntur *proprii* earum pastores dici non posse », sed habere potestatem vicariam licet ordinariam.

O. *Excommunicatur sacerdos R. O'Halloran* (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 437).

Sacerdos nominatim excommunicatur.

Decreto 14 iul. 1915, nominatim excommunicatur sacerdos Richardus O'Halloran, qui in dioecesi Westmonasteriensi parvum illud schisma quod ab Ealing vocatur, excitavit.

P. *Erigitur dioecesis Sobralen. et sedes Fortalex. metropolitana declaratur* (A. A. S. 20 dec. 1915, 7, 571).

Erectio novae dioecesis et prov. eccles.

Decreto 10 nov. 1915, R. Pontifex dioecesim *Sobralensem* erexit, ei attribuens paroecias *Acarahú, S. Ana, Aracaty-Assú, S. Quiteria, Tamboril* et *Independencia*, olim pertinentem ad dioecesim Fortalexiensem. Hanc vero sedem fecit metropolitanam (in Brasilia).

Q. *Erigitur dioecesis Carathingensis in Brasilia* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 8).

Erectio novae dioec.

Decreto 15 dec. 1915, S. Pontifex a territorio archidioecesis Mariannensis quattuordecim paroecias avellit quibus constabit nova dioecesis Carathingensis, quae suffraganea erit archidioec. Mariannensis.

R. *Erigitur dioecesis Haileyburensis* (A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 35).

Erectio novae dioec.

Decreto 7 ian. 1916, R. P. vicariatum de Temiskamingue, in dicione Canadensi, in dioecesim Haileyburensem erexit, suffraganeam archidioeceseos Ottaviensis.

S. *Definiuntur limites archid. Hydruntinae et dioecesis Lyciensis* (A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 35).

Limites definiuntur.

Decreto 12 nov. 1915, R. P. sancivit ut fines civiles oppidi S. Caesarii dioecesim Lyciensem ab archidioec. Hydruntina separarent.

T. *Eriguntur dioeceses et provincia ecclesiastica in republica Hondurensi* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 62).

Erectio novarum dioecesium.

Decreto 2 febr. 1916, Romanus Pontifex duas novas dioeceses ex paroeciis a dioecesi de Comayagua avulsis erexit, scil. in parte occidentali dioecesim S. Rosae de Capán et in orientali dioecesim Tegucigalpensem, quam metropolitanam fecit.

U. *Erigitur dioecesis Guaxupensis in Brasilia* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 62).

Erectio dioecesis.

Decreto 3 febr. 1916, R. P. dioecesim Guaxupensem in territorio a dioecesi de Pouso Alegre avulso erexit fecitque, donec aliter provisum fuerit, suffraganeam archidioecesis Mariannensis.

V. *Tituli adiciuntur ecclesiae Diniensi* (A. A. S. 4 mart 1916, 8, 63).

Adiectio titulorum episcopalium.

Decreto 15 febr. 1916, ecclesiae Diniensi adiecti sunt antiqui tituli dioecesium Reiensis et Sistariensis.

W. *Separantur ab archid. Beneventana tres paroeciae* (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 102).

Dismembratio territorii.

Decreto S. C. Consist. 23 febr. 1916, Tres paroeciae cum annexo territorio ab archid. Beneventana ad alias dioeceses traducuntur, utpote a sede episcopali nimis remotae.

X. *Communicatur erectio dioecesis « Portus Nationalis »* (A. A. S. 2 apr. 1916, 8, 103).

Cf. supra Acta SS. D. N. Benedicti PP. XV.

Erectio novae dioecesis.

Y. *Prohibentur viri ecclesiastici favere usui chorearum etiam ad pium opus promovendum* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 147).

Usui chorearum favendum non est.

Decreto 31 mart. 1916, S. C. Consist. omnino standum censuit prohibitionibus plenarii Concil. III Baltim. et vetuit sacerdotes quoslibet choreas promovere et fovere quae ad pia opera sustentanda habebuntur aut illis interesse, si forte a laicis promoverentur.

Z. *Mutantur fines dioecesium Osnahensis et Kearneyensis* (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 224).

Mutatio finium.

Decreto 13 maii 1916, R. P. quaedam territoria a dioecesi Osnahensi avulsa ad dioecesim Kearneyensem transtulit, in Stat. Foed. Americae.

Aa. *Confirmatur titulus cathedralis basilicae cuidam* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 266).

Confirmatio tituli cathedralis.

Soluto dubio, S. Congr. Consist. declaravit certo competere cathedralis ecclesiae titulum basilicae S. Sabini in civitate Canusina.

Bb. *Definiuntur iura et officia Ordinariorum erga clericos qui in exercitu italico versantur* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 266).

Cura clericorum in exercitu.

Litteris ad Ordinarios Italiae datis d. 16 iun. 1916, S. C. Consist. revocat in memoriam quam sollicita cura S. Pontifex in clericos-milites

invigilet. Cum Ordinarius Castrensis in omnes et singulos vigilare non possit, eos omnes iurisdictioni Ordinariorum locorum subici S. Congr. decernit, quorum erit curare ut clerici milites in celebrando sacro, in vitandis tabernis, in habendis exercitiis spiritualibus et conferentiis, sacros canones observent et indignos poenis coercere. Hae normae ex speciali R. P. ordinatione vim legis habebunt.

Cc. *Pars territorii Royston alii dioecesi ascribitur* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 317).

Dismembratio, unio.

Ut fines ecclesiastici cum civilibus concordent, decr. 25 iul. 1916 pars territorii Royston a dioecesi Nortantoniensi avulsa dioec. Westmonasteriensi ascribitur.

Dd. *Amplificantur fines dioecesis Pratensis* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 404).

Amplificatio finium dioeceseos.

Decreto S. C. Consist. 3 sept. 1916, R. P. limites dioecesis Pratensis ad universum eiusdem Pratensis municipii territorium extendit, multas paroecias ab utraque dioecesi Florentina et Pistoriensi separando.

Ee. *Erigitur vicariatus Magellanensis* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 407).

Erectio vicariatus apost.

Decreto S. C. Consist. 4 oct. 1916, S. Pontifex in amplissimo territorio Patagoniae Cilenae, cui nomen *Magellano*, suppressa praefectura apost. Patagoniae meridionalis, territorium Magellanense, intra fines dioecesis S. Caroli de Ancud, in vicariatum apost. erexit, Magellanensem nuncupandum, cum sede principe in loco *Puntarenas*. Quem subicit archiep. S. Iacobi de Chile et concreditum linquit regimini sacerdotum piae societatis Salesianae a Ven. Ioann. Bosco institutae.

Ff. *Varia definiuntur de caerimoniis Cardinalium eorumque funeribus* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 409).

Cardinalium funera. Crux pectoralis episcoporum.

Decreto *S. Congr. Caerimonialis*, 25 aug. 1916, postquam compendio exhibentur quae in Congr. 17 mens. 1916 acta sunt de cruce pectorali non ferenda ab episcopis, in romana Curia, supra cappam magnam, et de funeribus Cardinalium, — atque, in ipso decreto, memorata sollemnitate praescripta a Benedicto XIII pro Cardinalibus defunctis, statuitur maior sollemnitas funeris, ritu tamen hodie servato; et instituitur in aedibus Vaticanis sacrum sollemne mense novembri coram Pontifice pro mortuis infra annum, cum absolutione quam ad tumulum ipse Pontifex dabit.

Gg. *Laudatur opus in favorem emigrantium in Calabria institutum* (A. A. S. 1 dec. 1916, 8, 4377).

Opus pro emigrantibus.

Epistola italice scripta, S. Congr. Consist., 24 nov. 1916, ad archiepiscopos et episcopos Calabriae laudat institutionem patrocinii ecclesiastici pro emigrantibus. Tot velit patrocinia exstare quot sunt provinciae civiles.

Hh. *Mutantur fines dioecesis Bononiensis et Ravennatensis* (A. A. S. 1 febr. 1917, 9, 82).

Mutatio finium dioecesanorum.

Decreto *consistoriali* 3 ian. 1917, perinde valituro ac si apostolicae sub plumbo litterae expeditae forent, SS. D. certa scientia atque apostolicae

potestatis plenitudine, ad germina discidiorum tollenda, locum, qui dicitur subsidium loci *Marmortae*, paroeciae oppidi Molinellae et dioecesi Bononiensi tribuit, quae Ravennatensi paroeciam loci *Portonovo* cedere debet.

Ii. *Ius episcopi visitandi capitulum in rebus temporalibus vindicatur* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 116).

Visitatio metropolitani capituli.

Resolutio S. C. Consistor. in causa Vercell., 10 febr. 1917, qua Bullam Sixti V interpretatur, declaravit concessam capitulo metropolitano liberam et exclusivam administrationem mensae capitularis et fabricae ecclesiae minime derogare iuri Episcopi visitandi canonice, etiam in his rebus, dictum capitulum : ius enim visitandi a iure administrandi distingui, et exemptionem a canonica visitatione *dispositive* declarandam esse. Quare non semel audito capitulo et archiepiscopo 8 febr. 1917, S. C. ad dubium de iure visitandi respondit : « Affirmative et non amplius causam proponi iusserunt ».

Jj. *Iura ecclesiae cathedralis in benedicendis et distribuendis sacris oleis* (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 117).

Ubinam olea Sacra consecranda sint.

Resolutio 10 febr. 1917 S. C. Consistor. in causa Sublacen. de dubio utrum consecratio sacrorum Oleorum eorumque distributio facienda esset a capitulo Cathedralis S. Andreae et in eius ecclesia, an ab Abbate monastico et in ecclesia S. Scholasticae, quae « iure potioritatis super ecclesia concathedrali S. Andreae eiusque canonicis fruitur ». Respondit *negative* (i. e. non pertinere ad eccl. S. Andreae). Rationem dedit Consultor quod consecratio et asservatio pro distributione Oleorum sacrorum est ius ecclesiae Cathedralis, quae in casu est S. Scholasticae. Contraria autem consuetudo S. Andreae iam admitti nequit, quia contra legem est et iura Ordinarii laedit.

Erratum in eadem causa.

Kk. Ad finem causae Sublacen. (A. A. S. 1917, p. 119, linea 4ª) addantur post verbum *Negative* « ad primam partem, *affirmative* ad secundam » (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 179).

Ll. *Transfertur sedes dioecesis Kearneyensis ad insulam « Grand Island »* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 230).

Translatio sedis episcopalis.

Decreto consistoriali, iussu Benedicti XV edito, 11 apr. 1917, dioecesis Kearngensis (in Statis foederatis Americae Septemtrionalis), in posterum *Insulae Grandis (Grand Island)* denominabitur, translata etiam sede in hanc civitatem maiorem, ad quam etiam facilis viarum accessus est. Suppletur consensus eorum quorum interesse possit. Ecclesiae S Mariae civit. Insulae Grandis honores et iura cathedralis ecclesiae tribuit, attributis quoque reditibus et bonis quae, tamquam cathedrali, ecclesiae Kearngensi competebant.

Mm. *Definitur quis usus debeat esse vestis clericalis in regione Canadensi* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 148).

Vestitus clericalis lex et usus.

Cum dubia orta essent circa vim ac sensum verborum concilii plenarii Quebecensis de usu vestis talaris aut brevioris iuxta morem locorum moderando, declaravit S. C. Consist d. 31 mart. 1916 : 1) penes episcopos

esse mutare formam vestis clericalis, si adiuncta id exigant ; 2) clericos peregrinos alterutra vestis forma a concilio probata in alia dioecesi posse uti, usquedum domicilium vel quasi-domicilium ibidem non acquisierint.

Nn. *Normae proponuntur de proponendis ad episcopale ministerium in Foed. Amer. Sept. Stat.* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 400).

Delectus episcoporum.

Decreto 25 iul. 1916, S. Congr. normas statuit iuxta quas abhinc proponentur S. Sedi nomina eorum, qui ad regendas dioeceses in Foed. Stat. Americae Sept. sint apti. Quolibet biennio omnes episcopi Metropolitano suo nomina eorum indicabunt quos ex testimoniis parochorum, consultorum dioecesanorum, aliorumque virorum ecclesiasticorum hoc munere dignos sciverint. In conventu episcoporum, praeside archiepiscopo, merita singulorum discutientur. Omnibus qui in hoc negotio partem habuerint silentium maxime strictum imponitur.

Oo. *Vicarius generalis constituitur in civitate S. Stephani* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 14).

Vicarius generalis certae sedi annexus.

Ex decreto 30 oct. 1916 S. C. Consist. unus ex vicariis generalibus Archiepiscopi Lugdunensis pro tempore stabiliter in civitate S. Stephani permanebit, charactere episcopali insignitus, et, vacante sede Lugdunensi, in munere perseverabit dependenter a vicario Capitulari Lugdunensi.

I. C., s. I.

76. — *S. CONGR. INDICIS*

A. *Opera prohibita* (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 314).

Opera prohibita.

Decreto 3 iun. 1914, S. Congr. Indicis proscripsit opera sequentia :

Henri Bergson, *Essai sur les données immédiates de la conscience.* Paris, Félix Alcan.

— *Matière et mémoire ; essai sur la relation du corps à l'esprit.* Ibid.

— *L'évolution créatrice.* Ibid.

Alois Konrad, *Iohannes der Taüfer.* Graz und Wien, 1911, *donec corrigatur.*

Damiano Avancini, *Modernismo ;* romanzo. Milano, 1913.

Rafael Uribe Uribe, *De cómo el liberalismo político colombiano no es peccado.* Bogotá, 1912.

Theodor Wacker, *Zentrum und kirchliche Autorität* in opusculo : *Gegen die Quertreiber.* Essen, 1914.

B. Decreto 12 apr. 1915 damnantur (A. A. S. 29 apr. 1915, 7, 180) :

Libri prohibiti.

Cyrillos Macaire, *La Constitution divine de l'Église.* Genève, 1913.

Philipp Funk, *Von der Kirche des Geistes.* Religiöse Essays in Sinne eines modernen Katholizismus. München, 1913.

Alph. Saltzmann, *Les remèdes divins pour l'âme et le corps.* Paris-Bruxelles, 1912.

Pierre de Couvelain, *Le Roman merveilleux.* Paris, s. a.

C. *Opera damnata* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 178).

Libri prohibiti.

Decreto 5 iun. 1916, S. Congr. Indicis proscripsit opera sequentia :

L. Salvatorelli ed E. Hühn, *La bibbia.* Introduzione all' antico e al Nuovo Testamento (L'Indogine moderno, vol. XIX). Milano ecc., Remo Sandron, s. a.

P. Iuan de Guernica, *La Perla de la Habana.* Sor Maria Ana de Iesús Castro, Religiosa Capuchina del Convento de Plasenira. Zaragosa, 1914, 2 vol. in-12.

Lodovica Keller, *Le basi spirituali della massoneria e la vita publica.* Todi, 1915.

Rivista di scienza delle religioni. Roma, Tipografia del Senato, 1916 (Decr. S. Off. 12 apr. 1916).

Dr Henri Mariavé, *La leçon de l'hôpital Notre-Dame d'Ypres. Exégèses du secret de la Salette.* Tome I, Paris 1915 ; tome II, Appendices, Montpellier 1915 (Decr. S. Off. 12 apr. 1916).

S. CONGR. PRO NEGOT. ECCLES. EXTR.

77. — *RESPONSUM EX AUDIENTIA SS^mi, 10 NOV. 1914*

De numismatibus-scapularibus in favorem militum benedicendis (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 673).

Ex audientia SS^mi, die 10 novembris 1914

Privilegium antea concessum commemoratur.

Pius f. r. Papa X, annuens precibus quas Eidem obtulerat R. P. Norbertus Monjaux, O. F. M., rector Instituti sacris scapularibus inter milites propagandis, rescripto, die 22 martii anno 1912 a Secretaria Status dato, benigne concessit ut omnes milites ex copiis terrestribus et maritimis, sub armis constituti, pro lubitu possent legitime, quovis tempore, sacris scapularibus ascribi iisque definitive ascripti permanere atque annexas indulgentias et gratias lucrari, ea tantum condicione, ut metallicum numisma, supremae S. Congregationis S. Officii decreto diei 16 decembris 1910 [1] praescriptum riteque benedictum, deferrent, nec tamen prius scapularia ex panno, uti par est, recipiendi lege tenerentur.

Milites magni faciunt beneficium gerendi sacri numismatis.

Cum autem ab eodem pii operis rectore S. Sedi nunc nuntiatum sit ingentem sane militum numerum quam plurimi facere spirituale numismatis illius gestandi beneficium, idque vehementer optare, nec ipsis pro rei necessitate praesto esse sacerdotes qui facultatibus singulas scapularium benedictiones numismati attribuendi polleant, SS^mus Dominus noster Benedictus, divina providentia Papa XV, referente me infrascripto sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, ad eosdem milites in optimo proposito confirmandos, ad ferventioris in iis excitandos pietatis sensus, atque etiam ad favores omne genus sacratissimi Cordis Iesu et beatissimae Virginis ipsis hoc miserrimo tempore conciliandos, benigne indulgere dignatus est ut omnes sacerdotes ex utroque clero, licet nondum ad confessiones approbati, in utilitatem militum cuiusvis gradus, qui e nationibus sint bellum gerentibus, usque dum hoc idem bellum ardeat, singulis scapularium benedictionibus ditandi praescripta a S. Officio numismata plenam habeant facultatem, eaque libere omnino uti possint ac valeant.

Ideo in eorum utilitatem extenditur ad omnes sacerdotes facultas numismata benedicendi.

Clausula.

Contrariis quibuslibet, iis nominatim quae statuta sunt in Motu Proprio diei 7 aprilis anno 1910, minime obfuturis

Dies (10 nov. 1914).

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Eugenius Pacelli, Secretarius.

ANNOTATIONES [2]

1. Decreto 16 dec. 1910 et declaratione eiusdem diei

[1] Cfr. PERIODICA, t. V, n. 468, p. 267.

[2] In conficiendis annotationibus ad facultates quae, durante bello in favorem militum vel eorum cappellanorum concessae sunt, saepe consuluimus optimum libellum a D^no F. X. Temmerman scriptum « Pouvoirs accordés par S. S. Benoît XV aux aumôniers militaires belges », Rennes, Paris, 1916. Supplément, Rennes-Paris. 1917. — In illo, praeter scriptoris commentarium, sententias aliorum quoque scriptorum comperimus, quas defectu periodicorum per hos quattuor annos ignorare coact sumus. Adducitur hoc verbo « Pouvoirs ».

S. Officium condiciones clare definierat quibus privilegia scapularibus deferendis addita usu pio numismatum acquiri poterant. (Cf. Per. V, p. 267). Quamquam facilior fiebat copia horum privilegiorum, usui numismatis praeire debebat impositio singulorum scapularium ex panno factorum rite facta.

2. Iam vero Pius Pp. X petenti R. P. Monjaux O. F. M. benigne concesserat (Rescript. Secret. Status 22 mart. 1912), ut milites, sub armis constituti, ab hoc onere essent immunes. (Per. VII, p. 224, n. 717.)

3. Ampliantur iterum favores in eadem materia concessi. Dum enim antea numisma ab iis tantum sacerdotibus qui speciali gauderent facultate, *rite* benedici poterant, potestas illa benedicendi cum omnibus sacerdotibus, licet nondum ad confessiones approbatis, communicatur, modo illa utantur « in utilitatem militum cuiusvis gradus, qui e nationibus sint bellum gerentibus, usque dum hoc idem bellum ardeat ».

a) Milites hic vocabis omnes qui decreto publico ad servitium militare vocantur, sive arma gerant, sive aegrotos curent, sive spirituale officium praestare debeant, ut sunt cappellani militum. Hi enim ipsis ducibus assimilantur.

Miles autem iam vocari nequit qui a servitio in tempus indefinitum liberatus, ab exercitu dimittitur. (Les démobilisés. Congé illimité.) Qui autem per aliquot dies ab onere servitii vacat (congé ordinaire) procul dubio militis nomine comprehenditur.

b) Nationes illae bellum non gerunt qui omne commercium publicum cum alio populo abruperunt, sed opus est ut bellum ipsi indixerint.

c) Quamquam indutiis factis bellum ardere iam non dicunt, minime tamen inde status belli ad finem perducitur, ideoque facultatum usus fieri poterit usque dum condiciones pacis ab hostibus admissae et subscriptione firmatae sint. Nam tunc populi bellum gerere iam dici non possunt. Privilegia tamen a militibus post bellum non amittentur.

d) Quod ad ipsa numismata, nihil de requisitis condicionibus remittitur, sc. debent in recta facie imaginem Christi Domini. Cor suum ostendentis, in aversa facie imaginem B. M. V. praebere (Cf. Per. V, l. c.).

4. Ut miles ergo omnibus privilegiis scapularium frui possit, satis est ut numisma, de quo supra, a quovis sacerdote tot signis crucis benedictum quot scapularia supplenda sint, decenter supra propriam personam gerat, et orationes piaque opera perficiat quae ad lucranda privilegia requiruntur. (Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablässe*, 14 ed. I. p. 502. Temmerman, *Pouvoirs*, p. 134.) I. C., s. I.

78. — *RESCRIPTUM 4 MAII 1915*

De facultatibus cappellanis militum Belgarum

(A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 268).

Enumerantur facultates concessae

Ssmus D. N. Benedictus divina providentia Pp. XV, annuens oranti R. D. Petro Francisco Xaverio Temmerman, exercitus Belgici capellano, preces infra scripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae referente, benigne indulsit, ut sacerdotes militum Belgarum cappellani, tum primarii tum suffecti, polleant precario, id est usque dum ardeat praesens hoc bellum, iis omnibus et singulis facultatibus quibus, tum ex concessione per Apostolicum breve *Quae catholico nomine*, a Pio Pp. IX facta die 6 iulii anno 1875, tum ex declaratione ad archiepiscopum Rhemensem, Emum dnum cardinalem Luçon, a Pio rec. mem. Papa X data die 14 septembris anno 1913, fruuntur sacerdotes in exercitu Gallico cappellani.

et conceditur facultas annectendi indulgentias « apostolicas » et S. Birgittae.

Praeterea beatissimus Pater iisdem sacerdotibus Belgarum militum cappellanis precariam, id est belli huius tempore valituram, facit potestatem benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixi effigies, icunculas seu statuas D. N. Iesu Christi, B. Mariae V. et Sanctorum parvulas, ac numismata, iisque omnes applicandi indulgentias, quae elencho prostant scriptae, edito, eiusdem Sanctitatis Suae iussu, a S. Congregatione S. Officii die 5 septembris anno 1914, itemque annectendi coronis precatoriis indulgentias a S. Birgitta nuncupatas.

Clausula.

Contrariis quibuslibet, iis nominatim quae « Motu Proprio » die 7 aprilis anno 1910 constituta sunt, minime obstantibus.

Dies (4 maii 1915).

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Eugenius Pacelli, Secretarius.

Annotationes

Elenchus indulgentiarum quae « apostolicae » dicuntur, invenitur n. **105**, infra.

Decreto d. 22 febr. 1919, declaratur cessasse facultatem cappellanis datam « benedicendi unico crucis signo coronas, cruces, numismata cum applicatione indulgentiarum ».

Ios. Pauwels, s. i.

DECRETA SUMMATIM RELATA

79. — *S. CONGR. PRO NEGOT. ECCLES. EXTR.*

Conceditur missa votiva B. M. V. de Guadelupe.

A. In audientia 14 oct. 1914, S. Pontifex concessit ut Missa votiva B. M. V. de Guadalupe, sicut eam celebrare permissum est in Mexicana regione, etiam extra hanc regionem a sacerdotibus exsulibus, iisdem perdurantibus calamitosis circumstantiis, celebraretur (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 544).

Consulitur necessitatibus captivorum.

B. In audientia 21 dec. 1914, S. Pontifex decernendum curavit ut Ordinarii locorum sacerdotes designarent qui captivorum necessitatibus et animi et corporis providerent (*A.* A. S. 30 dec. 1914, 6, 710).

C. *Conceditur additio invocationis in litaniis lauretanis* (A. A. S. 30 nov. 1915, 7, 498).

Invocatio addenda in litaniis.

In audientia 16 nov. 1915, Rom. Pontifex episcopis facultatem facit ut in sua dioecesi, durante bello, permittere possint additionem invocationis « Regina pacis, o. p. n. » post verba « Regina SS. Rosarii » in litaniis lauretanis.

D. *Ordinarius castrensis exercitus belgici* (A. A. S. 6 oct. 1915, 7, 463).

Nominatur Ordinarius Castrensis Belgarum.

Ex audientia SSi per Secretarium S. C. super neg. eccl. extraordinaria Ioannes Marinis *Cappellani maioris* seu *Vicarii castrensis munere* apud Belgarum exercitum, quandiu praesens hoc bellum duraverit fungetur.

Est Ordinarius proprius clericorum omnium, tum saecularium tum regularium, qui in castris vel in nosocomiis quibuslibet dant operam militibus belgicis in re spirituali iuvandis. Eius igitur erit, collatis cum auctoritate militari consiliis, sacerdotes deligere vel approbare qui ministerium suum uti *cappellani* penes militares copias exerceant, postquam a singulorum Ordinario sciscitatus erit num tanto muneri sustinendo sint pares ; — ob iustam causam, de auctoritatis militaris consensu, pro sua conscientia, potest eos ab officio amovere vel sacris interdicere, appellatione qualibet remota et monito unius cuiusque Ordinario. — Sublato quovis privilegio, omnes sacerdotes, in ministerio implendo ipsi pareant et etiam in exercendis facultatibus, occasione belli, a S. Sede concessis, et in annexa scheda indicatis. De dubiis, difficultatibus ipse, non alius interrogetur. — Unum vel plures sacerdotes qui vicaria potestate eum adiuvent constituere potest.

E. *Extenduntur iura ac potestas Ordinarii Castrensis apud Belgarum exercitum* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 17).

Extensio iuriunt.

Die 14 dec. 1915, ex Audientia SSi, S C. pro negot. eccl. extraordinariis auctoritatem Ordinarii castrensis apud Belgarum exercitum ita extendit ut possit *cumulative* cum Ordinario dioecesano vel Superiore religioso, iurisdictionem, in omnibus quae ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, exercere in ecclesiasticos milites (etiam religiosos novicios) qui deferendis militibus sauciis vel iisdem infirmis iuvandis ex officio dant operam, sed nullum munus spirituale exercent. I. C., s. I.

S. CONGR. S. OFFICII

80. — *DECRETUM 4 FEBR. 1915*

In favorem sacerdotum pia obiecta benedicentium tempore belli (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 66).

Derogatur clausulae consensum Ordinarii loci exigenti.

SSmus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, benigne indulsit, ut sacerdotes quilibet, sive saeculares sive regulares, qui ab apostolica Sede, directe aut indirecte, facultatem obtinuerunt pia obiecta benedicendi cum indulgentiarum applicatione, et s. ministerium exercent apud milites nationum, hoc tempore, bello contendentium, vel quomodolibet inter eos versantur, non teneantur clausula quae apponi solet : de consensu Ordinarii loci « in quo facultas exercetur ». Praesenti valituro hac eadem rerum condicione perdurante. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesinus, Assessor.

ANNOTATIONES

1. *Indirecte* facultates huiusmodi obtinent multi sacerdotes sive nomen dando piis quibusdam coetibus vel confraternitatibus, sive privilegiis Ordini vel Congregationi suae concessis.

2. Gratia hic facta non afficit tantum facultatem benedictione annectendi indulgentias « apostolicas ». Praeter quam quod verba sunt universalia « cum indulgentarium applicatione », finis ipsius decreti ad omnes facultates de hoc obiecto a S. S. obtentas manifeste spectat. Vult enim in primis S. Pontifex ut sacerdotes qui cum militibus tam saepe sedem mutant, in adhibendis facultatibus suis non impediantur necessitate recursus, saepe difficilis, ad Ordinarium loci.

3. Supra, n. 77, diximus eandem rerum condicionem duraturam saltem dum populorum rectores pacis foedera non inierint. I. C., S. I.

80bis. — *DECRETUM 16 DEC. 1915*

De concessionibus quibusdam pro tempore belli
(A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 7).

Declarantur et extenduntur facultates quaedam pro tempore belli concessae.

SSmus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, exhibitis postulationibus satisfacere volens, benigne declarare dignatus est, privilegia et facultates, indulgentias respicientia, sive apud omnes nationes, sive apud aliquot earum, occasione diuturni belli hodieque per Europam grassantis, tributa, nimirum : 1o privilegium Missarum, quae ubilibet in suffragium animarum illorum, qui in bello obierunt, celebrantur (S. C. S. Officii, die 28 ianuarii 1915) ;

2° dispensationem a clausula *De consensu Ordinarii*, circa benedictionem devotionalium pro sacerdotibus qui inter milites versantur (S. C. S. Officii, 4 februarii 1915); 3° et 4° facultatem pro sacerdotibus militiae ascriptis, impertiendi christifidelibus Apostolicam benedictionem cum plenaria indulgentia *in articulo mortis*, et applicandi, unico signo crucis, coronis, crucibus, crucifixis, ss. numismatibus et parvis statuis indulgentias, apostolicas nuncupatas (S. C. S. Officii, die 17 iunii 1915), extendi ad omnes nationes bello dimicantes, usque ad exitum belli valitura. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesinus, Assessor S. O.

ANNOTATIONES

Ex his facultatibus quartam sc. « applicandi, unico signo crucis,.... indulgentias apostolicas » finem habuisse statuit decret. S. C. Consist. 22 febr. 1919. De his facultatibus cf. supra pp. 168. 170.

Notandum est in eodem decreto varias declarari facultates, quarum plures ad sectionem de S. indulgentiis pertinent, quae hic non nominatur. I. C., s. I.

---

81. — *LITTERAE 3 APR. 1915*

Ad Emum ac Rmum Dnum Card. arch. Parisiensem super cultu sacratissimi Cordis Iesu Eucharistici

(A. A. S. 6 maii 1915, 7, 205).

Dubiis ortis de vi quorundam decretorum S. R. C.

Ad omnes dubietates et anxietates tollendas quae post evulgata sacrae Rituum Congregationis Decreta dierum 28 martii et 15 iulii anni superioris istic inter fideles exortae perhibentur, flagitabat nuper Eminentia Tua explicitam Sanctae Sedis declarationem super dubio : « Num titulus « *Cor Iesu Eucharisticum* servet sensum, quibuscumque non obstantibus, « quem habet in ultima collectione *(Raccolta)* indulgentiarum anni 1898 « et in Brevi dato a Leone XIII die 16 februarii 1903 ».

respondet S. Officium cuius « mens » proponitur.

Re delata ad supremam hanc sacram Congregationem sancti Officii, cuius est curare ne fidei puritas caeni quacumque permixtione turbetur, omnibus eadem mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV die 24 martii anni currentis, respondendum censuit : « Affirmative ; et « ad mentem. *Mens est* ut firma et immutata remanere debeant decreta « Sanctae Sedis quod ad emblemata, immo etiam quod ad partem liturgicam « devotionis erga Cor Iesu Eucharisticum ; attamen devotio ipsa erga « Cor Iesu Eucharisticum haberi debeat ut approbata ab Apostolica Sede « in sensu declarationis quae continetur in ultima collectione indulgen- « tiarum anno 1898 edita ».

Quo sensu devotio erga Cor Iesu Eucharisticum approbatur.

Caritas SSi Cordis in sacra Eucharistia

Quam quidem responsionem perpetuo hac super re Ecclesiae sensui apprime consonam facile inveniet quisquis paulisper secum reputet in ipsis Breviarii Romani lectionibus pro Officio festi sacratissimi Cordis

praecipue commendatur.

Iesu iam diu concesso, commendari praecipue « caritatem Christi patientis « et pro humani generis redemptione morientis atque in suae mortis « commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui, « ut [eam] fideles *sub sacratissimi Cordis symbolo* devotius ac ferventius « recolant, eiusdemque fructus uberius percipiant » ; et festum SSmi Corporis Christi cum eiusdem sacratissimi Cordis festo in sacra liturgia ita coniungi ut alterum alterius quasi sequela et complementum videatur. Nil igitur mirum si, inolescente postea devotione erga sacratissimum Cor Iesu Eucharisticum, constanter ab Apostolica Sede declaratum fuerit « cultum erga sacratissimum Cor Iesu in Eucharistia non esse perfec- « tiorem cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alium a cultu erga « sacratissimum Cor Iesu ».

Nullo modo devotio erga SS. Cor Iesu Eucharisticum improbatur, sed « nova » emblemata, imagines, tituli prohibentur.

Ex quibus omnibus plane consequitur devotionem erga sacratissimum Cor Iesu Eucharisticum nedum umquam a Sancta Sede improbatam haud fuisse, quin immo pluries positive recognitam : hoc tamen omnino et non alio sensu, nova vero circa eam emblemata, imagines, titulos ac festivitates liturgicas ideo potissimum vetitas fuisse, ne forte simplicium animis, novitatis amore captis, devotionem ipsam in erroneos vel minus opportunos sensus deflectentibus, res tam sancta obloquentium dicteriis exponeretur.

Dum Te igitur precor ut huius adeo salutaris devotionis frequentatores, veram et genuinam Apostolicae Sedis mentem prudenter edoctos, in sancto proposito confirmare satagas, honori mihi duco altissimae aestimationis meae sensus exprimere Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor.

Datum ex aedibus S. O. die 3 aprilis 1915.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*

Annotationes

His litteris confirmantur quae R. P. Vermeersch, commentando decreta S. R. C. supra citata, iam dixerat de sensu quo Romani Pontifices, ac praesertim v. m. Leo XIII, devotionem erga SS. Cor Iesu Eucharisticum approbaverant. Quare liceat ad illos commentarios lectorem remittere. (Cf. Period. VIII, pp. 14 ss.) I. C., s. I.

---

82. — *DECRETUM 21 DEC. 1915*

Circa vulgo dictum « Secret de la Salette »

(A. A. S. 31 dec. 1915, 7, 594).

Quidam, sine licentia aut contra praeceptum Ordinariorum, Secretum « de la Salette » interpretantur.

Ad Supremae huius Congregationis notitiam pervenit quosdam non deesse, etiam ex ecclesiastico coetu, qui, posthabitis responsionibus ac decisionibus ipsius S. Congregationis, per libros, opuscula atque articulos in foliis periodicis editos, sive subscriptos sive sine nomine, de sic dicto *Secret de la Salette*, de diversis ipsius formis, nec non de eius praesentibus aut futuris temporibus accommodatione disserere ac per-

tractare pergunt ; idque non modo absque Ordinariorum licentia, verum etiam contra ipsorum vetitum. Ut hi abusus, qui verae pietati officiunt, et ecclesiasticam auctoritatem magnopere laedunt, cohibeantur, eadem Sacra Congregatio mandat omnibus fidelibus cuiuscumque regionis ne, sub quovis praetextu vel quavis forma, nempe per libros, opuscula aut articulos sive subscriptos sive sine nomine, vel alio quovis modo, de memorato subiecto disserant aut pertractent. Quicumque vero hoc Sancti Officii praeceptum violaverint, si sint sacerdotes, priventur omni, quam forte habeant, dignitate et per Ordinarium loci ab audiendis sacramentalibus confessionibus et a missa celebranda suspendantur ; et si sint laici ad Sacramenta non admittantur donec resipiscant. Utrique insuper subiaceant sanctionibus latis tum a Leone Pp. XIII per Constitutionem *Officiorum ac munerum* contra eos qui libros de rebus religiosis tractantes sine legitima Superiorum licentia publicant, cum ab Urbano VIII per decretum *Sanctissimus Dominus Noster* datum die 13 martii 1625 contra eos qui assertas revelationes sine Ordinariorum licentia vulgant. Hoc autem decretum devotionem non vetat erga Beatissimam Virginem sub titulo *Reconciliatricis* vulgo *de la Salette* nuncupatam.

Prohibetur abusus, verae pietati periculosus,

sub poenis severissimis.

Ipsa tamen devotio non vetatur.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 21 decembris 1915.

Dies (21 dec. 1915).

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

---

83. — *DECLARATIO 19 FEBR. 1916*

Circa facultatem episcoporum in reconciliandis haereticis vel apostatis (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 61).

Cum non nulli episcopi supplices preces Supremae Sancti Officii Congregationi exhibeant ad facultates pro haereticorum vel apostatarum reconciliatione obtinendas, E^mi ac R^mi D^ni Cardinales Inquisitores Generales, in consessu habito feria IV die 16 febr. 1916, ad omne dubium hac super re amovendum, haec declaranda mandarunt :

Occasio declarationis.

1. Absolutio ab excommunicatione, qua quis ob haeresim vel apostasiam sit irretitus, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo, secundum praescripta in Constitutione *Apostolicae Sedis*, Summo Pontifici reservata.

Reservatio excommunicationis ob haeresim.

2. Si tamen crimen haeresis vel apostasiae ad forum externum episcopi aut praelati episcopalem vel quasi-episcopalem auctoritatem habentis, aut per spontaneam confessionem vel alio quovis modo deductum fuerit, episcopus vel praelatus sua auctoritate ordinaria resipiscentem haereticum vel apostatam, praevia abiuratione iuridice peracta, aliisque servatis de iure servandis, in foro exteriori absolvere poterit. Absolutus autem in foro exteriori potest deinde absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae absolutione sacramentali. Abiuratio vero iuridice peracta habetur cum fit coram ipso episcopo vel praelato, aut eorum delegato, et saltem duobus testibus.

Potestas episcopi ad absolvendum in foro externo.

Vis absolutionis in foro interno.

Quid iuridica abiuratio.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, 19 febr. 1916.

Dies (19 febr. 1916).

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

ANNOTATIONES

Distinctio in hac declaratione facta inter delictum haeresis occultum vel etiam publicum, sed ad forum iudiciale non deductum, et illud quod ad hoc forum est delatum, iam in probatis omnibus auctoribus est proposita et a Benedicto XIV, *de Syn. dioec.* l. IX, c. IV, IV et ss. fusius exponitur. Episcopi enim sunt « inquisitores nati » haereseos, ideoque, sicut in haereticos inquirere debent, ita resipiscentes quorum causa ad eorum tribunal defertur, tamquam iudices ordinarii cum Ecclesia reconciliare possunt. Sublata autem excommunicatione, peccatum iam ab omni confessario condonari potest. Cf. OIETTI, *Synopsis*, V° Haeresis.

Cum autem iudicium de haeresi privative ad S. Officium et episcopos, tamquam « inquisitores » reservetur, « praelati episcopalem vel quasi-episcopalem auctoritatem habentes » de quibus est sermo in altera parte declarationis, non possunt esse nisi Ordinarii loci, i. e. vicarii et praefecti apostolici episcopi residentiales, vicarii capitulares, abbates et praelati *nullius*. Quod erat notandum cum, usu ordinario, verba illa etiam Praelatos regulares designent. Ceterum in Cod. can. 2314 § 2, quo huius declarationis verba fere resumuntur, dicitur « si tamen delictum... ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit.... » I. C., s. I.

---

84. — *DECRETUM 8 APR. 1916*

Circa imagines exhibentes Beatissimam Virginem Mariam indutam vestibus sacerdotalibus

(A. A. S. 5 maii 1916, 8, 146).

Occasio decreti.

Cum recentioribus praesertim temporibus pingi atque diffundi coepissent imagines exhibentes Beatissimam Virginem Mariam indutam vestibus sacerdotalibus, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales, re diligenter perpensa, fer. IV, die 15 ianuarii 1913, decreverunt : « imaginem B. M. Virginis vestibus sacerdotalibus indutae esse reprobandam ».

Prohibitio imaginis.

Feria vero IV, die 29 martii 1916, huiusmodi decretum publicandum mandarunt.

Dies (8 apr. 1916).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 8 aprilis 1916.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

ANNOTATIONES

Quamquam S. Officium hoc decreto formam aliquam cultus B. M. V. reprobat, patet non condemnari ea quae docti sanctique scriptores de « sacerdotio Mariae » docuerunt. Imaginibus vero « Virginis Sacerdotis » indocti ad falsum

conceptum partium Mariae in redemptionis oeconomia religionisque a X° D° institutae induci possent. De « sacerdotio Mariae » consuli possunt v. g. TERRIEN, S. I. *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*, 1ª pars, I, p. 252. VERMEERSCH, S. I. *Méditations sur la T. S. V.* I. C., s. I.

---

85. — *RESCRIPTUM 13 APR. 1916*

De indulgentia christianae salutationis : « Laudetur Iesus Christus » (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 146).

Dubium. Andreas archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum Supremae S. Congregationi S. Officii sequens proposuit dubium : « Christiana salutatio « *Laudetur Iesus Christus* habet, praeter indulgentias tempore vitae, « etiam indulgentiam plenariam hora mortis, si is qui consuevit salutationem hanc in vita usurpare, in hora mortis SS. Nomen Iesu saltem « corde, si non potest ore, invocaverit. Quaeritur igitur, num ad istam « indulgentiam in hora mortis lucrandam, etiam tamquam condicio pertineat, ut moribundus mortem tamquam peccati stipendium de manu « Domini patienter sustineat ? »

Responsum. Emi DD. Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 12 aprilis 1916, responderunt : « Observentur opera praescripta, prout descripta inveniuntur in *Raccolta di orazioni*, etc., a S. Congr. Indulgentiarum « approbata die 23 iulii 1898, eodem anno edita, pag. 54, n. 36 ».

Dies (13 apr. 1916). Et feria V, die 13 aprilis 1916, SSmus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, supra relatam dubii solutionem Emorum Patrum ratam habuit et confirmavit.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.
D. Pasqualigo, O. P., Comm. Gen. S. O.

ANNOTATIONES

Indulgentiam plenariam in articulo mortis, de qua in dubio, lucrantur fideles qui per vitam piam habebant consuetudinem invicem salutandi, dum dicenti alteri « Laudetur I. C. » alter responderet « Amen » vel « in saecula », aut qui saepe invocabant nomen Iesu. Sola condicio in hora mortis requisita est ut saltem corde, si ore minus possunt, illud s. nomen invocent. (Cf. Raccolta, l. c.). I. C., s. I.

---

86. — *RESCRIPTUM 10-11 MAII 1916*

De SS. Numismatibus loco scapularium benedicendis (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 175).

Dubium. Proposito dubio quod sequitur a R^mo Procuratore Generali Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum : « Utrum, sicut sufficit primum scapu-« lare (v. g. B. Mariae V. de Monte Carmelo), quod in ascriptionis actu « induitur, benedicere, quin deinde alia eiusdem generis scapularia nova « benedictione egeant pro eadem persona, ita etiam sufficiat primum « numisma benedicere, quin alia numismata, quae primo deperdito vel « usu detrito assumuntur, nova benedictione muniantur, vel utrum numis-« ma totiens sit benedicendum quotiens, primo deperdito vel usu detrito, « novum sufficitur ? »

Responsum. E^mi Patres Cardinales Generales Inquisitores, in Congregatione habita feria IV, die 10 maii anni 1916, responderunt : « *Negative* ad primam partem ; *Affirmative* ad secundam ».

Dies (11 maii 1916). Quam dubii resolutionem SS^mus D. N. D. Benedictus div. prov. Papa XV, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita feria V, die 11 maii eiusdem anni, benigne approbavit.

Clausula. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor S. O.

Annotationes

Responso omnino confirmatur sensus obvius decreti 16 dec. 1910, quo concessus est favor ut decenti delatione numismatis, tot benedictionibus distinctis muniti quot scapularium locum teneret, privilegia scapularium obtinerentur. De his numismatibus cf. Period. V. p. 267 (ubi loci praecedentes indicantur), VI p. (5), VII, p. 161. Notandum tamen est ex Cod. Can. 924 indulgentias his numismatibus annexas non cessare si ab illis, qui ea iam super propria persona detulerint, aliis commodentur vel dentur, modo ne illis vendantur. I. C., s. I.

---

87. — *RESPONSUM 7-8 IUN. 1916*

De indulgentiis a tertiariis saecularibus Ordinis Minorum lucrandis (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 263).

Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii sequentia humiliter exposuit :

Occasio dubiorum. Recolendae memoriae Pius Papa X, per Breve *Sodalium e Tertio Ordine*, datum die 5 maii 1909, in perpetuum concessit : « Ut quibus pontificalis « indulgentiae donis fruuntur, quosque de bonis operibus spirituales « fructus percipiunt familiae seraphicae primi et alterius Ordinis, ea omnia

« Tertiarii Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis Instituti, « vitae mortisque tempore participent ». Insuper idem Pontifex oblatis sibi in eam rem precibus annuens, propriaque manu supplici libello subscribens, die 17 eiusdem mensis et anni in perpetuum pariter concessit : « Quatenus laudata indulgentiarum et spiritualium fructuum communi- « catione perfrui in perpetuum possint quotquot sub patriarchae seraphici « sancti Francisci vexillo militant, ad quemcumque Ordinem vel Ordinum « familiam pertineant ».

Iam vero ex hac indulta communicatione indulgentiarum, non pauca dubia suborta sunt, quod ad eiusdem interpretationem et applicationem ad casus particulares. Quapropter, ut secure procedatur in re tanti momenti, orator suppliciter rogavit ut authentice solverentur haec dubia :

Dubia.

I. Utrum vi praedictae communicationis, ecclesiae seu publica oratoria quae sint propria Tertii Ordinis Saecularis Franciscalis, gaudeant indulgentiis concessis cuilibet ecclesiae et oratorio publico primi et secundi Ordinis nec non Tertii Ordinis Regularis, favore omnium fidelium qui ea loca certis diebus visitaverint ?

II. Utrum fideles ascripti Tertio Ordini S. Francisci lucrari possint indulgentias directe concessas ecclesiis seu oratoriis primi, secundi et tertii Ordinis Regularis, si loco ipsorum visitent ecclesiam seu capellam in qua sedes sodalicii est constituta, quamvis haec ecclesia seu capella ad Tertium Ordinem proprie non pertineat ? Et, si affirmative,

III. An vi indultae communicationis, Tertiarii lucrari valeant indulgentiam plenariam concessam visitantibus ecclesias primi Ordinis in Commemoratione omnium Fratrum defunctorum, tum in die quo eadem Commemoratio celebratur apud Familiam sub cuius oboedientia vivunt, tum etiam in die quo apud alias Familias celebratur, id est pluries per annum ?

IV. Utrum indulta pro consequendis indulgentiis favore Tertiariorum infirmorum, impeditorum, etc., de quibus agitur cap. V Summarii approbati a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 11 septembris 1901, respiciant dumtaxat indulgentias Tertio Ordini Saeculari directe concessas, an etiam communicatas ex primo, secundo ac tertio Ordine Regulari ?

V. An haec communicatio, a Pio X indulta, valeat tam pro indulgentiis ad ea usque tempora concessis quam pro illis quae in posterum Ordini Franciscali concedentur ?

Responsa.

Et E^mi Domini Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 7 iunii 1916, in ordinario coetu coadunati, respondendum censuerunt :

Ad I et II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative*, sed semel tantum in anno.

Ad IV. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad V. *Affirmative.*

Dies (8 iun. 1916).

Facta autem, feria V subsequenti, die 8, iisdem mense et anno, relatione Ss^mo D. N. Benedicto div. prov. Papae XV, per R. P. D. Assessorem, Sanctitas Sua sententiam E^morum Patrum benigne ratam habuit et confirmavit.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor.

88. — *DECRETUM 21-22 IUN. 1916*

De formulis precum indulgentiis ditatis non interpolandis (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 265).

Dubium. Ab hac Suprema Sacra Congregatione S. Officii petitum fuit: « An « formulae precum, ob aliquam immutationem in iis introductam, indul- « gentias iisdem a Sancta Sede annexas amittant? ». Porro cum huiusmodi formulae indulgentiis ditatae, antea accuratae revisioni subici soleant, ac eis proinde quidquam demere, superaddere, vel in alios sensus inflectere, irreverentia et periculo non careat, et abusibus ansam praebere queat, E^mi ac R^mi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV, die 21 iunii 1916, declarandum censuerunt: « Formulas quascumque precum, laudum, invocationum, et « cetera, a Sancta Sede indulgentiis ditatas, per quamlibet additionem, « detractionem, interpolationem, concessis indulgentiis plane destitui ».

Responsum.

Dies (22 iun. 1916). Et sequenti feria V, die 22, Ss^mus D. N. Benedictus div. prov. Pp. XV, in solita audientia R. P. D. Assessori Supremae S. Congregationis S. Officii impertita, relatam sibi E^morum Patrum resolutionem benigne approbare ac confirmare dignatus est.

Clausula. Contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua recordatione dignis, non obstantibus.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor.

Annotationes

Notandum est indulgentias amitti tantum « per quamlibet additionem, detractionem, interpolationem »; ideoque, ubi *authentica* versio precum illarum non est data, scrupuli non sunt movendi si, ut saepe fit, variae eiusdem orationis versiones inveniantur, modo sensus textus authentici accurate reddatur. At decreti vis latius patet quam eius optima motiva. Non illa ergo tantum additione, detractione, interpolatione quae « irreverentia et periculo non careat aut abusui ansam praebere queat » sed *qualibet* huiusmodi mutatione preces concessis indulgentiis destituuntur. Haud inutile videtur ut Rectores religiosarum mulierum illas huius decreti certiores faciant. Haud ita raro enim ex indiscreta devotione preces verbis quae affectum magis moveant adornant. Idem dicendum si preces latinae versibus in linguam vernaculam vertantur, ita ut facilius memoria teneantur: vix enim non aliquot additionibus et interpolationibus metrum et mensura versus obtinebitur. I. C., s. I.

89. — *INSTRUCTIO 13 IUL. 1916*

De casuum conscientiae reservationibus

(A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 313).

Cum abusus reservationum in animarum perniciem vergat,

Cum experientia comprobatum sit casuum, quos vocant, conscientiae reservationes, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potius quam in earum utilitatem vergere posse, Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, praecedentibus ad rem dispositionibus novas, pro opportunitate temporum, superaddens, de expresso mandato SS^mi^ D. N. Benedicti divina providentia Pp. XV, haec cum omnibus et singulis R^mis^ locorum Ordinariis *decretorie* omnino ac *praeceptive* communicanda statuit :

haec constituit S. Offic.

1. Ne casus reservent Ordinarii inconsultis prudentibus ac probatis viris.

1. Meminerint ante omnia R^mi^ Ordinarii casuum conscientiae reservationes *ad destructionem munitionum*, iuxta dictum Apostoli (2 *Cor* , X, 4), ad removenda scilicet obstacula quae saluti animarum *non communi* impedimento sunt, esse dirigendas ; ideoque, generatim loquendo, extraordinario huic remedio manus ne velint apponere nisi, re in synodo dioecesana discussa, vel, extra synodum, auditis capitulo cathedrali et aliquot ex probatioribus ac prudentioribus suae dioecesis animarum curatoribus, de vera reservationis necessitate aut utilitate in Domino convincantur.

2. Casus reservati sint pauci, de crimine gravi et actuali.

2. Utcumque, casus reservandi sint *pauci* omnino, *tres* vel, ad summum, *quattuor*, atque ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus *specifice* determinandis ; ipsa vero reservatio non ultra in vigore maneat quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

3. Ne reserventur peccata interna aut sive malitia speciali.

3. Reservationi, generatim, ne submittantur sive *peccata mere interna*, quippe quae, ut docet Benedictus XIV (*De syn. dioec.*, V, 5, 5), *non est in praxi receptum ut umquam reserventur*, propter animarum periculum ; sive quae ex *humana fragilitate* derivantia aliam non habeant specialem sibi coniunctam malitiam, propter humanam infirmitatem.

4. Neque illa quae iam S. S. sunt reservata aut censura plectuntur.

4. Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis Ordinarii abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae reservata, ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges ; et, regulariter, ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit ; hoc enim expresse prohibet vetus Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 26 novembris 1602, quae ita se habet : « Praesertim vero haec monenda censet « Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii ne illos casus promiscue « reservent quibus annexa est excommunicatio maior a iure imposita, « cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens « scandalum aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus « nominatim reservandi viderentur ».

5. Cauti sint in poenis infligendis.

5. Cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim, quibus forte suas reservationes communire velint ; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. 25, *de Ref.*, c. 3) : Quamvis excommunicationis « gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio « populos valde salutaris ; sobrie tamen magnaque circumspectione « exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus

« incutiatur, magis contemni quam formidari et perniciem potius parere « quam salutem ».

6. Curent ut statutae poenae cognoscantur,

6. Verumtamen, statutis semel reservationibus quas vere utiles aut necessarias iudicaverint, curent omnino ut ad *certam* fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eaedem deducantur — nam quaenam earum vis, si lateant? — easque, quam diu necessitas aut utilitas perduraverit, firmas tenant, seu facultatem a reservatis absolvendi ne cuivis et passim impertiant. Mens tamen est S. Congregationis ut huiusmodi absolvendi facultas *habitualiter* impertiatur saltem canonico Paenitentiario, etiam ecclesiae collegiatae, et vicariis foraneis eorumve vices gerentibus, addita his ultimis, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, etiam facultate subdelegandi *totiens quotiens* confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant.

neque facultatem absolvendi promiscue concedant.

7. Adiuncta determinantur quibus omnis reservatio cessat.

7. Ad evitanda demum gravia inconvenientia quae ex reservationibus, utilibus quoque ac necessariis, in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis facile oriri possent, eadem S. Congregatio, nomine et auctoritate Sanctissimi, sequentia decernit :

a) Quaevis Ordinariorum reservatio *ipso iure* cessat sive cum aegrotis qui domo excedere non valent, confiteri cupientibus ; sive cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa ; sive tandem quotiens, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat absque gravi paenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

b) Cessat pariter reservatio si, petita pro aliquo determinato casu a legitimo Superiore absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit : cessat tamen pro ea vice tantum.

c) Toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, a casibus quos quomodolibet sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt, absque alius facultatis ope, parochi quive parochorum nomine in iure censentur.

d) Quo tempore Sacras Missiones ad aliquem populum haberi contingat, eadem absolvendi facultate gaudent singuli Missionarii.

e) Postremo, a peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt paenitentes in alia dioecesi ubi reservata non sunt, a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint.

8. Bonorum confessariorum ope potius mala eradicare studeant.

8. Sed, denique, studeant potissimum Ordinarii doctos, pios ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, iisque opportuniora ad inolita vitia convellenda remedia suggerant quae ipsimet, si paenitentes ad se remitterentur, adhibituri forent. Quo, dum et confessariis et paenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt. Interim vero casuum reservatorum, si qui in propria dioecesi constituti sint, disciplinam ad haec praescripta quam primum reducere, servato modo art. 1° statuto, et haec omnia suos confessarios apprime edoceri satagant.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 13 iulii 1916.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*

Annotationes

N. B. Instructio ista, paulo ante Codicem confecta, in canones 893-900 novi Codicis suscepta est, nisi quod : a) Ad quaslibet *peccatorum* reservationes, etiam quae a Superiore religioso vel a S. Sede profectae sint, extensa est; — b) Restricta tamen est ad *peccatorum* reservationes, ita ut, nisi clare aliter disponatur, praesentes regulae ad reservatas censuras applicari non possint ; c) Quod ceteri omnes sibi reservare peccata prohibentur quae Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata sint ; d) Quod canonicus paenitentialis, etiam ecclesiae collegiatae, *ipso iure* a reservatis dioecesanis absolvere permittatur ; e) Quod facultas subdelegandi, quae vicariis foraneis facienda praecipitur, ad casus urgentiores limitari potest.

Quocirca, his conotatis, praesentes commentarii etiam post Codicem promulgatum et vigentem, plenam suam utilitatem servant.

I. — **Quaestio praevia.** — In primis quaeres quo interpretationis genere, *stricto* an *lato*, utendum sit. *Per se*, cum S. Sedes velit, severitatem moderando, detrimenta animarum imminuere aut vitare, ipse finis, qui favorabilis est, et ipsum medium, quod sanctionibus quae strictam interpretationem ferunt contrarium est, id est rigoribus et poenis, latam interpretationem adhibendam esse suadent.

Quia tamen Instructio divisibilis est, pro variis partibus interpretationis ratio variare potest et re vera variat. Quare sic dicemus :

Quatenus reservationes *directe* aufert, instructio favet libertati, ac proin benigne interpretanda est. Strictae contra interpretationi subiciemus partes quae *directe* quaedam Ordinariis vetant. Et cum finis elementum principale sit, instructio regulariter late interpretanda est, ita ut stricta interpretatio rationem exceptionis induat.

II. — **De Introductione.** — 1. Cum S. Congregatio praecedentes dispositiones commemoret, eas breviter hic recensere iuvabit. Itaque :

a) C. Tridentinum, s. XIV, c. 7, vim et efficaciam, etiam coram Deo, affirmat reservationis cum papalis tum episcopalis ; reservationem cadere supponit in « atrociora et graviora crimina », agi « causas aliquas criminum graviores » ; declarat episcopis licere ut casus reservent, praesertim quod ad illa quibus excommunicationis censura annexa est ; « in aedificationem tamen, non in destructionem » ; aufert reservationem omnem in articulo mortis, extra quem casum sacerdotes nihil in casus reservatos possunt. — Et canon XI

anathematizat negantes potestatem episcoporum reservandi casus coram Deo.

b) Clemens VIII, decreto 26 maii 1593, quod Urbanus VIII, 21 sept. 1624 confirmavit, impedivit ne Superiores regulares, ultra undecim casus, quos ipse descripsit, reservent.

c) S. Congregatio *Episcoporum et Regularium*, 9 ian. 1601, monet episcopos ut paucos casus reservent, eosque tantum « quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint. »

d) Eadem S. Congregatio, 26 nov. 1602, inculcat ne passim, « sed cum id videbitur communi bono expedire, atriociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent... Prohibet etiam ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Cenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae *specialiter* reservatos. »

e) Litteris autem circularibus eiusdem diei 26 nov. 1602, monet ne *promiscue* casus reservent quibus ius annexuit excommunicationem maiorem nemini reservatam, « nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam, aliqui huius modi casus nominatim reservandi viderentur », nec casus in quibus absolutio nisi facta obligationis exsecutione confertur, nec casus qui, quamvis mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent. Commendant eaedem litterae multam circumspectionem in peccatis carnalibus reservandis, « propter periculum scandalorum in iis maxime personis in quas, ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest ». Denique monet ut episcopi decernant quid, omnibus perpensis, magis in Domino expedire videatur.

In iisdem litteris circularibus, de Sanctissimi mandato, S. C. monuit Ordinarios ut per totam dioecesim, ac praesertim in locis a civitate episcopali distantibus, paenitentiarios et alios sacerdotes delegent qui absolvere ipsi possint, et facultatem aliis confessariis etiam viva voce impertire; idque maxime in sollemnitatibus et praecipuis anni festivitatibus. (Bizzarri, *Collectanea*, p. 16.)

f) S. C. *Concilii*, 29 ian. 1661, episcopum Bellicastrensem iussit ut catalogum nimium suum ad decem, summum duodecim graviores casus reduceret. (Benedictus XIV, *De synodo*, l. 5, c. 5, n. 4 vel Bizzarri, p. 826 et 15.)

g) Non semel, v. g. 29 ian. 1661, S. C. *Concilii* catalogum episcopi temperavit.

Die 3 iul. 1677, improbavit reservationem qua reservaban-

tur peccata clericorum contra sextum, quamvis episcopus dixisset severitatem istam ad morum emendationem multum contulisse. (Cf. Oietti, *Synopsis*, n. 3490.)

h) Anno 1817, 6 iun. S. C. *Propagandae Fidei* imperavit ut novae reservationes in vicariatu Apostolico Sutchuensi inductae revocarentur, his verbis : « Quoniam vero minor fructus sperari potest, si in tam dissitis regionibus, in tam exiguo ministrorum numero, in tantis temporum angustiis, tantisque ex persecutione ipsa impedimentis, nova casuum reservatione, artioribus eorum iurisdictio circumscribatur limitibus, ideo Ecclesiae bonum postulat ne plures nunc casus reserventur quam canonica lex praescribit et vetus postulat consuetudo. Quare reservationes noviter inductae erunt omnino revocandae. » (Collect. P. F., n. 725, p. 424, tomi I).

i) In magna Instructione quam, 8 sept. 1869, dedit ad vicarios Apostolicos Indiarum Orientalium, n. 49, S. C. *P. F.* iussit ut ad normam operis Benedicti XIV, l. 5, c. 4 et 5, redigant in scriptis notulam casuum reservatorum « praehabito praestantiorum missionariorum consilio » (Coll. t. II, n. 346.)

2. In fine introductionis, SS. D. N. Benedictus XV statuisse dicitur ut haec *decretorie* et *praeceptive* locorum Ordinariis communicarentur. — Iam vero *decretorie* significat tamquam per decretum definitivum ; *praeceptive* indicat vim praecepti conscientiam ligantis.

Quia autem communicatio solis locorum Ordinariis fit, inde colligimus, Superiores regulares decretis istis formaliter non attingi. In toto ceterum suo tenore, dioecesanae reservationes supponuntur. (Sed confer nunc N. B. initio.)

III. — **De singulis paragraphis Instructionis.**

De § 1. a) Explicanda occurrunt verba Apostoli « Ad destructionem munitionum ». In 2 epist. ad Corinthios, c. 10, v. 4, Apostolus hac metaphora utitur ad designanda, sicut verba sequentia probant, tum callida sophismata tum superbam rebellionem, obstinationem. (Cf. Cornely in hunc locum.) — Agitur itaque de peccatis quibus accedit pertinacia sive calliditatis fraudantis et eludentis, sive resistentiae superbae. Casus occurrit, v. g. in re matrimoniali, ubi, spreta auctoritate ecclesiastica, civiliter tantum contrahere praesumunt, vel libertatem nuptiarum adulterinarum per divortium civile obtinere tentant. Casus quoque fuerit illius qui praxes neomalthusianas propagaverit, Ecclesiam nimiae severitatis arguerit, confessarium malitiose decipere voluerit.

b) Quare, ut prudentior fiat casuum delectus, monentur

locorum Ordinarii ut casus generatim ne reservent nisi res in synodo agitata fuerit, vel, extra synodum, capitulum cathedrale et aliquot e prudentioribus animarum curatoribus auditi fuerint.

Valent tamen reservationes extra synodum et ab episcopo solo indictae. Potestas enim ipsi non eripitur ; monetur tantum ne *generatim* id faciat.

c) Eadem paragrapho principium ponitur : Casus sine vera necessitate aut utilitate reservandi non sunt.

De § 2. Dispositione ista tria praecipiuntur : Casus sint pauci numero ; sint specifice determinati, reservatio per se sit temporaria, quatenus « non ultra in vigore maneat quam necesse sit ».

a) Verba tamen ista non indicant diem qua ipso iure cessent, sed postulant actum episcopi quo reservatio tollatur.

b) Peccant quidem episcopi qui plures numero, vel diutius quam causa postulet, casus reservent. Valide tamen agunt, cum nulla clausula potestatem auferat.

c) Specifice determinandi sunt casus : idest, ne genus reservet qui speciem quandam attingere meditatur, sed casum circumscribat iis notis vel adiunctis (v. g. ponat adulterium *concubinarium*, egressum *nocturnum*) quae reservationem postulant.

De § 3. Paragrapho ista agitur de peccatis *internis* et de peccatis *ex mera fragilitate* derivantibus. Si sententiam materialiter inspicias, de utrisque dicitur : « *generatim* ne reserventur » ; consonatque dictum a Suarez, qui addit id « regulariter non expedire » ; sed tam universaliter negatur a Benedicto XIV umquam ab episcopis aut a S. Pontifice reservata fuisse peccata interiora, et res tam acriter carpitur, ut ex mente S. Congregationis vox *generatim* ad alteram tantum partem, idest ad peccata ex fragilitate derivantia referenda videatur.

a) *De peccatis internis*. Reservatio peccati interioris valida est quia, sic Suarez, « non est usus iurisdictionis externi fori, sed est ablatio iurisdictionis pro foro sacramentali, quam episcopus, sicut dare potest, ita etiam auferre » (*De Fide*, d. 21, s. 4, n. 2.). Locus citatur a Benedicto XIV, Syn. l. 5, c. 5, n. 5, qui allegat quoque Vasquez et C. de Lugo.

Verba « propter animarum periculum » desumpta sunt ex Suarez, qui, l. c. ea sic breviter explicat : « Nam actus interiores frequentes et molesti sunt, et difficile cognoscuntur ».

c) Peccata ex mera fragilitate non sunt reservanda, quia et ipsa « propter humanam infirmitatem » frequentiora esse solent, ac frequentia casus reservati usum tribunalis Paenitentiae nimis molestum et impeditum efficeret.

De § 4. Paragraphus ista in binas partes dividitur, quarum prior absolutam prohibitionem, altera temperatam voce *regulariter* prohibitionem continet.

Priore parte agitur de peccato quod, *qua tale*, est S. Sedi reservatum : sic falsa denuntiatio sollicitationis in confessione. De valore autem dispositionis qua episcopus casum istum reservet, sic dicendum est : Reservatio ab episcopo casus reservati Papae nulla est, si in sensu composito intellegatur. « Nulla, ait d'Annibale, I, 339, nota 19, est mixta (id est pontificia simul et episcopalis) reservatio : nec esse potest ; nam quae ad Superioris iudicium avocantur ipso iure a iurisdictione inferiorum subtrahuntur ». Cf. de Lugo, *De Paenitentia*, d. 20, n. 149. 151. Verba tamen instructionis mere, temperatius, allegant necessitatem non multiplicandi leges inutiliter. Imitantur scilicet moderationem decreti 1602, quod etiam valorem reservationis episcopalis afficientis casus Bullae Cenae non examinat. Episcopalis reservatio valere tamen possit, si reservatio Papae postulet ut scienter, cum reservationis notitia, commissum sit peccatum, vel aliud adiunctum habeat ab episcopo non requisitum.

Altera parte agitur de peccatis quibus censura pontificia annexa est. Episcopus tunc potest *valide* reservare *peccatum*, ubi S. Pontifex solam censuram reservaverit ; valide annectere censuram *reservatam*, ubi Pontifex non reservatam indixerit. Sed non videtur valide posse censuram reservatam addere ad censuram *reservatam* quam S. Sedes inflixerit, si eadem adiuncta casus respiciantur. Quocirca, etiam si censura episcopalis praecesserit, cessabit, eo quod censura pontificia apponatur.

Verum etiam cum id valide efficere possit, episcopus monetur ne id regulariter faciat, et sic legem pontificiam perficere velle videatur. — Vox *regulariter* subinde verbis decreti 1602 explicatur : « Nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam aliqui huius modi casus *nominatim* reservandi viderentur ». — Itaque reservatio simultanea seu generica (qua episcopus dicat : Reservo mihi casus reservatos a S. Sede, eos, v. g. quos Ordinariis locorum ipsa reservarit) istorum casuum reprobatur.

De § 5. Etsi Instructio de censuris ex professo non agat, et utraque causa per se separetur, incidenter tamen cautionem et sobrietatem commendat in decernendis poenis ecclesiasticis. Poenis autem, nominatim excommunicatione, reservatio communitur, quatenus poenalis sanctio, cum impedimentis quae creat, a contemnenda reservatione magis absterret.

De § 6. Quantum cavet Instructio ne casus temere reserventur, tantum vult ut factae reservationes suam efficaciam

obtineant. Quare praecipit : a) Ut ad certam fidelium notitiam deducantur ; — b) Ut facultas in reservata discrete concedatur.

Est, v. g. R. P. Ferreres (*Compendium Theol. mor.* II, 672) qui existimet priorem dispositionem, praecipue verba « nam quaenam earum vis si lateant » — favere sententiae quae ignorantes a reservationibus excusat [1]. Verum allegata inutilitas seu minor utilitas aliter nobis explicanda videtur. Quamvis enim non sit poena, reservatio fideles de gravitate delicti monet, iisque consequenter minorem facit optionem confessarii. Unde eius naturae sunt reservationes, ut fideles a peccatis absterreant. Vis autem ista seu utilitas perimitur si lateant. *Vis* itaque non est idem quod vigor internus seu *valor*, sed veram utilitatem significat. Quamquam ista manet utilitas ut casus prudentioribus reservatus melius iudicetur.

Mens tamen S. Congregationis non fuit ut paucis tantum facultas absolvendi a reservatis concedatur, cum ipsa Instructio velit ut habitualiter detur canonico paenitentiario etiam ecclesiae collegiatae, et vicariis foraneis, eorumve vices gerentibus ; utque vicarii foranei, praesertim in locis remotioribus, facultate polleant subdelegandi totiens quotiens confessarios sui districtus.

Verbum porro *subdelegandi* simul probat canonicum paenitentiarium et vicarium foraneum (seu decanum) delegatam tantum ab Ordinario habere facultatem, ita ut sine episcopi concessione facultatem istam non haberent.

Subdelegatio concedenda dicitur *totiens quotiens*, seu pro determinato casu. Minus ergo cum mente Instructionis congruit, ut vicarii foranei seu decani possint ad plures casus facultatem impertire, ita ut cappellano ad ipsos recurrenti dicere possint : « Do tibi, non solum pro hac vice, sed etiam pro binis aliis, quae forte occurrent ».

Vices gerentes sunt qui legitimo aliquo titulo impeditum supplent ; v. g. qui constitutus est ut agat paenitentiarium vel vicarium foraneum, non autem qui, sine alio titulo atque approbatione, confessiones pro impeditis accidentaliter audiat.

De § 7. In § 7 ipsa S. Sedes plura adiuncta numerat in quibus, ipsa Apostolica auctoritate (ac proin independenter ab Ordinariorum voluntate), quaevis reservatio Ordinariorum (intellege locorum) cessare decernitur. Adiuncta porro sunt *personarum confitentium*, *Superioris negantis*, *temporis*, et *loci* confessionis.

De singulis pauca observanda sunt.

a) *Adiuncta personarum.* Quaevis reservatio (ergo etiam cum censuris quatenus agitur de ista Instructione, sed cf.

[1] Ipse tamen, post vigentem Codicem, excusationem ignorantiae potius negat.

Codicem) cessat cum *aegrotis* qui domo excedere nequeunt et confiteri cupiunt. Aegroti, cum benigna interpretatio usurpanda sit, ii etiam intellegi posse videntur qui corporis statu, v. g. pede fracto, egressu impediuntur. Qui vero ob aliam causam atque corporalem infirmitatem domi detinentur, v. g. carcere inclusi, beneficio istius clausulae non fruuntur.

Aeque autem cessat reservatio, sive reservans eandem domum sive diversam habitaverit.

Cessat praeterea cum *sponsis*. Sponsi sunt quotquot in ordine ad matrimonium confitentur, sive sponsalia fecerint, sive his faciendis abstinuerint : sunt nupturientes.

Cessat denique si facultas absolvendi a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi paenitentis *incommodo* aut sine periculo violandi *sigillum sacramentale*. Legitimus Superior videtur hic rationabiliter intellegendus esse ille qui facultatem dare potest : ergo episcopus vel quasi episcopus, vicarius generalis et etiam delegatus vicarius foraneus. Ideo enim haec subdelegatio ipsi fit, ne facultatis petitio nimis multis sit graviter incommoda. Praeterea in littera b (statim infra), vicarius foraneus certo comprehenditur. Iam vero legitimus Superior idem esse debet in utraque paragrapho.

« *Grave* paenitentis *incommodum* » erit : gravis difficultas redeundi, necessitas celebrandi, difficultas abstinendi communione, ne in suspicionem quis incurrat.

Estne grave incommodum paenitentis, timenda perversio eius voluntatis, qua is iratus deserat sacramenta, fiat indispositus ?

Sane incommodum istud ex minus bona voluntate pendet. Aliunde, quod obstinatio in peccato inter gravia incommoda ponenda non sit, id mirum videri potest. Et cum benigna interpretatione utendum sit, existimamus reservationem cessare, quotiescumque timendum sit ne cum notabili animae detrimento maneat. Perfecte quadrat ratio Instructionis : ne in detrimentum cedat quod in aedificationem constitutum est.

Sola necessitas autem carendi absolutione, ac proin fortasse manendi in statu peccati, grave istud incommodum esse per se non potest. Dilatio enim absolutionis per se cum reservatione cohaeret. Si tamen ultra diem exspectandum sit, non est improbabile praecitatum incommodum adesse.

Periculum *violationis sigilli* tunc aderit, si, ob adiuncta, timendum sit ne Superior, qui commode adiri potest (sive Ordinarius sive decanus foraneus), in suspicionem veniat personae pro qua confessarius facultatem roget. (Si periculum unum tantum ex iis qui commode adiri possint afficiat, reservatio non cessabit.)

Periculum ne ipse paenitens, dum, v. g. alium confessarium privilegiatum adit, se istius suspicioni exponat, hoc

nomine non venit : suspicione enim cui ipse paenitens occasionem dat, sigillum violari nequit. Sed tale periculum inter gravia incommoda numerandum erit. Observes tamen casum istius periculi raro incidere debere. Facultas enim in genere peti consuevit.

b) Adiuncta *Superioris negantis.* — Cessat pro illa vice reservatio sit, petita pro determinato casu, facultas a legitimo Superiore negetur. — Non agitur ergo de illo qui *habitualem* petierit facultatem, sed de confessario ad quem paenitens cum reservato accesserit. Legitimus Superior est qui facultatem habeat concedendi. Ut autem condicio verificetur, satis est ut unus negaverit. Ad alium quasi appellare minime necesse est.

Quaeres quo demum spectet reservatio facultatis quae totiens quotiens concedenda est ?

Reservatio has nihilo minus utilitates habet, ut, cognita, moneat de gravitate peccati ; ut adducat paenitentes ad magis probatos confessarios, ne bis confessarium adire debeant ; ut Superiori a quo facultas petitur occasionem det quaedam monendi, praescribendi de cautionibus adhibendis, de paenitentia infligenda, sicut ipsa S. Paenitentiaria in danda facultate facere solet. Modum enim praescribere, id non est negare facultatem. Praescriptum autem modum servare simplex confessarius tenetur.

c) *Adiuncta temporis.* Toto *tempore utili ad praeceptum paschale* implendum, parochi et quasi parochi absolvere possunt a casibus quos quomodolibet sibi Ordinarius reservaverit. — Ut verbum *quomodolibet* vim aliquam habeat, casus quoque cum censura reservati hic intellegendi sunt.

Tempus praecepto paschali implendo utile, omne intellegi potest quod vel lege communi aut speciali dioecesis iure statuium est. Nec repugnamus quin etiam illud intellegatur quod *per accidens*, propter impedimentum itineris, infirmitatis vel ex privilegio alicui competit. Idest, quod de tempore communiter utili statutum est, transferri posse arbitramur ad tempus uni peculiariter utile : sed tunc facultas hac persona circumscribitur. Itaque in locis ubi toto anni tempore praeceptum istud impleri potest, facultas toto anno parochis concessa erit. Neque opus est ut ad praeceptum paschale implendum confessionem paenitens fecerit, vel ipse nondum praecepto satisfecerit.

Parochi autem nomine veniunt non solum parochi inamovibiles vel amovibiles, seu succursalistae, sed etiam vicarius curatus perpetuus, vel temporalis capituli vel conventus vel collegii, penes quod sit habitualis cura, oeconomus vel provisor vel ille, quocumque nomine vocetur, qui paroeciam vacantem administrat, vicarius pro-parochus aut coadiutor,

qui parochum absentem vel impeditum legitimo titulo suppleat.

Tempore *sacrarum missionum* singuli missionarii a quibuslibet Ordinario reservatis absolvere possunt.

Sacrae missiones etiam intellegi possunt exercitia spiritualia, dummodo ad aliquem populum habeantur, ac proin collectiva ratione dentur, sive in ecclesia, sive etiam, ni fallimur, in domo religiosa. Ratio eadem est : ad conversionem et perfectionem animarum tum missiones tum exercitia spiritualia ordinantur.

d) *Adiuncta loci.* Confitentes extra locum ubi peccata reservata sunt in loco ubi non sunt reservata, a quolibet confessario absolvi possunt. Nec iam valet exceptio : « nisi in fraudem reservationis eo accesserint ».

Ut consequenter ad nostra principia de absolutione dicamus, pro casibus in loco reservatis, peregrini incolis assimilandi sunt. Erit tamen qui contradicat, nixus ratione antiquata, quod peregrini absolverentur iurisdictione episcopi proprii. Quam diu opinio ista tolerabitur, practice, saltem propter auctoritatem extrinsecam, admitti poterit.

Practica solutio casus quo peccatum in utraque dioecesi, tum loci confessionis seu domicilii, tum loci confitentis, reservatum sit, etiam eadem manebit sicut erat ante Instructionem.

De § 8. Paragrapho ista suadetur Ordinariis ut apta confessariorum selectione et educatione fidelibus, minore pretio, utilitates reservationum procurent. Simul iubentur satagere ut in sua quisque dioecesi disciplina casuum reservatorum, secundum normas praedictas, quam primum vigeat, et a confessariis probe nota sit.

Quaecumque autem paragrapho 8 praescripta sunt, iam ipso iure, a promulgata Instructione, vigere coeperunt.

IV. **Notae supplementares.**

1. *De natura reservationis.* Secundum praesentem Instructionem, reservatio non esse poena sed avocatio causae ad magis competentem iudicem esse cernitur. Etenim, si poena esset, a) Vana foret reservatio peccati interni, secus ac § 3 supponitur ; b) Selectio et educatio confessariorum utilitates reservationum supplere non possent, contra ac § 8 dicitur ; c) In § 5, reservatio a poenalibus sanctionibus formaliter distinguitur.

2. Reservare casus est negare iurisdictionem. Idque in potestate episcopi versatur. Possitne autem episcopus simul iurisdictionem tribuere et vetare ne confessarius ea utatur, si tale peccatum accusetur, ita ut se constituat solum iudicem cui *liceat* peccatum istud absolvere ?

Quia id est a moribus receptis prorsus alienum, disciplinam

autem Ecclesiae mutare potestatem episcopi excedit, non putamus id ab episcopo fieri posse. Quicumque sacerdos iurisdictionem exercere permittitur, eam licite exercet intra limites concessae potestatis. Ceterum episcopus intentum finem obtinere poterit, si reservationem cessare declaret, quotiescumque sacerdos, errore culpando vel non culpando absolverit.

3. A die 1 septembris 1916, qua die in A. A. S. inserta est, praesens Instructio viget; sed plura exsequenda committuntur episcopis eorumque actione opus habent.

4. Huiusmodi Instructionem fortasse magis a S. C. de *Sacramentis* quam a *S. Officio* quis exspectarit. Verum S. Officium se prodit hic tamquam Supremam Congregationem, arto vinculo cum S. Pontifice, qui ei praeest, coniunctam, a quo proin in rebus gravissimis mandata specialia, sicut in praesenti causa, obtinere solet.

---

90. — *DECLARATIO 5 AUG. 1916*

De assistentia passiva in celebratione matrimonii

(A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 316).

Occasione dubiorum,

Cum dubia varia orta fuerint circa decretum latum ab hac Suprema Congregatione S. Officii die 21 maii 1912 circa assistentiam passivam parochorum in celebratione matrimonii mixti, haec eadem S. Congregatio sui muneris esse duxit declarare praefatam assistentiam passivam tolerari solummodo in illis regionibus quibus, ante Decretum *Ne temere*, concessiones speciales factae ac instructiones datae fuerant a S. Sede; et tantum in casibus et sub condicionibus ibidem expressis, atque proinde matrimonia extra praedictas regiones sic contracta (id est cum assistentia Parochi passiva) esse non tantum illicita, sed etiam omnino invalida.

declaratur ubinam sit talis assistentia parochi valida.

Et feria V, die 3 eiusdem mensis, SS^mus^ D. N. Benedictus divina providentia Pp. XV, in solita audientia R. P. D. Assessori huius Supremae Congregationis S. Officii impertita, relatam sibi suprascriptam declarationem benigne approbare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (5 aug. 1916).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 5 augusti 1916.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

Annotationes

Decretum S. Officii 21 maii 1912 reperitur Period. VI, p. 260. Admittebat praecipue in Hungaria, ad cuius episcopos Gregorius PP. XVI de hac re scripserat, parocho, etiam post decretum *Ne temere, passivam* assistentiam praestandam esse matrimoniis mixtis, in quibus partes consuetas cautiones

praebere pervicaciter renuerent. Hac declaratione, exceptionem istam gravem, « facto verbo cum SS^mo » concessam, iis tantum in regionibus valere edocemur quibus iam ante decr. *Ne temere* speciales instructiones a S. S. erant datae, i. e. in Hungaria et paucis aliis locis.

Cum de hac exceptione Codex sive in textu, sive in notis prorsus taceat, et Can. 1102 expresse iubeat interrogationes fieri modo consueto in matrimoniis mixtis, de hac re tolerantia suppressa esse videtur. Non enim privilegio aut consuetudine immemoriali nitebatur. I. C., s. I.

---

91. — *RESPONSUM 22 DEC. 1916*

De matrimoniis mixtis nullis ex capite clandestinitatis

(A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 13).

Ordinarius Dioecesis N., obtenta iam facultate sanandi in radice matrimonia mixta, nulla ex capite clandestinitatis quia non celebrata ad normam Decreti *Ne temere*, quando pars acatholica renuit se sistere coram parocho catholico, quaerit nunc :

Dubia.

1) Utrum, quando pars acatholica non renuit se sistere coram parocho catholico, renuit tamen omnino praestare debitas cautiones, providendum sit per dispensationem et renovationem consensus coram parocho catholico passive se habente, vel potius per sanationem in radice ; et quatenus providendum sit per sanationem in radice,

2) Utrum facultas sanandi in radice, in hoc secundo casu comprehensa, censenda sit necne in facultate iam obtenta sanandi in radice matrimonia mixta, nulla ex capite clandestinitatis, vel

3) Utrum peti debeat, an non, nova facultas a S. Sede.

In plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito feria IV, die 20 nov. 1912, propositis suprascriptis dubiis, E^mi ac R^mi D^ni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt :

Responsa.

Ad 1^um. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad 2^um. Non comprehendi.

Ad 3^um. Provisum in secundo. Et supplicandum SS^mo ut sanare dignetur in radice matrimonia ex hoc capite nulla, quae usque adhuc invalide ab episcopis sanata fuerint.

Et sequenti feria V, die 21 eiusdem mensis, SS^mus D. N. D. Pius divina providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori eiusdem Supremae Sacrae Congregationis impertita, E^morum Patrum resolutionem benigne approbare et confirmare et sanationem in radice matrimoniorum quae ex hoc capite nulla usque adhuc invalide ab Episcopis forte sanata fuerint largiri dignatus est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 22 decembris 1916. *Dies (22 dec. 1916).*

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

ANNOTATIONES

Responso ad primum dubium confirmatur declaratio S. Officii 2-3 aug. 1916, qua ad certas omnino regiones restringebatur facultas assistentiae passivae parochi matrimoniis mixtis in quibus pars debitas cautiones praestare omnino recuset. Nec activam assistentiam permittere videtur S. Officium ut convalidetur huiusmodi matrimonium, sed ad sanationem in radice recurrendum censet, qua favor directe parti innocenti conceditur.

Nec tamen facultatem istam sanandi in radice contineri censet S. Officium in generali facultate sanandi matrimonia mixta, nulla ex capite clandestinitatis. Notandum est enim hic utramque partem nullitatis matrimonii esse consciam et paratam esse se sistere coram parocho, quo casu generatim non est cur sanatio in radice concedatur. Hic enim ob solam pervicaciam partis acatholicae in renuendis cautionibus consueta forma sollemnis omittitur. I. C., s. I.

---

92. — *RESPONSUM 9 MARTII 1917*

De sacramento extremae unctionis in casu necessitatis collato (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 178.)

In plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito feria IV, die 31 ianuarii 1917, proposito dubio : « An administrato « Sacramento Extremae Unctionis in casu necessitatis unica Unctione in « fronte adhibita, per verba : *Per istam sanctam Unctionem indulgeat « tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* », cessante periculo, singulae Unctiones, ad tenorem decreti diei 31 ianuarii 1907 supplendae, sub condicione adhibendae sint vel non? Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt :

Negative ad 1am partem : *Affirmative* ad 2am.

Et sequenti feria V, die 1 februarii eiusdem anni, SSmus D. N. Benedictus divina providentia Pp. XV, in solita audientia R. P. Assessori eiusdem Supremae Sacrae Congregationis impertita, Emorum Patrum resolutionem approbavit et confirmavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 9 martii 1917.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

ANNOTATIONES

1. Praesenti declaratione nobis simul revelatur decretum, antea, 31 ian. 1917, datum quo, si tempus permiserit, singulae unctiones supplendae edicuntur. Nullum enim quod

sciamus, in aliqua ephemeride vestigium est decreti 31 ian. 1917. Verum, cum prodiit decretum 25-26 apr. 1906 [1], controversia quaedam inter scriptores nata est utrum necne supplendae unctiones forent. Quod v. g. negavit Card. Gennari in MONITORE ECCLESIASTICO, t. 19 (1907) p. 231. 232.

2. Cur autem *absolute*, non autem *condicionate*, consuetus ritus, si tempus sinat, adhibendus sit, iam scripsimus in PERIODICA t. 2-3 (2 ed.) p. 243, id est, quia per ritum istum, potius quam iteretur, extrema unctio perficitur. Ceterum condicionata administratio priorem dubiam fuisse supponeret. Quod admitti nequit.

---

93. — *RESPONSUM 24-26 APRILIS 1917*

De spiritismo (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 268).

Feria III, loco IV, die 24 aprilis 1917

Dubium. In plenario conventu habito ab Emis ac Rmis Dnis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio: « An liceat « per *Medium*, ut vocant, vel sine *Medio*, adhibito vel non hypnotismo, « locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque assistere, « etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando « animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, « etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiriti- « bus partem se habere velle ». — Iidem Emi ac Rmi Patres respondendum decreverunt: « *Negative in omnibus* ».

Responsum. Et Feria V, die 25 eiusdem mensis, Ssmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. Pp. XV relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit.

Dies (24-26 apr. 1917). Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 27 aprilis 1917.

Aloisius CASTELLANO, *S. R. et U. I. Notarius.*

ANNOTATIONES

Ne de spiritismi variis formis quaestionem difficilem brevi commentario ingredi cogamur, notandum est hoc responso damnari omnem participationem in commercio vel tentamine commercii cum animabus aut spiritibus. Quod commercium non locutionibus tantum, sed omni directa vel indirecta relatione cum animis haberi potest, si quis v. g. eorum ope contendat se ea facere quae vires naturae superent. Quae tentamina fere semper per « Medium » ut aiunt, perficiuntur, id est mediante persona quae speciali privilegio commercium istud fovendi gaudere dicitur. Interdum utuntur etiam « privatae » personae mediis physicis, ut est persona sub

[1] PERIODICA t. 2-3 (2 ed.) n. 183, p. 242.

hypnosis influxu constituta, vel re quadam mobili, ut est parva mensa aut arca, ad cuius pedem alligatum graphium responsa spiritus scribit. vel quae pedis ictu repetito haec responsa insinuat, etc. Iam vero *omnis* participatio in his et similibus actionibus prohibetur, etiamsi ex fine scientifico aut religioso locum haberet, statim ac praetenditur commercium cum animis aut spiritibus. Quod si raris in casibus, ad scientiam promovendam vel religionem defendendem vir peritus, cuius fidei talia omnino nocere non possunt, his aut similibus actionibus assistere velit et sine scandalo possit, dispensationem ab hac prohibitione petere poterit, quae in tali casu, ubi prohibitio ultra naturalis vetiti terminos producitur, concedi posse videtur. Legenti etiam obiter responsum S. Officii patebit nec hypnotismum damnari, nec illa tentamina scientifica, quae ope quarundam personarum, quarum systema nervorum peculiari modo afficitur, fiunt ad multa levitationis, ut dicitur, et alia huiusmodi phaenomena melius cognoscenda, exclusa tamen omni cogitatione commercii cum animis aut spiritibus. I. C., s. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

94. — S. CONGR. S. OFFICII

A. *De facultatibus secretariorum quorundam piorum operum* (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 409).

Participatio facultatum directori operis concessarum.

Responso 10 iun. 1915, S. Officium negavit secretarios dioecesanos, qui oblationes a parochis collectas ad respectivum directorem dioecesanum piorum operum Propagationis Fidei, S. Fr. Salesii et S. Infantiae transmittunt, participes esse aut a Directore fieri posse facultatum, quibus parochi Directores fruuntur.

B. *Prohibetur quaelibet dissertatio de sic dicto « Secret de la Salette »* (A. A. S. 31 dec. 1915, 7, 594).

Secretum « de la Salette ».

Decreto d. 21 dec. 1915, S. Congr. S. Officii « mandat omnibus fidelibus cuiuscumque regionis ne sub quovis praetextu vel quavis forma, nempe per libros, opuscula aut articulos... vel alio quovis modo, de memorato subiecto [i. e. de forma aut interpretatione secreti « de la Salette »] disserant aut pertractent ». — Severae praeterea poenae violantibus decretum decernuntur. « Hoc autem decretum devotionem non vetat erga B. V. sub titulo *Reconciliatricis* vulgo *de la Salette* nuncupatam ».

C. *Confirmatur communicatio qua gaudent Tertiarii saeculares O. F. M. indulgentiarum et bonorum operum membrorum primi et secundi Ordinis* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 263).

Indulgentiarum communicatio in O. F. M.

S. Officium, solvendo dubia a Procuratore generali O. F. M. proposita, confirmat Tertiarios etiam saeculares O. F. M. in suis propriis ecclesiis aut oratoriis publicis gaudere indulgentiis quae ecclesiis aut oratoriis publicis primi et secundi Ordinis conceduntur — visitationem ecclesiae aut capellae in qua Sodalicii sedes est constituta ipsis assimilari visitationi ecclesiae primi vel secundi Ordinis — indulta pro consequendis indulgentiis favore Tertiariorum infirmorum, impeditorum etc. illos respicere, tandem haec de concessis aeque ac de concedendis indulgentiis valere.

D. *Opera damnata* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 175, 176).

Proscriptus liber.

Dr Henri Mariavé, *La leçon de l'hôpital N. D. d'Ypres. Exégèse du secret de la Salette*, t. I, Paris, 1915. t. II, appendices. Montpellier, 1915. (d. 13 apr. 1916).

Rivista di Scienza delle Religioni. Roma, 1916 (26 maii 1916 « ut organum propagandae modernisticae »).

E. *Reducitur ad statum laicalem sacerdos pertinax* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 316).

Reductio ad statum laicalem.

Ant. Caccavari, sacerdos, reductus est ad statum laicalem, firma lege castitatis, ob pertinaciam qua etiam post multa delicta suspensus sacrum ministerium rebellis administravit.

F. *Sodalitates ad provehendas iuvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 399).

Indulgentiarum concessio. Decr. S. Officii 11 oct. 1916, ex audientia SSi, 7 sept. 1916, traducuntur ad sodalitates, praesentes et futuras, provehendis iuvandisque vocationibus et admissionibus in noviciatum indulgentiae et privilegium missarum, a Pio X 29 maii 1913 concessas odalitatibus ad promovendas iuvandasque ecclesiasticas vocationes erectis vel erigendis.

G. *Indulgentia partialis tribuitur renovantibus propositum cuiuscumque mortis generis suscipiendi* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 228).

Indulgentia conceditur. Ex S. Officii Congregatione decreto 16 nov. 1916, Ben. XV in audientia Assessori S. Officii impertita, indulgentiam 7 ann. et 7 quadragenarum applicabilem defunctis, semel in mense lucrandam, renovantibus post S. Communionem receptam, actum Pii X de acceptando quolibet mortis genere. Tacite isto decreto suadetur menstruus usus renovandi hunc actum et se ad mortem praeparandi.

H. *Indulgentia CCC dierum conceditur recitantibus iaculatoriam precem ad B. M. V. « a Fiducia »* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 229).

Indulgentia conceditur. *Die 3 ian. 1917 S. Pontifex* 300 dierum indulg. defunctis applicabilem totiens quotiens elargitur recitantibus orationem : « Mater mea, fiducia mea ! » Documentum concessionis die 27 ian. 1917. S. Officio exhibitum fuit.

I. *Declaratur extensio quarundam indulgentiarum* (A. A. S. 1 maii 1917, 9, 229).

Extenditur indulgentia. Die 22 mart. 1917, in audientia Assessoris S. Officii, S. P. concessit ut fideles devote genuflexionem coram SSo, sive in Tabernaculo clauso sive sollemniter exposito peragentes (non ergo coram altari post consecrationem ?) indulgentias a Pio X 28 iun. 1908 concessas lucrari valeant, etiamsi loco invocationis « Gesù, mio Dio, vi adoro qui presente nel Sacramento del vostro amore » alia verba proferant, quae tamen adorationem exprimant.

S. C. S. OFFICII (Sectio de Indulgentiis)

95. — *DECLARATIONES 25-26 MART. 1914*

De spiritualibus gratiis operis Propagationis Fidei (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 305).

Dubia.

Ad supremam hanc sacram Congregationem S. Officii sequentia exhibita sunt dubia, pro opportuna solutione, nimirum :

Uter parochi delegantis an vicarii delegati favoribus fruitur ?

I. Quando parochus delegavit unum ex suis vicariis, committens ei munus colligendi in sua parochia eleemosynas in favorem pii Operis Propagationis Fidei, uter facultatibus et privilegiis eidem Operi a Sancta Sede concessis fruitur ? An solus vicarius ? num parochus solus ? an vero uterque ?

Uter episcopi nominantis directorem an directoris nominati ?

II. In dioecesibus, ubi nullum consilium neque comitatus exsistit, sed solus invenitur sacerdos ab episcopo nominatus tamquam director dioecesanus cum mandato toti huic Operi providendi, gaudetne solus hic director facultatibus et privilegiis a Sancta Sede concessis ? An vero episcopus similiter iis fruitur ?

Dies responsi S. Congr.

Emi ac Rmi PP. Cardinales Inquisitores generales, feria IV, die 25 martii 1914, respondendum esse dixerunt :

Responsa.

Ad I. Uterque.

Ad I. Tam parochus, cui munus demandatum fuerit in aliqua paroecia colligendi eleemosynas, quam vicarius, cui parochus hoc munus committit, fruuntur facultatibus et privilegiis a Sancta Sede concessis.

Ad II. Uterque.

Ad II. Non solum sacerdos director, sed et Revmus Episcopus gaudent in casu facultatibus et privilegiis a S. Sede concessis.

Approbatio SSmi.

Dies (26 mart. 1914).

Et Ssmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii, feria V sequenti, die 26 martii, impertita, benigne sententiam Emorum PP. approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

---

96. — *DECRETUM « QUAM PROFICUA » EX AUD. SSi 23 APRIL. 1914*

Indulgentiae sodalitatum provehendae S. Evangelii lectioni (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 306).

Fructibus Institutionis permotus Pontifex indulgentias concedere statuit.

Quam proficua sit inter fideles eorum consociatio ad assiduam provehendam lectionem Evangelii, conspicui probavere fructus indidem procreati. Quae enim, ecclesiastica favente auctoritate, hucusque surrexerunt, caelestibus visae sunt benedictionibus fecundari.

Quo igitur res ista plurimum incrementi capiat, censuit SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, fidelibus sub Christi nomine in profectum Evangelii confoederatis, Ecclesiae thesaurum esse opportune aperiendum.

Dies (23 apr. 1914).

Quapropter, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, die 23 aprilis, anno 1914, idem SSmus Dominus omnibus et singulis piis

Sodalicia indulgentiis ditata.

Sodalitatibus, a Iocorum Ordinariis sive iam canonice erectis sive in posterum similiter erigendis, ea mente ut eius membra in id conspirent ut magis propagetur ac magis Evangelium, sibique ad hunc finem assequendum proponant : 1° Saepe incumbere, et si possibile sit cotidie, aliquali S. Evangelii lectioni, utendo editionibus ab Ecclesia probatis, et crebris lucidisque annotationibus ditatis ; 2° Eiusmodi lectionem aliis passim opportuneque commendare ; 3° Frequenter invocationem recitare : *Da, quaesumus, Iesu, ut tuo sancto obsequamur Evangelio*, sequentes indulgentias benigne concedere dignatus est : I. Plenarias, defunctis quoque applicabiles, pro Sodalibus confessis ac S. Communione refectis, qui ecclesiam seu sacellum visitaverint, in quo Sodalitas canonice erecta est, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint : 1° Die inscriptionis in Sodalitatem ; 2° Diebus festis : Nativitatis D. N. I. C. — Circumcisionis — Epiphaniae — Paschatis — Ascensionis — Pentecostes — Assumptionis B. M. V. — Cathedrae S. Petri Romae — Conversionis S. Pauli Ap. — S. Ioseph (19 martii) — S. Marci Ev. — S. Iacobi Ap. (1 maii) — Ss. App. Petri et Pauli — S. Matthaei Ap. et Ev. — S. Hieronymi — — S Lucae Ev. — S. Iudae Thaddaei Ap. — S. Ioannis Ap. et Ev. — et Omnium Sanctorum. — II. Plenariam in articulo mortis, a quibuslibet ex Sodalibus lucrandam, si confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, Ss^mum^ Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. — III. Partialem centum dierum, etiam defunctorum animabus profuturam, pro quolibet pietatis vel caritatis opere, quod Sodales iuxta Sodalicii statuta peregerint.

Indulgentiae.

Clausula.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

---

97. — *DECRETUM « CUM S. CONGREGATIO », EX AUD. SS^i^, 23 APRIL. 1914*

De inscriptione in album confraternitatum

(A. A. S. 12 iun. 1914; 6, 307.)

Ex memoratis actis S. C. de Indulg. quibus inscriptio postulabatur et responso quo fideles ante inscriptionem frui dicebantur indulgentiis, novum **dubium** *exortum est. Quod Sanctissimus Dominus radicitus solvit.*

Cum S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, die 16 iulii, anno 1887, declaraverit, inscriptionem nominum christifidelium, qui in Confraternitates proprie dictas cooptantur, esse omnino ad lucrandas indulgentias necessariam ; et ex decreto eiusdem S. Congregationis, d. d. 18 augusti 1868, sacerdotes alicuius ex relativis Confraternitatibus rectoris munere carentes, quam primum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in album ipsius Sodalitatis referantur ; dubitari coeptum est, an fideles ex ipso die inscriptionis, ad indulgentias lucrandas ius haberent, etsi eorum nomina nondum ad Sodalitatem pervenerint. Et S. eadem Congregatio, diebus 12 decembris 1892 et 15 novembris 1893, affirmativam responsionem protulit. Si tamen, sive ex

neglegentia, sive ex alia causa, fidelium nomina numquam ad Sodalitatem transmittantur, novum exoritur dubium, an aliquando, et quonam tandem tempore, fideles indulgentiarum beneficio censendi sint decidisse. Qua de re supplicatum est apud Ssmum D. N. Pium div. prov. Pp. X, ut mentem suam vellet aperire, et defectus ex hoc capite hucusque per quoscumque sacerdotes forte admissos benigne sanare. Et Sanctitas Sua, in solita audientia, die 23 aprilis 1914, R. P. D. Assessori S. Officii impertita, praevia sanatione omnium defectuum hucusque admissorum in inscriptione et transmissione nominum christifidelium, qui ad quamcumque piam Sodalitatem cooptati fuerint, declaravit, firma remanente in conscientia obligatione inscribendi et transmittendi nomina, iuxta decreta aliasque S. Sedis praescriptiones, fideles, eo ipso quod a legitime deputato admittuntur, rite ascriptos censeri, ad effectum tantummodo ut indulgentias lucrari aliarumque gratiarum spiritualium participes fieri valeant, etiamsi eorum nomina, quaecumque ex causa, in album Sodalitatis relata non fuerint. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (23 apr. 1914).

Inscriptio praecepta manet, sed non iam est indulgentiae condicio.

Clausula.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

ANNOTATIONES

1. Haec SSi D. solutio rationabili prudentia commendatur. Fatendum enim est responsis S. C. Indulgentiarum satis mirum ius constitutum esse, quo indulgentiae obtinebantur antequam condiciones essentiales impletae essent. Ad valorem inscriptio postulabatur antequam tamen cooptatio efficaciam suam exserebat. Quare quaeri poterat quandonam, propter dilatam vel omissam inscriptionem, indulgentiae cessarent. Et quid, si sacerdos cooptans, ab initio statuisset nomina non inscribere?

His dubiis finem Pontifex facit, inscriptionis necessitatem apte temperando, ita ut, propter condicionem quae in eorum potestate non est, fideles indulgentiis non priventur.

2. Inscriptio tamen praecepta est. Quo praecepto ipsam conscientiam teneri perspicue declaratur. De gravitate autem obligationis si quaeras, fatemur eam minime in universum constare — sane fieri potest ut confratres non inscripti non nullis suffragiis post obitum priventur. Nolimus tamen damnum istud pro generali haberi. Saepe enim ipsi fideles ignorant ubi nomina sua inscripta sint. Si tamen nullus de eorum obitu nuntius ad confraternitatem pervenerit, quaenam suffragia etiam pro inscriptis fient? Ipsa praeterea S. Sedes, privilegium omittendi inscriptionem concedendo, innumerabiles cooptationes sine ulla inscriptione admisit.

Parum autem veri simile est ut S. Sedes gravem iudicet obligationem quam tam facile solvit.

98. — *DECRETUM « SANCTISSIMUS » EX AUD. SS^mi 23 APRIL. 1914*

De die utilis confessionis ad indulgentias lucrandas

(A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 308).

Ad fovendam communionem frequentiorem, S. Pontifex, ampliores gratias confirmans, indulgentiis omnibus utilem declarat confessionem intra 8 dies ante indulgentiae diem factam.

Ssmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, crebriorem cupiens facilioremque usum reddere Eucharisticae Communionis, et nihilo minus aliquando obstare noscens praescriptam eodem die, vel aliquo ex antecedentibus, iuxta peculiaria vel generalia S. Sedis indulta, praesertim vero data die 9 decembris 1763 et 11 martii 1908 per S. Congregationem Indulgentiarum, sacramentalem confessionem ; firmis remanentibus ampliorибus iam factis concessionibus, ac nominatim sub die 14 februarii 1906, per supra dictam sacram Indulgentiarum Congregationem, relate ad eos qui cotidie vel fere Angelorum Pane reficiuntur ; benigne concedere dignatus est, ut ad quaslibet lucrandas indulgentias sufficiens habeatur confessio sacramentalis ultimo octiduo ante diem pro lucranda indulgentia designatum peracta ; dummodo tamen non oporteat, ut, secundum prudens confessarii iudicium, aliquis ex christifidelibus aliter se gerat.

Nisi confessarius aliter de aliquo iudicet.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dispensatio a Brevis expeditione. Clausula.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

Annotationes

1. A saeculo XVIII exeunte, S. Sedes variis decretis vel indultis necessitatem confessionis ad indulgentias lucrandas temperare coepit.

Etenim, decreto 9 dec. 1763 S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliqu. fidelibus qui semel in hebdomada confiteri solent, concessit ut omnes indulgentias per hebdomadam occurrentes sine alia confessione lucrari possent; quod variis indultis particularibus confessioni infra duas hebdomadas peractae tributum est ; generali autem decreto 11 mart. 1908, eadem S. Congregatio decrevit ut utilis lucrandae indulgentiae confessio duobus, immo tribus integris diebus ante indulgentiarum diem, prout indulgentia semel tantum aut pluries in die lucranda proponeretur, fieri posset [1].

Praeterea, iis qui quinquies saltem in hebdomada ad sacram communionem accedere solent, S. Pontifex, per eandem S. Congregationem, condicionem confessionis simpliciter sustulit [2].

Praesenti decreto, intacta omni ampliore concessione, ad

1 Periodica, t. IV, n. **260**, p. 179. 180.
2 Periodica, t. II, n. **xxi**, p. 69. 70.

omnes indulgentias lucrandas sufficere declaratur confessio infra octo dies ante indulgentiae diem peracta. Qui octo potius quam septem dierum numerus scito electus est, ut ad lucrandam indulgentiam quae dominicae diei affixa est confessio sabbato paenultimo superioris hebdomadae fieri posset. Inter enim istud sabbatum et hanc dominicam, 8 integri dies interiacent. Hoce v. gr. anno (1919), confessio die 4 octobris rite instituta sufficit ad lucrandas indulgentias diei 12 octobris.

Porro gratia haec omnino generalis est, nec alicui consuetudinis condicioni astricta.

Semper tamen, ni fallimur, excipienda est indulgentia iubilaei. Haec enim distinctam confessionem hactenus requisivit [1].

2. Verbis « dummodo tamen », etc. exceptio induci videtur, quam tamen mere apparentem esse arbitramur. Vult siquidem S. Sedes ut paenitentes obtemperent confessario suadenti aut praecipienti magis immediatam confessionem, quia v. gr. anima nimis laxa peccati valde probabilis incuriosa foret. Quare sententia ista addita est. Non ideo tamen ipsi gratiae amplissimae quidquam detractum est. Qui ergo monita confessarii neglexerit, indulgentiam nihilo minus acquirere possit, dummodo, infra octiduum confessus, in requisito gratiae statu versetur.

---

99. — *DECRETUM « Ss^us » EX AUD. SS^i 21 maii 1914*

Indulgentiae et gratiae pro soc. a temperantia dictis

(A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 309).

Propensa in has societates voluntate motus, Pontifex canonice erectis has concedit indulgentias,

Ss^mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii, feria V, die 21 maii 1914, impertita, cupiens propensiorem Suam voluntatem erga Societates, a Temperantia vel Abstinentia ab inebriante potu nuncupatas, ostendere, earumque Sodales in provehendo tam salubri proposito alacriores experiri ; apostolica auctoritate, benignam de thesauro Ecclesiae largitionem adaperire constituit, et sequentes indulgentias istiusmodi Sodalitatibus, dummodo a R^mis Ordinariis canonice sint erectae vel in posterum erigantur, concedere dignatus est :

Plenarias,

I. Indulgentias Plenarias. Sodalibus confessis ac S. Communione refectis aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitantibus ibique ad

---

[1] Canone 931, § 1 ampliatur concessio iam facta ; sic enim sonat : « Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa ; communio autem in pervigilio eiusdem diei ; *utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam.* » Eiusdem canonis paragrapho tertia excluditur indulgentia iubilaei vel ad instar iubilaei a privilegio omittendae confessionis ab iis qui saltem bis in mense ad tribunal paenitentiae vel cotidie (aut fere cotidie) ad S. Synaxim accedunt. I. C., s. i.

mentem Summi Pontificis orantibus : 1° Die quo Sodalitati nomen dederint. 2° In festo cuiusque Sodalicii Titulari. 3° In festo S. Ioannis Baptistae vel Dominica immediate sequenti. 4° Quattuor in anno diebus festis, a R^mis Ordinariis semel tantum designandis. 5° Semel in mense, die cuiusque Sodalis arbitrio eligenda, si per integrum mensem orationem aliquam a R^mo Ordinario pro Sodalitate respectiva approbatam devote recitaverint.

Partiales.

II. Indulgentias Partiales. 1° Septem annorum totidemque quadragenarum, quattuor in anno diebus ab Ordinariis semel tantum designandis, quibus Sodales aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, simulque promissionem circa temperantiam vel abstinentiam a potu inebriante ex corde renovaverint. 2° Trecentorum dierum, ab iis Sodalibus lucrandam, qui ebrietati deditos ab huiusmodi vitio avertere conati fuerint, vel aliquem ex iis ut Societati ascribatur adduxerint; aut coetibus Sodalitatis interfuerint.

Defunctis applicabiles.

Quae omnes et singulae indulgentiae etiam defunctis applicari queunt.

Indulgentiam altaris privilegiati.

Indulsit tandem eadem Sanctitas Sua ut Missae omnes, quae pro anima alicuius Sodalis defuncti a quocumque sacerdote applicantur, ita illi animae suffragari possint ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

Dispensatur a brevi. Clausula.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.

---

100. — *DECRETUM « CONSUEVIT » EX AUD. SS^i 18 MAII 1914*

De modo benedicendi devotionalia (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 346.)

Dubium de necessitate multiplicandi signa crucis.

Consuevit Apostolica Sedes in facultatibus concedendis, quae benedictionem respiciunt crucium, coronarum, numismatum, aliorumve devotionalium, permittere ut sacerdotes delegati unico crucis signo utantur, nulla adhibita formula, nullis vestibus sacris, absque aliis caerimoniis ; at pluries dubitatum est, utrum signum crucis totiens peragendum sit, quot sunt res diversae benedicendae, vel diversae facultates quibus gaudet sacerdos, an quolibet in casu unicum generaliter signum sufficiat.

Dies (18 maii 1914).

Et Ss^mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Commissario S. Officii, feria V, die 18 maii, anno 1914, impertita, audito E^morum Patrum Inquisitorum generalium suffragio, feria IV praecedenti in ordinaria Congregatione emisso, decernere et declarare dignatus est ut sequitur : « In benedicendis pluribus similibus aut diversis religionis « obiectis, quae sacerdoti pluribus facultatibus munito, coniuncta vel « commixta offeruntur, atque in ipsis, vigore diversarum facultatum, « indulgentiis ditandis, sufficere unicum signum pro pluribus benedictio- « nibus atque indulgentiarum annexionibus. Et declaratio non extendatur « ad metallica numismata scapularibus substituenda, de quibus in decreto

Responsum.

Exceptis numismatibus metallicis, pro scapulari, unicum crucis signum sufficit.

« S. Officii, dato die 16 decembris, anno 1910 » [1]. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Clausula.*

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., Comm. Gen. S. O.

ANNOTATIO

Ut exemplis gratiam illustremus, fac sacerdotem facultate pollere annectendi vel coronis indulgentias apostolicas et crucigerorum, vel crucifixi imaginibus indulgentias apostolicas et viae crucis ; ponantur coram, tum coronae tum imagines crucifixi : unico crucis signo omnia indulgentiis quas potest muniet. Facultate tamen ista excluduntur numismata pro scapularibus benedicenda, de quibus nihil innovatur.

---

101. — *RESPONSUM 27-28 MAII 1914*

De delegatione ad absolutionem generalem et bened. papalem tertiariorum (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 347.)

Dubium. *Potestne delegari sacerdos non approbatus pro confessionibus.*

Ad supremam hanc Congregationem S. Officii sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit : « Cum penes Superiores Regulares « sit facultas delegandi sacerdotem ad Absolutionem generalem et Bene- « dictionem papalem impertiendam Tertiariis saecularibus, quaeritur, « utrum superiores illi possint delegare sacerdotem non approbatum ad « confessiones audiendas, saltem si ille sacerdos sit ex suis subditis, et « hoc fiat in propriis ecclesiis ».

Responsum *S. Congr. 27 maii.* *In propriis ecclesiis sacerdotes sui Ordinis non approbatos Superiores regulares delegare possunt.*

Emi et Rmi Patres Cardinales Inquisitores generales, feria IV, die 27 maii, anno 1914, in ordinaria Congregatione adunati, respondendum esse censuerunt : « Superiores Regulares posse ad Absolutionem genera- « lem et Benedictionem papalem impertiendam Tertiariis saecularibus in « propriis ecclesiis delegare sacerdotes sui Ordinis, etiam non approbatos « ad confessiones audiendas ».

Approbatio Ssmi. Et Ssmus Dominus noster D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Commissario S. Officii impertita, feria V, die 28, iisdem ac supra mense et anno, sententiam Emorum Patrum benigne approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (28 maii 1914). *Clausula.*

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
Fr. Dom. M. Pasqualigo, O. P., Comm. Gen. S. O.

ANNOTATIONES

1. Dubii occasionem dedisse videtur decr. 15 dec. 1910 S. C. S. Officii (sectio de indulgentiis) quo, absente sacerdote cui per se res competat, omnis sacerdos, sive saecularis

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 5. n. **468**, p. 267, observando simul declarationem 4-5 ian. 1913, PERIODICA, t. 7, n. **693**, p. 161.

sive regularis, absolutionem generalem dare potest, dummodo ad confessiones sacramentales approbatus sit. Condicio ista causa fuit cur dubitaretur de eius necessitate, cum absolutio non a quolibet, sed a sacerdote quem Superior regularis delegaverit, confertur.

2. Atque condicionem istam non postulari respondetur, cum Superiores regulares sacerdotes sui Ordinis delegant ad impertiendam absolutionem generalem Tertiariis saecularibus *in propriis ecclesiis*.

Quae verba ita posita sunt ut, si textum consideres, ecclesias sive Superiorum regularium, sive Tertiariorum saecularium designare possint. Intellegenda nobis videntur de ecclesiis quae sub iurisdictione sunt Superiorum regularium. In huiusmodi enim ecclesiis Regulares minorem in confraternitates et pias consociationes potestatem obtinere solent. Ecclesiae autem istae tum ad Ordinem regularem, tum ad secundum vel etiam Tertium Ordinem pertinere possunt, dummodo ipse secundus vel Tertius Ordo Ordini regulari obnoxius sit.

---

102. — *DECLARATIO EX AUD. SS^i, 11 IUN. 1914*

Indulgentiae totiens quotiens crucifixis annexae

(A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 347.)

Relato usu quorundam sacerdotum qui falsa interpretatione fulciuntur,

Supremae sacrae Congregationi S. Officii relatum est sacerdotes quosdam consuevisse benedictione donare crucifixos, asserentes iisdem applicare plenariam Indulgentiam, totiens a fidelibus lucrandam, quotiens osculum alicui ex praefatis crucifixis infixerint : id vero apostolica auctoritate. Cum non sit de Romanae Ecclesiae consuetudine in facultatibus indulgentias applicandi quosdam limites discretionis excedere, ad mentem decreti S. Indulgentiarum Congregationis d. d. 10 augusti, anno 1899, in quo aliquot exhibentur regulae, « quibus prae oculis habitis, nedum « locorum Ordinariis, sed et ipsis christifidelibus facilis aperiretur via « ad dignoscendum quodnam sit ferendum iudicium de aliquibus indul- « gentiis, quae passim in vulgus eduntur, dubiamque praeseferunt authen- « ticitatis notam », visa est asserta facultas aut mere dictitata, aut praepostera interpretatione accepta.

Ss^us Dnus a S. Officio die 14 iunii consultus, decerni mandavit, facultatem benedicendi cum indulg. plen. totiens quotiens intellegendam esse de indulgentia in

Hisce considerationibus permoti E^mi ac Rev^mi Patres Cardinales generales Inquisitores, feria IV, die 10 iunii, anno 1914, censuerunt esse de hac re Sanctissimum consulendum. Sanctitas porro Sua, in audientia, feria V subsequenti, die 11 iunii, eodem anno, R. P. D. sancti Officii Commissario impertita, mentem suam benigne aperire dignata est, et mandavit sequens expediri decretum : « Facultas benedicendi crucifixos « cum indulgentiae plenariae applicatione, totiens quotiens nuncupatae, « sive personaliter a Summo Pontifice, sive quomodocumque ab apo- « stolica Sede, per tramitem cuiuslibet Officii vel personae obtenta, ita

« et non aliter est intellegenda, ut quicumque christifidelis in articulo « mortis constitutus aliquem ex huiusmodi crucifixis benedictis, etiamsi « illi non pertineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, dum- « modo confessus ac sacra Communione refectus, vel si id facere nequi- « verit saltem contritus, Ss^mum Iesu nomen, ore, si potuerit, sin minus « corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de « manu Domini patienter susceperit, plenariam indulgentiam acquirere « valeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

art. mortis lucranda.

D. Card. FERRATA, *Secretarius.*
F. Dom. M. Pasqualigo, O. P., Comm. Gen. S. O.

ANNOTATIO

Iam pridem notae erant imagines crucifixi quae cuilibet morienti devote illas osculanti vel tangenti et ceteris legibus satisfacienti plenariam indulgentiam in articulo mortis conferebant. Immo, teste BERINGER [1] frequens eorum usus fuit antequam BENEDICTUS XIV, C. *Pia Mater* usum absolutionis generalis cum indulgentia plenaria ordinasset. Quia autem quotquot morientes eas adhibuerint totidem possunt indulgentias lucrari, ita ut indulgentia usui possidentis imaginem reservata non sit, vocari coeptae sunt, imagines cum indulgentia *totiens quotiens*. Quare S. Pontifex declaratione sua receptam significationem mere restituit vel servavit.

Imaginum autem istarum duplex genus est, cum aliae interventum sacerdotis vel religiosi imaginem porrigentis postulent, dum aliae ab ipsis aegrotis assumi possunt. Hae, in praesenti declaratione, S. Pontificis animo observatae sunt.

103. — *DECRETUM « SANCTISSIMUS » EX AUD. SS^i 25 IUN. 1914*

Plenaria indulg. « totiens quotiens » in defunctorum solamen (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 378.)

Die 25 iunii 1914

Dies (25 iun. 1914).

Multis precibus motus et accedente Ss. Card. voto 24 iun. 1914, indulgentiam totiens quotiens 2 nov. pro defunctis omni ecclae vel oratorio concedit.

Ss^mus D. N. D. Pius div. prop. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, perlibenter suscipiens preces multorum, praesertim Sacrorum Antistitum, ampliori cupientium suffragio animabus in purgatorio degentibus subvenire, quo die generalis in Ecclesia universa defunctorum celebratur commemoratio, accedente eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium voto, in Congregatione habita feria IV, die 24 iunii, anno 1914, favorabiliter expresso, benigne concedere dignatus est, ut die secunda novembris cuiuslibet anni, christi-

[1] *Die Ablässe* ed. 13, p. 370, n. 330.

fideles, confessi ac s. Communione refecti, quotiens aliquam ecclesiam vel publicum aut semipublicum oratorium, defunctis suffragaturi visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, totiens plenariam Indulgentiam, animabus piacularibus flammis addictis tantummodo profuturam, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausulae.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor.

Annotationes

1. Die 27 febr. 1907 (Periodica, t. 3, p. 81 ; vel 2-3, p. 265, n. **201**), Portiuncula benedictina, tum visitantibus ecclesias vel publica oratoria Benedictinorum nigri coloris, tum gestantibus iubilare S. Benedicti numisma et visitantibus ecclesiam publicam seu publicum oratorium quodlibet, die 2 novembris benigne concessa est.

Praesens autem decretum, in summa, iuris universalis facit quod benedictinum privilegium erat.

Attamen quaedam inter utramque gratiam intersunt. Indulgentia benedictina, etiam defunctis applicabilis dicitur, dum haec solis defunctis prodesse potest.

Pro indulgentia benedictina oratorium benedictinum et quidem publicum visitari per se debet ; dum hic visitatio cuiuslibet oratorii etiam semipublici per se sufficit.

Restat itaque propria Ordinis Benedictini gratia ; verum hac una speciali utilitate donaturo ut personalis indulgentiae lucrandae copiam praebeat.

2. Hactenus sola indulgentia altaris privilegiati animabus purgatorii reservata erat. Hanc autem animae defuncti prodesse, etiam si quis in statu peccati mortalis celebraret [1], probabilius dicebatur (Génicot, *Inst. Theol. mor.* t. 2, n. **404**, 2°). Num perinde hic dicendum est ? Atque arbitramur opus quidem esse ut s. communio in statu gratiae fiat ; non autem ut preces, dum oratorium visitatur, in statu gratiae fundantur. Communio in statu gratiae requiritur, quia, secundum Ecclesiae usum, communio in statu peccati non tantum infructuosa verum *iuridice* nulla est. Quare sacrilegus praecepto paschali minime satisfacere potest. Quo discrimine privata communio a publica sacrificii oblatione probe secernitur.

Preces autem, praesertim pro aliis fusae, valore suo substantiali propter statum peccati non destituuntur. Quare, ad indulgentiam alteri, id est defuncto, lucrandam, preces illius qui statu gratiae excidit sufficere posse videntur.

[1] Qui sibi indulgentiam lucrari cupit, ultimum opus in statu gratiae peragere debet. Cf. Cod. I. C. can. 925.

3. Ex generali indulto 26 ian. 1911, visitatio utilis ad lucrandam indulgentiam ab hora meridiana diei primae novembris ad mediam noctem diei 2ae novembris institui potest. (Cfr. PERIODICA, t. 6, n. **486**, p. 8.)

4. Numquam, quod sciamus, hactenus indulgentia concessa est ad quam lucrandam visitatio oratorii *semipublici per se* sufficere dicebatur. Quamquam ex privilegio plures personae, quae oratorio publico carebant, oratorium suum semipublicum visitare permittebantur. Gratia itaque vere amplissima conceditur, quam tamen interpretatione nostra minuere prohibemur, propter verba quibus S. Pontifex porrectas multorum preces perlibenter suscipere perhibetur.

---

104. — *DECLARATIO EX AUD. SS^i 25 IUN. 1914*

De partialibus indulgentiis semel vel pluries in die lucrandis (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 379.)

Die 25 iunii 1914

Dies (25 iun. 1914).

Dubium.

Ss^mus D. N. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, proposito dubio, an totiens lucrifieri valeant indulgentiae partiales, quotiens iniunctae preces vel opera iterentur, si nulla fiat in ipsarum concessionibus declaratio de iis pluries in die vel semel tantum acquirendis; praehabito voto eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium, feria IV die 24 iunii 1914, in ordinaria Congregatione enuntiato, benigne respondere dignatus est: « Affirmative, seu « posse, in casu, eiusmodi partiales Indulgentiae totiens acquiri, quotiens « preces vel pia opera in concessionibus indicata reiterentur ». Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Votum S. Congr.

Responsum.

D. CARD. FERRATA, *Secretarius.*
Donatus Archiep. Ephesin., Assessor.

ANNOTATIO

Iam, itaque, plane constat quod communiter putabatur, hoc inter plenarias et partiales indulgentias interesse, ut, repetito opere cui annexae sunt, priores semel tantum in die, posteriores vero totiens quotiens acquirantur, nisi positiva concedentis definitio maiorem vel minorem gratiam statuat.

---

105. — *ELENCHUS INDULGENTIARUM « APOSTOLICARUM* [1] *» (5 SEPT. 1914)*

Indulgentiae quas SS^mus D. N. Benedictus Pp. XV impertitur Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint (A. A. S. 17 sept. 1914, 6, 503.)

Monita

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Benedictus XV impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur :

1. Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis obiectis.

2. Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3. Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Indulgentiae

Hisce praehabitis, recensentur Indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent :

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium eiusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos, vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere si fuerit sacerdos : quisquis haec fecerit vere contritus, et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis Ss^mae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae, et Omnium Sanctorum ; eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum exstirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque sanctae Ecclesiae necessitatibus ; quolibet dictorum dierum Plenariam Indulgentiam lucrabitur.

[1] Ex licentia S. Officii his Periodicis insertus.

Quisquis vero, corde saltem contritus, haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret : quavis Dominica vel alio anni festo Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur : sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea, quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos paenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quotiens id peregerit centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitut. quae incipit *Pia Mater* sub die 5 aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere paenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus, invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, Ss^mum^ Nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. V. Mariae, totiens quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties bis centum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Eandem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini nostri Iesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere paenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria* in honorem Ss^mae^ Trinitatis, aut in memoriam quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes Indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro se ipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a praedecessoribus Suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis ; quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex, indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum s. m. Alexandri VII editum die 6 februarii 1657, non transire personam illorum pro quibus benedicta fuerint, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerint distributa : et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud, ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium : nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eandem indulgentiam amittent : itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venumdari, iuxta decretum S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 iunii 1721.

Praeterea, idem Summus Pontifex confirmat decretum s. m. Benedicti XIV editum die 19 augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intellegi privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus assistunt benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitut. *P.a Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis S. Officii.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione aut dispositione in contrarium etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae ex aedibus S. Officii, die 5 septembris 1914.

Donatus, Archiep. Ephesinus, Assessor S. O.

Annotationes

Hoc elencho exhibentur indulgentiae quae vocantur « apostolicae », multis piis rebus supra citatis annecti solitae. Quamquam singuli Pontifices suum elenchum edant, accidit ut elenchum decessoris sui minime vel fere non mutent. Elencho Pii X Benedictus XV verba tantum addidit : (Quisquis vero) « corde saltem contritus » (haec omnia...).

Ex Can. 924, § 2 « Indulgentiae coronis aliisve rebus annexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur. »

Elenchum transcripsimus ex facultate nobis specialiter concessa. (Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablässe*, 14ª ed. I, p. 148, II, p. 437 ss.)

106. — *DECLARATIO SEU INDULTUM 23 IUL. 1914*

circa recitationem cuiusdam orationis pro Africae conversione (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 547.)

Ssmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, benigne concedere dignatus est ut in recitandis precibus pro Africae conversione, quae in authentica Sylloge indulgentiarum, a S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita die 23 iulii 1898 approbata, sub n. **340** reperiuntur, omitti possit invitatio seu introductio ad orationem proprie dictam, quin spirituales annexi favores depereant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

De mandato D. Card. Secretarii
Donatus, Archiep. Ephesinus, Assessor S. O.

ANNOTATIONES

Preces de quibus agitur in declaratione reperiuntur apud BERINGER, F., *Die Ablässe*, ed. 13, p. 261 ; ed. 14, p. 313. Invitatio praecedit iuxta ritum orationum in missa fer. VI in Parasceve. Oratio proprie dicta his verbis est concepta : « Domine Iesu Christe, unice Salvator universi generis humani, qui « iam dominaris a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum », aperi propitius Sacratissimum Cor tuum etiam miserrimis Africae animabus, quae adhuc in tenebris et umbra mortis sedent, ut intercedente piissima Virgine Maria, Matre tua immaculata, eiusque Sponso, gloriosissimo beato Ioseph, relictis idolis, coram te procidant Africani et Ecclesiae tuae sanctae aggregentur. Qui vivis etc. »

Pater noster. Ave Maria. Gloria Patri. (300 dies, totiens quotiens — Ind. plen. die quem quis elegerit in mense, si oratio fuerit singulis diebus recitata — Condiciones ordinariae.)

I. C., s. r.

---

107. — *DECRETUM 10 IUN. 1915*

De facultatibus et privilegiis secretariorum Piorum Operum Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiae (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 409.)

Ssmus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia impertita R. P. D. Assessori S. Officii, feria V, die 10 iunii 1915, praehabito Emorum ac Revmorum PP. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragio, feria IV, die 9 iunii 1915 emisso, super dubiis :

Dubia.

I. « An sacerdotes, qui in curiis dioecesanis secretarii munere funguntur, « per anni decursum oblationes recipientes, quas parochi dioecesium

« attulerint, ad respectivum directorem dioecesanum Piorum Operum « Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiae transmittendas, « ius habeant ad facultates et privilegia parochorum ? ».

II. « An directores praedicti auctoritate polleant easdem facultates et « privilegia iisdem secretariis communicandi ? ».

Responsum. Respondendum mandavit : « Negative ad utrumque ».

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor. S. O.

---

108. — *DECRETUM 10 IUN. 1915*

De indulgentiis Apostolatui Orationis annexis

(A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 409.)

Propositis Supremae huic S. Congregationi S. Officii sequentibus dubiis :

Dubia. I. « An is qui Apostolatui Orationis ascribitur, ut indulgentiam diei « inscriptionis annexam lucretur, loco ipsius diei inscriptionis, alium diem « ad libitum sibi eligere possit ? ».

II. « An cotidiana matutina intentio, in praedicto Apostolatu per « quamlibet formulam, secundum statuta, peragenda, fieri possit per « actum mere internum ? ».

Responsum. Emi ac Rmi PP. Cardinales Inquisitores Generales, feria IV, die 9 iunii 1915, respondendum censuerunt :

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Intentionem formula vocali esse exprimendam ».

Et feria V subsequenti, die 10 iisdem mense et anno, Ssmus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Enorum PP. sententiam approbavit, Suaque Suprema Auctoritate confirmavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor S. O.

Annotationes

Ex prima parte responsi patet interesse ut inscribendus diem ascriptionis eligat aut de ipso a directore commonefiat. Quod ad secundam partem, notandum est iam pluries de simili quaestione esse disputatum, nempe utrum ad lucrandas indulgentias vocalis oratio vel actus externus sit necessarius necne. Quaestio doctrinalis a SS. Congregationibus nunquam est dirempta. At ex pluribus responsis particularibus et ex modo quo surdo-mutis conceditur ut vocali orationi mentalem cum *externa* actione suppleant, concludi posse videbatur ad lucrandas indulgentias orationem vocalem vel saltem, ut in

via Crucis, actus externos requiri. Cf. Const. Benedict. XIV « *Convocatio* » 25 nov. 1749, § 51 ; Resp. S. C. Indulg. 13 sept. 1888 (A. S. S. XXI, p. 192) ; Decr. S. C. Indulg. 16 febr.-15 mart. 1852 (Raccolta, X) ; decr. 18 iul. 1902 (A. S. S. XXXV, 570). BERINGER-HILGERS, *Die Ablässe*, I.[11], p. 121 ss. Ex can. 936 tamen monemur satis esse mutis ut privatas preces « mente recolant » ad lucrandas indulgentias.

I. C., s. I.

109. — *DECRETUM 17 IUN. 1915*

Quo confirmatur Decr. S. C. Indulgent. 12 martii 1855 circa privilegii altaris applicationem

(A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 410.)[1]

Supremae Sacrae Congregationi S. Officii proposito sequenti dubio : « An decretum S. Congr. Indulgentiarum d. d. 12 martii 1855 abrogatum « censendum sit per resolutiones ab eadem S. Congregatione datas diebus « 19 iunii 1880 et 19 decembris 1885 ; ita ut, tum Sacerdos celebrans, tum « fidelis offerens Missae stipendium omnino elicere debeant intentionem, « saltem virtualem, lucrandi pro defuncto indulgentiam plenariam altaris « privilegiati ? », Emi ac Rmi PP. Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 16 iunii 1915, respondendum censuerunt : *Negative*. **Dubium.** **Responsum.**

Et Ssmus Dnus noster D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia insequenti feria V, die 17 eiusdem mensis et anni, R. P. D. Assessori S. Officii impertita, EE. PP. sententiam approbavit et confirmavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.
Donatus, Archiep. Ephesin., Assessor S. O.

ANNOTATIONES

Recepta doctrina est sufficere intentionem *habitualem* ad lucrandas indulgentias operibus piis annexas. Si agitur de indulgentia plenaria, quam sacerdos ad altare privilegiatum celebrans defuncto, pro quo missam offert, lucratur, res nulli iam dubio obnoxia est ex decreto S. C. Indulg. d. 12 mart. 1855. Proposito enim dubio « utrum missa celebrata ad altare privilegiatum sit per se privilegiata vel necesse sit, ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicare privilegium » responsum est « *affirmative ad 1am partem, negative ad 2am* ». [1]

Immo, quamquam indulgentia altaris privilegiati ex praxi Ecclesiae *certe uni* tantum defuncto applicari potest, si quis, pro pluribus simul celebrans, defunctum non designaverit cui privilegium voluerit applicare, uni tamen ex illis privilegium proderit. Roganti enim Procuratori Generali Trappensium

1 Decret. auth. S. C. Ind. n. 366.

« num privilegium (sc. altaris privilegiati) inutile evaserit ex eo, quod uni ex iis (sc. pluribus defunctis) determinatae animae non consueverit applicari » S. C. respondit (decr. 19 iun. 1880) : « Negative. » [1] Quo responso confirmatur decretum d. 12 mart. 1855 : ex eo enim patet intentionem virtualem applicandi privilegium defuncto, pro quo missa celebratur, non requiri. Quicumque autem pro defunctis in altari privilegiato celebrat, censetur habere intentionem uni saltem ex illis privilegium applicare. Etiam quod ad hoc privilegium, applicatio, ut patet, a solo divino consilio pendet : proin non *certum* est eam fieri *illi* animae vel *uni ex illis* pro quibus offertur.

Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablässe*, I.[14], p. 562 ss.

I. C., s. I.

110. — *RESPONSUM 13-14 DEC. 1916*

Qua die indulgentia « totiens quotiens » in commemoratione omnium fidelium defunctorum lucranda sit

(A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 179.)

Dubium. Huic Supremae Congregationi S. R. et U. Inquisitionis, ex parte R. P. D. Ioannis Bapt. Fallize, Episcopi tit. Elusan., Vicarii Apostolici Norvegiae, dubium exhibitum fuit : « Utrum decretum Supremae S. C. « S. Officii, d. d. 25 iulii 1914, respiciens indulgentiam plenariam *totiens* « *quotiens* lucrandam quotannis die 2 novembris, in favorem animarum « in purgatorio degentium, ita intellegi debeat, ut eadem indulgentia sit « perenniter affixa enuntiato diei, an vero Commemorationi omnium « fidelium defunctorum, quae iuxta rubricas contingat etiam alia die « celebrari ? »

Responsum. Eminentissimi Domini Cardinales Inquisitores Generales in consuetis comitiis, habitis feria IV, die 13 decembris anno 1916, responderunt : « *Negative* ad primam partem ; *Affirmative* ad secundam. »

Quam resolutionem Ss^mus^ D. N. Benedictus divina providentia Pp. XV, in audientia R^mo^ P. Commissario Generali S. O. impertita feria V. die 14, iisdem mense et anno, benigne approbavit ac publici iuris fieri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius.*
Fr. Dominicus Pasqualigo, O. P., Commiss. Gen. S. O.

Annotatio

Responsione ista mere confirmatur regula generalis secundum quam, translato festo, etiam indulgentiae huic annexae transferuntur nisi solum officium et missa, non ipsa autem sollemnitas, translata sint. Cf. Decr. Pii IX, *Urbis et Orbis* 9 aug. 1852 (Decr. auth. n. 360.)

[1] l. c. n. 451.

DECRETA SUMMATIM RELATA

111. — *S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)*

A. *Evulgatur summarium indulgentiarum et privilegiorum Archisodalitatis « Adorationis assiduae pro Pontifice »* (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 310).

Die 21 maii 1914, S. Pontifex approbavit summarium indulgentiarum et privilegiorum concessorum Archisodalitati Barcinonensi « Adorationis assiduae pro Pontifice ».

Indulgentiae et privil. Archisodal. Adorationis assiduae pro Pontifice.

B. *Indulgentia conceditur recitantibus orationem : Laudetur Cor sacratissimum Iesu in Sanctissimo Sacramento* (A. A. S. 20 aug. 1914, 6, 406).

In audientia 11 iulii 1914, S. Pontifex Pius Pp. X orationi : *Laudetur Cor sacratissimum Iesu in Sanctissimo Sacramento,* annectere dignatus est indulgentiam 100 dierum, defunctis applicabilem.

Indulg. pro oratione in hon. SS. Cordis conceditur.

C. *Augetur indulgentia recitantibus « Orationes tempore calamitatis »* (A. A. S. 17 sept. 1914, 6, 506).

In audientia 12 aug. 1914, S. Pontifex Pius X, loco indulgentiae 60 dierum, concessit 300 dierum indulgentiam recitantibus orationes quae sub titulo *Orazioni in tempo di calamità,* n. 332 in Authentica Sylloge indulgentiarum exhibentur.

Indulg. orationis pro calamitate augetur.

D. *Definiuntur indulgentiae concessae sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendae* (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 670).

Die 26 nov. 1914, S. Pontifex declaravit ad lucrandas indulgentias sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendae, sufficere ut fideles ascribantur huius modi sodalitati ubilibet canonice exsistenti; item ut visitationes praescriptae fiant in qualibet ecclesia vel publico oratorio.

Indulg. sodal. pro lectione Evang. declarantur.

E. *Conceditur indulgentia se devoventibus Domino Nostro* (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 697).

In audientia 3 dec. 1914, S. Pontifex concessit ut fideles qui se Iesu Christo pie vovent, simulque mortem in eiusdem amore obire peroptant, sequentem oratiunculam recitantes : « Iesu, tibi vivo ; Iesu, tibi morior ; Iesu, tuus sum ego in vita et in morte. Amen. » lucrentur indulgentiam 100 dierum, defunctis applicabilem ; et semel in mense indulgentiam plenariam, solitis condicionibus, si eam orationem cotidie recitaverint.

Indulg. orationi ad Iesum annectitur.

F. *Oratio pro pace ditatur indulgentia* (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 65).

In audientia 21 ian. 1915, S. Pontifex orationem pro pace 300 dierum indulgentia, defunctis applicabili, durante bello, ditavit.

Indulg. orat. pro pace conceditur.

G. *Altaris privilegium tribuitur pro missis celebratis in suffragium peremptorum in praesenti bello* (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 66).

Altare privilegiatum.

In audientia 28 ian. 1915, S. Pontifex altaris privilegium tribuit omnibus missis celebratis in suffragium eorum qui in praesenti bello ceciderunt et cadent.

H. *Augetur indulgentia pro laude SS. Sacramenti* (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 207).

Indulg. pro laude SS. augetur.

In audientia 15 apr. 1915, S. Pontifex, abolitis indulgentiis partialibus huc usque annexis orationi: *Sia lodato e ringraziato ogni momento, il santissimo e divinissimo Sacramento,* concessit indulgentiam 300 dierum defunctis applicabilem.

I. *Conceditur indulgentia plenaria piis exercitiis in honorem S. Dominici* (A. A. S. 21 maii 1915, 7, 232).

Indulg. pio exerc. in hon. S. Dominici conceditur.

In audientia 6 maii 1915, S. Pontifex concessit indulgentiam plenariam singulis vicibus lucrandam illis qui pia exercitia ab Ordinario loci approbata, per quindecim fer. III continuas ante festum S. Dominici in eius honorem peragent, modo confessi ac Sacra Synaxi refecti ad mentem S. P. oraverint.

J. *Conceditur indulgentia 300 d. recitantibus pias preces in honorem 5 vulnerum D. N. I. C.* (A. A. S. 21 maii 1915, 7, 233).

Conceditur indulg. orationi in hon. 5 Vulnerum.

In audientia 6 maii 1915, S. Pontifex concessit indulgentiam 300 d., defunctis applicabilem, fidelibus pie recitantibus preces, quarum textus in actis l. c. subicitur.

K. *Ampliatur indulgentia orationi adiecta* (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 411).

Indulg. orat. in hon. SS. Cordis augetur.

Decreto 8 iul. 1915, S. Pontifex concessit orationi: « O Gesù, vita eterna nel seno del Padre, vita delle anime fatte a vostra somiglianza, in nome del vostro amore fate conoscere, svelate il vostro Cuore » indulgentiam 300 dierum, deinceps totiens quotiens lucrandam, animabus in purgatorio profuturam.

L. *Conceditur facultas benedicendi numismata S. Benedicti* (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 435).

Facultas benedicendi numismata S. Bened. conceditur.

In audientia 5 aug. 1915, R. P. benigne concessit ut « sacerdotes omnes... qui in proelio aut in castrorum hospitalibus seu in navibus, praesenti bello perdurante, militibus operam suam praestant in spiritualibus, valeant unico crucis signo, benedicere numismata S. Benedicti, eisque omnes applicare indulgentias, hucusque huiusmodi numismatibus a S. S. concessas.

M. *Conceduntur indulgentiae recitantibus orationes quasdam pro pace* (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 436).

Conceduntur indulgentiae orat. pro pace.

In audientia 5 aug. 1915, R. P. concessit ut fideles qui recitarent orationem Canonis « Libera nos, quaesumus, etc. ». « Pax Domini sit semper nobiscum » « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem » totiens quotiens lucrentur ind. 300 d. applicabilem defunctis et cotidie recitantibus indulg. plen. condicionibus ordinariis.

N. *Invocatio ad B. M. V. a SS^mo Rosario indulgentia C dierum ditatur* (A. A. S. 6 oct. 1915, 7, 462).

Indulg. invoc. B. V. conceditur.

Decreto 1 oct. 1915, S. P. invocationem « Regina Sacratissimi Rosarii, o. p. n. », indulgentia C dierum totiens quotiens lucranda ditavit.

O. *Conceditur facultas applicandi crucifixis indulgentias viae crucis in favorem militum.* (A. A. S. 30 nov. 1915, 7, 496).

Indulgentiae Viae Crucis Crucifixo annexae.

Decreto *S. Officii* 11 nov. 1915, conceditur omnibus sacerdotibus qui militibus, perseverante hoc bello, terra marique spiritualibus subsidiis assistunt, ut unico crucis signo crucifixos ex solida materia benedicere et iis applicare indulgentias Viae Crucis a militibus lucrandas qui, aliquem ex his crucifixis manu gerentes, quinquies Pater, Ave, Gloria recitaverint ni viginti, alias praescribi solitas, eiusmodi preces recitare potuerint.

P. *Approbatur pium exercitium 15 feriarum III in honorem S. Dominici* (A. A. S. 20 dec. 1915, 7, 570).

Approbatio pii operis in hon. S. Domin.

Decreto 25 nov. 1915, R. Pontifex concessit ut quolibet anni tempore fieri possint pia exercitia per 15 ferias tertias continuas in honorem S. Dominici, quibus indulgentiae annexae sunt. (Cf. supra p. 216 ad litt. I).

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

112. — *GRATIA 19 FEBR. EX AUD. SSi CUM LITTERIS EM. PRAEF. S. C. P. F. 27 IUN. 1914*

De iurisdictione in aquis Congolensibus [1]

Beatissime Pater,

A. *Gratia 19 febr. 1914*

Oratores Vicarii et Praefecti Apostolici Congi belgici, ad pedes S. V. devotissime provoluti, humiliter exponunt:

proposita difficultate, Iuxta praefatam dicionem vel inter eius provincias seu partes adsunt flumina, lacus, vel amnes quae pluribus millibus lata sunt et tanta sunt longitudine quam naves quae vapore moventur ante plures dies vel hebdomadas non superent. In eorum porro alveo non raro insulae reperiuntur quae homines ferunt in iis temporariam vel etiam stabilem domum habentes. Cum autem dicti rivi variis missionariorum territoriis sint adiacentes, dubia de competentia ad sacramenta administranda in navibus vel insulis facile oriuntur.

petunt Quocirca praefati oratores enixe efflagitant S. V. quatenus concedere vel authentice declarare dignetur:

usum decretorum S. Officii de navig. maritima 1) Ut ad omnes fluvios, lacus, rivos quibus belgica Congi dicio circumdatur vel permeatur perfecte transferri possint decreta tum praesentia tum futura de iurisdictione per iter maritimum, nominatim vero decreta S. Cong. S. Officii 23-24 Aug. 1905 et 12-13 dec. 1906.

et cumulative iurisdictionem. 2) Ut nisi aliter de quibusdam insulis positive statutum sit vel statuatur, Ordinarii missionum quae lacui vel rivo adiacent cumulative potestatem suam, per se vel alios exercere possint in finitimis rivorum partibus usque ad ripam adversam, et in insulis totis quae in iisdem rivorum partibus partim saltem sitae sunt.

. . . . . .

Responsum. II. Quoad autem iurisdictionem durante navigatione fluviali et lacustri, in audientia SSmi diei 19 superioris mensis februarii habita, referente me infrascripto S. huius Congregationis Cardinali Praefecto, SSmus Dominus Noster benigne annuens precibus Amplitudinis Tuae et aliorum istius Belgicae Coloniae Ordinariorum, declaravit extensa ad omnes fluvios, lacus, rivos regionis Congi belgici duo decreta Supremae Congregationis S. Officii circa Sacerdotes navigantes iter maritimum, id est 1° Decretum sub die 23 augusti 1905; 2° Decretum sub die 13 decembris 1906 (quae videre est in Collectanea huius S. Congregationis vol. II, pag. 476, n. 2244).

Conceditur usus decretorum S. Officii, in aud. 19 febr. 1914.

Dies (27 iun. 1914). B. *Litterae Em. Praef. Prop. Fid. 27 iun. 1914.*

Illme ac Revme Domine,

Memorata instantia. Per litteras die 20 vertentis mensis datas, A. T., suo et ceterorum Ordinariorum Congi Belgici nomine, iterum recurrit ad S. hanc Congre-

---

[1] Ex diplomatibus authenticis, id est, ex litteris quas Em. Card. GOTTI 23 martii 1914 dedit ad Ill. D. VICTOREM ROELENS, Vicarium apostolicum Congi superioris.

gationem, postulans ut provideatur, per aliquod generale decretum, ecclesiasticae iurisdictioni iis in insulis quae in lacubus vel fluminibus exsistentes, nemini certo Ordinario subesse videntur.

Quae petitio, superiori mense februario a Vobis exhibita, iam fuerat ab hac S. Congregatione mature perpensa. — Porro postulationi quam nunc renovas, satis provisum est per litteras diei 23 elapsi mensis martii, ad secundum, cum SS^mus Dominus Noster declaraverit extensa ad fluvios lacusque regionis decreta Supremae Inquisitionis, die 23 augusti 1905 et 13 decembris 1906 edita, circa maritimam navigationem. **Respondetur**

Omnes igitur sacerdotes ab istarum Missionum Ordinariis approbati et ad praedictas insulas pervenientes, poterunt ibidem sacramentales confessiones excipere, iuxta ea quae, in altero ex citatis decretis, de sacerdote in terram obiter descendente statuta sunt. — Si qua vero huiusmodi incertae iurisdictionis insula, talis sit magnitudinis quae proprios habeat stabilesque incolas, ita ut proprio etiam indigeat pastore, velint Ordinarii Oratores petere ab hac Sacra Congregatione ut alicui certae Missioni addicatur, traditis opportunis ea de re informationibus necnon mappa geographica perspicue territorium describente. *gratiae factae interpretatione.*

Interim Deum rogo ut Te diu sospitet. *Conclusio*

Add^mus Servus
Fr. N. M. Card. Gotti, *Praef.*
C. Laurenti, Secret.

R. P. D. Victori Roelens, Vicario Ap. Congi Superioris.

Annotationes

1. Bina decreta quorum usus in fluviali et lacustri belgici Congi navigatione permittitur habentur Periodica, n. **174**, t. 3, p. 224 (vel t. 2, p. 40).

Priore porro decreto possunt sacerdotes, a proprio Ordinario ex cuius dioecesi discedunt, vel ab Ordinario portus in quo in navim conscendunt aut portus cuiuslibet intermedii, approbati, durante itinere, *in navi* omnium fidelium secum navigantium confessiones excipere.

Altero vero, prior facultas extenditur ad fideles qui quavis ex causa ad navim accedunt et ad fideles qui, « ipsis forte in terram obiter descendentibus confiteri petant, dummodo, quod ad secundum casum spectat, nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat. »

2. Si gratiam factam cum gratia petita compares, illam ista minorem esse facile constat. Postulabatur enim usus omnium decretorum, tum praesentium tum futurorum, de itinere maritimo, dum usus duorum tantum decretorum permittitur. Praeterea Ordinariis riparum adiacentium cumulativa iurisdictio ad omnia ministeria spiritualia exercenda petebatur.

Haec autem negata est.

3. Simul tamen recusatio ista temperatur utili declaratione

quam ipsi facere vix ausi simus. Secundum eam enim, quotquot sacerdotes ab aliquo Congi belgici Ordinario approbati sunt, in insulis, de quibus petebatur, sacramentales confessiones audire possunt. Non itaque refert utrum consulto an forte ad eas pervenerint, utrum durante itinere generaliori an in brevi itinere ideo suscepto, utrum de longe distante an de vicina insula agatur. Itaque cymba vectus missionarius proximam insulam visitare volens, ibidem fideles quoslibet sacramentaliter absolvere poterit.

4. Inter insulas tamen istas illae de quibus Ordinarius definitus est ab aliis distinguendae sunt. In prioribus, ex auctoritate Ordinarii omnia sacramenta conferri vel administrari poterunt ; ut autem sine eius auctoritate missionarii confessiones excipiant, oportet ut facile adiri nequeat. In aliis autem quae certo Ordinario carent, solus sacramenti paenitentiae usus per se permittitur sed de Ordinario quaerendo nulla sollicitudo habenda est.

5. Ex ipso supplici libello vis gratiae factae illustratur. Quocirca cum petitio diserte facta sit cum de fluviis, lacubus et rivis quibus belgica dicio circumdatur, tum de illis quibus permeatur, verba « fluvii, lacus, rivi Congi belgici » de utraque ratione sumi possunt.

6. Denique mens S. Congregationis de re dubia indirecte aperitur. Quando territorium fluvio vel rivo finitur, dubitari poterat utrum ad oram fluvii an ad mediam fluvii partem an ad rivum oppositum iurisdictio protenderetur. Ex responsis factis constare videtur insulas quae in istis rivis iacent per se ad neminem pertinere. Ergo ad ipsam fluvii oram iurisdictio finiri dicenda est.

DECRETA SUMMATIM RELATA

113. — *S. CONGR. DE PROP. FIDE*

A. *Augetur territorium Praefecturae insularum Sundae minorum* (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 379).

Fines immutantur Praefecturae.

Decreto 20 iul. 1914, S. Congr. de Prop. Fide insulam *Flores* seiunxit a Vicariatu Bataviensi et adiecit Praefecturae insularum Sundae minorum.

B. *Immutatur titulus Vicariatuum apostolicorum de Victoria-Nyanza* (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 47).

Immutatur titulus.

Die 11 ian. 1915, S. Congr. de Prop. Fide statuit Vicariatum Victoriae Nyanzae Septemtrionalis deinceps nominandum de *Uganda;* Vicariatum autem Victoriae Nyanzae meridionalis simpliciter Victoriae Nyanzae denominandum.

C. *Declarantur fines Vicariatuum apostolicorum Mongoliae orientalis et meridionalis* (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 113).

Declarantur fines Vicariat. Mongoliae.

Die 12 dec. 1914, S. Congr. de Prop. Fide declaravit territoria de quibus dubium erat, pertinere ad Vicariatum Mongoliae orientalis; ceterum iam satis ad hoc provisum esse per limites designatos a S. Congregatione in praecedenti decreto.

D. *Erigitur Praefectura apostolica de Sapporo in Iaponia* (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 114).

Erigitur Praefectura apost. in Iaponia.

Die 12 febr. 1915, S. Congr. de Prop. Fide censuit separandas a dioecesi Hakodatensi insulas Yesso, Sachalin, Kurille, ex quibus erigatur Praefectura de Sapporo, concredita Ordini Fratrum Minorum.

E. *Erigitur Praefectura apostolica Zambesiana in Rhodesia anglica* (A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 148).

Erigitur Praefectura apost. in Rhodesia.

Die 9 mart. 1915, S. Congr. de Prop. Fide Missionem Zambesianam in Rhodesia anglica, Societati Iesu concreditam, evexit in Praefecturam apostolicam.

F. *Praefectura apostolica Senegalensis ad septemtrionem extenditur* (A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 148).

Immutantur fines Praef. Seneg.

Die 10 mart. 1915, S. Congr. de Prop. Fide partem Mauritaniae adiciendam statuit Praefecturae apostolicae Senegalensi.

G. *Determinantur fines inter Vicariatus Ton-Kin meridionalis et Ton-Kin maritimi* (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 330).

Fines Vicar. Ton-Kin.

Decreto 21 iun. 1915, S. Congr. de Prop. Fide, ad praecavendas difficultates, statuit limites inter Vicariatum apostolicum Ton-Kin meridionalis et Ton-Kin maritimi in montana regione Chan-Lao desumendos esse ex linea divisionis aquarum.

H. *Confirmatur electio Abbatis Novae Nursiae* (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 331).

Electio Abbatis Novae Nursiae.

Decreto 30 iun. 1915, S. Congr. de Prop. Fide S. Pontifex confirmavit electionem R. P. D. Catalan O. S. B. in Abbatem Nullius Novae Nursiae in Australia.

I. *Laudatur Societas pro Missionibus apud Maryknoll instituta* (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 421).

Decretum laudis.

Die 15 iul. 1915, S. Congr. de Prop. Fide dedit decretum laudis Societati pro Missionibus exteris, apud Maryknoll in Foederatis Americae Statibus instituta, eiusque Constitutiones ad decennium probavit.

H. *Immutatur nomen Vicariatus Tchao-tchiou* (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 440).

Immutatio nominis Vic. in Sinis.

Decreto 18 aug. 1915, S. Congr. de Prop. Fide censuit Vicariatum Tchao-tchiou in Sinis deinceps ab urbe regionis principe « Swatow » vocandum esse.

S. CONGR. DE PROP. FIDE PRO NEG. RITUS ORIENTALIS

114. — *RESPONSUM 22 MART. 1916*

de valore constitutionis apostolicae « Incruentum » quoad Orientales (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 104.)

Nella plenaria adunanza della S. Congregazione di Propaganda Fide per gli affari di rito orientale, tenutasi il 13 marzo 1916, fu presa in esame la proposta d'estendere agli Orientali il privilegio di dire tre Messe nel giorno della Commemorazione dei fedeli defunti, a norma della Costituzione Apostolica *Incruentum* del S. P. Benedetto XV, con i seguenti dubbi ;

Dubia.

I. Se il privilegio Benedettino di celebrare tre Messe nel giorno della solenne Commemorazione dei defunti si estenda agli Orientali.

Et quatenus negative :

II. Se convenga estendere agli Orientali il privilegio di cui è parola nel primo dubbio.

Et quatenus affirmative :

III. In qual giorno i sacerdoti dei diversi riti orientali possano godere del privilegio medesimo.

Responsa.

E gli Emi signori Cardinali dopo maturo esame risposero :

Ad I. Negative.

Ad II. Prout proponitur non expedire.

Ad III. Provisum.

Dies (22 mart. 1916).

Il S. Padre nell'udienza accordata al sottoscritto Segretario della medesima S. Congregazione, il 22 marzo seguente, si è degnato di approvare le surriferite risoluzioni. [1]

GIROLAMO ROLLERI, *Segretario.*

ANNOTATIONES

Primum responsum eruitur ex principio iuxta quod leges universales Ecclesiae latinae Orientales non respiciunt, nisi ex natura sua id exigant, ut sunt dogmaticae definitiones, vel specialiter id notetur.

---

[1] Responsi textus sic latine verti potest :

« In plenaria sessione S. C. de P. F. pro negotiis ritus orientalis, habita d. 13 mart. 1916, examini subiecta est propositio extendendi ad Orientales privilegium dicendi tres missas die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ad normam Const. Apost. *Incruentum* S. P. Benedicti XV, cum sequentibus dubiis :

I. An extenditur ad Orientales privilegium Benedictinum celebrandi tres missas die solemnis Commemorationis defunctorum ?

Et quatenus negative :

II. An convenit extendere ad Orientales privilegium de quo agitur in primo dubio ?

Et quatenus affirmative :

III. Quonam die sacerdotes variorum rituum orientalium illo privilegio frui possunt.

Et Emmi. D. Cardinales, re mature perpensa, responderunt :

Ad I. Negative.

Ad II. Prout proponitur non expedire.

Ad. III. Provisum.

S. P. in audientia infrascripto secretario eiusdem Congregationis concessa, d. 22 martii sequenti, dignatus est supra relatas resolutiones approbare.

Responsum ad alterum dubium conforme est voluntati RR. PP. ritus orientales integros omnino servandi. Dum enim mos est apud latinos ut in singulis ecclesiis tot cotidie celebrentur missae quot sunt sacerdotes, immo unus sacerdos ob necessitatem populi aut ob festi sollemnitatem, ut in Natali D^ni^, pluries eodem die litare possit, apud Orientales principium semper viguit unius sacrificii in singulis ecclesiis offerendi. Itaque in multis eorum ecclesiis unicum altare erigitur. Quare ab eorum ritibus prorsus alienum foret privilegium, quod a sacerdotibus ritus latini tanto gaudio est acceptum. Cf. Bona Card. *Rerum liturg.* I. c. xiv § 311. — *Dict. arch. et liturg.* I. II. c. 3185, V° Autel.

I. C., s. i.

DECRETA SUMMATIM RELATA

115. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE (pro negotiis Ritus Orientalis)*

A. *Ordinatur spiritualis administratio ecclesiae graeco-ruthenae in Foederatis civitatibus Americae septemtrionalis* (A. A. S. 3 sept. 1914, 6, 458).

Rutheni in Stat. Foed. Americae.

Decreto 17 aug. 1914, S. Congr. de Propaganda Fide plura composuit circa administrationem ecclesiae graeco-ruthenae in Foederatis civitatibus Americae septemtrionalis. In multis concordant cum praescriptionibus factis pro regione Canadensi (PERIOD. VII, p. 216). Decretum approbavit S. Pontifex Pius X die 12 aug. 1914, ad decennium.

B. *Determinantur normae de assistentia spirituali fidelium graeco-rutheni ritus in regionibus Americae meridionalis immigrantium* (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 105).

Graeco-rutheni in America meridionali.

Decreto 27 martii 1916, S. Congr. de P. F. *ad decennium valituro*, quasi brevi codice, suppressis omnibus anteactis, regulae traduntur de regimine spirituali Graeco-Ruthenorum in America meridionali, de transitu ad alium ritum et de utriusque ritus communicatione.

Tum fideles, tum sacerdotes ritus graeco-rutheni iurisdictioni Ordinarii loci omnino subduntur. — Ubique licet fidelibus utriusque ritus a sacerdote utriuslibet ritus recipere absolutionem sacramentalem et S. Communionem, dum sanctum viaticum, excepta urgente necessitate, a proprio parocho est accipiendum. — Omnium matrimonia forma decreti *Ne temere* sunt celebranda. — Baptismus ex necessitate in alieno ritu susceptus et consuetudo sacramenta petendi a sacerdote diversi ritus mutationem ritus non inducunt. I. C., s. I.

S. CONGR. DE RELIGIOSIS

116. — *RESPONSUM 1 MART. 1915*

circa interruptionem studiorum (A. A. S. 15 mart. 1915, 7. 123).

Quaestiones.

Huic sacrae Congregationi de Religiosis propositae fuerunt quaestiones :

1. De interrupto anno repetendo.

I. Cum haud raro contingat, ut Religiosi studentes, absque ulla ipsorum aut Superiorum culpa, per plures menses studia interrumpere cogantur (ex. gr. infirmitatis, aut servitii militaris causa), quaeritur utrum huiusmodi studentes totum annum scholarem sic interruptum seu abbreviatum repetere teneantur ; an a Superiore generali, accedente voto deliberativo suorum Consiliariorum, dispensari possint.

2. De examine circa disciplinas accessorias.

II. Utrum examen seu periculum de quo in Responso ad n. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 septembris 1909 sermo est, subiri debeat etiam ab alumnis, qui aliquam disciplinam accessoriam Theologiae in scholis non excoluerint ; et, si affirmative, utrum hoc examen tam ab istis alumnis quam ab aliis subeundum, coincidere possit cum examine in fine anni scholaris subiri solito.

Responsa.

Quibus quaestionibus, in Congregatione generali diei 8 ianuarii 1915, Emi Patres responderunt :

Ad I. Negative ad 1am partem ; affirmative ad 2am, dummodo 1) interruptio seu compendium studiorum complexive non duraverit ultra tres menses ; 2) studia omissa scholis privatis suppleta fuerint ; 3) et in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est, prorsus didicisse.

Ad II. Examen, de quibus in Responso ad num. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 sept. 1909 agitur, requiri pro qualibet disciplina omissa, sufficere tamen examen ordinarium etiam in fine anni praestitum, quod ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum constare debet.

Approbatio R. P. et clausula.

Et sanctissimus Dominus noster Benedictus XV in audientia diei 2 ianuarii 1915, infrascripto Secretario benigne concessa, has responsiones approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (1 mart. 1915).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 1 martii 1915.

O. Card. Cagiano de Azevedo, *Praefectus.*
Adulphus, Episcopus Canopitan., Secretarius.

Annotationes

1. Occasione declarationis 7 sept. 1909 ab hac S. C. datae, sententiam suam de interruptione anni scholaris R. P. Vermeersch proposuerat Cf. Per. V, p. (27). Authentica declaratio, etsi benignior est quod ad tempus interruptionis, condicionibus appositis omnem abusum removere intendit.

Ac primum agitur de religiosis qui « absque ulla ipsorum

aut Superiorum culpa » studia interrumpere cogantur. Nec inutile est notare causas interruptionis ex condicione ipsius scholastici desumi, ita ut contra legem faceret Superior qui hoc responso fretus scholasticos a studiis retraheret, ut ipsis munus aut officium committeret. Si autem causa fuerit vere necessaria, tunc ob interruptionem etiam trium mensium, sive continuam, sive variis absentiis ortam, non cogitur religiosus annum abbreviatum repetere.

Duae tamen condiciones observandae sunt. Studia omissa scholis privatis supplenda sunt. Neque *scholae* privatae privato studio aequiperantur, sed requiritur ut hoc privatum studium sub speciali magistrorum directione peragatur. Sufficit tamen ut magister privatis colloquiis discipulo quaestionum ordinem et praecipuas difficultates exponat. Altera condicio est ut scholasticus de materiis quae, eo absente, sunt explicatae, rite examinetur et de eius scientia constet. Libertas ergo non relinquitur examinatoribus ut quaestiones ponant de iis tantum disciplinae partibus, quas, praesente illo scholastico, in scholis explanarunt.

Tandem Consilio Superioris generalis *deliberativum* votum tribuitur in examinanda opportunitate anni scholaris in his adiunctis non explendi.

2. In secundo responso confirmat S. C. responsum datum in declar. 7 sept. 1909 (Period. V, p. 44). Si alumni disciplinam accessoriam privatim, non autem in scholis rite ordinatis, excoluit, de ea subire debet examen, etiamsi circa illam disciplinam reliqui alumni non examinentur. Istud tamen examen pars esse potest illius quod in fine anni de aliis disciplinis ab omnibus exigitur. De rite superato examine in hoc casu iurata fides examinatorum requiritur. (Cf. cit. decl. n. VI.) I. C., S. I.

---

117. — *RESPONSUM 7 NOV. 1916*

De clausura postulantium apud Moniales (A. A. S. 1 dec. 1916, 8, 446).

Dubia. Sacrae Congregationi de Religiosis sequentia dubia, pro opportuna solutione, proposita sunt :

I. An puellae postulantes e monasteriis clausurae papali subiectis egredi possint, parentes vel notos invisendi gratia, aut alia de causa. Et quatenus negative :

II. Utrum ad huiusmodi egressum venia Apostolicae Sedis indigeant, an satis sit consensus Ordinarii.

Responsum. Eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad. II. *Affirmative* ad primam partem ; *negative* ad secundam.

Dies (7 nov. 1916).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis de Religiosis, die 7 novembris 1916.

D. Card. Falconio, Episcopus Veliternen., *Praefectus.*
Adulphus, Episcopus, Canopitan., Secretarius.

Annotationes

1. Decreto suo *Quo propositum* 15 aug. 1912 ipsa S. Congregatio praesenti dubitationi locum dedisse videtur. Decreto enim isto praecepit ut, nisi propriae Instituti Constitutiones diversum modum et tempus ordinassent, postulantes in monasteriis monialium votorum sollemnium saltem per sex menses probarentur, permisit autem ut intra clausuram papalem admitterentur. Hinc pronum fuit petere de modo quo puellae istae clausura detinentur.

2. Ac mentem S. Sedis fuisse ut puellae istae, intra claustra receptae, communi clausurae regimini subderentur, satis facile colligi potuit. Quare S. Congregatio incunctanter respondit, egressum e clausura puellis istis (si causas canonicas pro monialibus admissas excipias) ex sola S. Sedis venia permitti posse. Nec momentum seu difficultatem dubii talem esse aestimavit quae approbationem SS[i] pro responso exigeret.

3. Illicitus tamen egressus nulli censurae obnoxius est, neque validitati insequentium votorum officere potest.

118. — *RESPONSUM 1 FEBR. 1917*

De vi bullae cruciatae pro Fratribus Minoribus in Hispania (A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 135).

Occasio controversiae.

Cum per Breve Apostolicum « Ut praesens periculum » diei 12 Augusti 1915 Bulla Cruciatae pro locis hispanicae dicioni subiectis, ad duodecim annos prorogata auctique fuerint eiusdem favores, controversia de interpretatione Indulti « quoad legem abstinentiae et ieiunii » orta est inter Fratres Minores, attentis eorundem Regulae praescriptionibus circa Quadragesimam et ieiunia. Hinc P. Vicarius Generalis Fratrum Minorum Hispaniae ad vitandos scrupulos et tranquillitati conscientiae providendum, sequentia dubia Sacrae Congregationi de Religiosis proposuit :

Dubia.

I. Utrum Fratres Minores Hispaniae, seu in dicionibus Hispaniae commorantes, uti possint Indulto Bullae Cruciatae, ita ut tribus tantum diebus servare ieiunium teneantur ; an potius ieiunare debeant omnibus diebus Quadragesimae ?

II. Utrum Bullae privilegium quoad abstinentiam comprehendat etiam Fratres Minores, ut supra, etiam aliis diebus, quibus praecepto Regulae ieiunare tenentur ?

E[mi] Patres in Congregatione Generali diei 26 ianuarii h. a. 1917 responderunt ad mentem, quae est :

« Bulla Cruciatae in Hispania non derogat legi circa dies ieiunii a « regula Fratribus Minoribus praescripti. Speciatim vero circa Quadra- « gesimam Ecclesiae, Fratres non recedant a praxi universali Ordinis. « Possunt tamen, servatis servandis, etiam in diebus ieiunii regularis « uti Indultis Bullae circa abstinentiam vel qualitatem ciborum. » Responsum.

Quam resolutionem Emorum Patrum SSmus Dnus Noster Benedictus XV, in audientia diei 28 eiusdem mensis et anni infrascripto Secretario concessa, approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis negotiis Religiosorum sodalium praepositae, die 1 februarii 1917.

Adulphus, Ep. Canopitan., Secretarius.

---

119. — *RESPONSUM 22 APR. 1917*

De vi decreti « Cum de Sacramentalibus » (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 276.)

In articulo V. Decreti *Cum de Sacramentalibus* diei 3 februarii 1913 statutum est : « Si qua religiosa ad animi sui quietem et maiorem in via « Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem « spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus ; qui tamen « invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant ; quod si irrepserint « eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate. »

Circa hunc articulum proposita sunt S. Congregationi de Religiosis sequentia dubia :

I. An confessarius specialis seu spiritualis moderator pro aliqua religiosa deputatus iuxta art. V Decreti *Cum de Sacramentalibus*, valeat perpetuo in suo munere permanere, vel potius concedendus sit ad tempus praefixum.

II. An deputari valeat in confessarium specialem seu conscientiae moderatorem alicuius religiosae, qui in decurso triennio confessarii ordinarii communitatis munere functus sit, nondum a cessatione praedicti officii anno expleto.

Emi Patres Cardinales huius S. Congregationis de Religiosis, tota rei ratione mature perpensa, in plenario coetu habito die 20 aprilis currentis anni 1917 responderunt :

Ad primum : Specialem confessarium seu moderatorem spiritualem concedendum esse non ad tempus praefixum, sed donec perduret iusta causa necessitatis vel utilitatis spiritualis religiosae, quae postulaverit, ad normam Decreti *Cum de Sacramentalibus*, sub n. 13.

Ad secundum : Affirmative.

Facta autem de hisce omnibus relatione ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis, in audientia diei 22 eiusdem mensis aprilis, Sanctitas Sua Emorum Patrum sententiam benigne ratam habuit et confirmavit.

I. Card. TONTI, *Praefectus.*
Adulphus, Ep. Canopitan., Secretarius.

Annotationes

Ut religiosae feminae confessario communitatis contentae sint suadent plures magni momenti rationes, ut sunt praesumptae dotes confessarii ab Episcopo designati, uniformitas directionis, periculum alucinationis in ea quae sibi specialem directorem necessarium esse autumat, periculum ne aliis ex hoc favore onus recurrendi ad minus bonum confessarium magis sentiatur, etc. Attamen praesertim in quibusdam difficilioribus vitae spiritualis adiunctis, ut sunt graves tentationes, animi magna perturbatio, vel speciales a Deo concessae gratiae, aut etiam ob peculiare sive ipsius religiosae sive confessarii indolem, fieri potest ut specialis confessarius vel Director multum conferat ad animam pacificandam vel intimius cum Deo coniungendam. His ac similibus casibus sapienter cautum est art. V. decr. *Cum de Sacramentalibus* supra citato. Et ex eius motivis ratio responsi ad 1^m^ et 2^m^ dubium satis aperta est. Exceptio enim neque in perpetuum neque ad praefixum tempus est concedenda, sed iuxta necessitatem aut certam utilitatem personae in cuius favorem est facta. Nec ullum incommodum in eo est quod specialis confessarius vel director ille sit sacerdos, qui antea totius communitatis erat ordinarius confessarius. Debent enim ordinarii confessarii post statum tempus munere cedere, cum propter alias rationes tum ut maior religiosis feminis copia fiat habendi confessarii, qui illis magis conveniat earumque libertati conscientiae magis consulatur. Qui finis perfecte obtinetur si ordinarius confessarius, expleto munere, tamquam specialis a quadam sorore expetatur.

I. C., s. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

120. — *S. CONGR. RELIGIOSORUM*

A. *Sententia 25 april. 1912, qua exsecutio legati pii ad mentem testatoris ex aequitate imperatur* [1].

Legati tenor.

Ex legato facto 1 iul. 1857 operi pio S. Infantiae, quotannis, sic disponente S. Sede, bis centum scutata Instituto piorum operariorum solvi debebant, ea tamen lege ut dicto Instituto sacerdotes adderentur qui ministerio pastorali in ecclesia S. Ioseph fungerentur.

Defectus condicionis.

Propter temporum iniquitatem, factum est ut duo isti sacerdotes ibi adesse prohiberentur. Inde, aliquot elapsis annis, pium S. Infantiae opus solvenda pensione se liberum existimavit.

Sententia ex aequitate.

Sed cum pensio ista legato longe maioris summae, quod unus e piis operariis operi S. Infantiae fecerat, imposita esset, et rector ecclesiae cultui pro viribus consuleret, canonica aequitate mota S. Religiosorum Congregatio, die 25 april. 1913, respondit « Attentis peculiaribus circumstantiis, servetur solitum, et ad mentem. Mens est ut in ecclesia S. Ioseph ministerium sacerdotale diligentissime exerceatur sub vigilantia Vicariatus Urbis, cui ratio reddenda est piae operae missae cotidianae pro defunctis [1] ».

B. *Sententia 11 iul. 1913, qua ecclesia ad Fratres Minores pertinere, paroecia vero saecularis declaratur* [2].

Memorata paroeciae institutione, de ecclesiae dominio et paroeciae natura statuitur.

Anno 1910, decreto 3 iulii episcopus Maceratensis paroeciam saecularem in ecclesiam Fratrum Minorum transtulit, et exinde administrationem contulit regulari viro qui tamen, ab anno tantum 1874, parochi nomine constanter vocari coeptus est. Cum anno 1898 religiosi ecclesiam deseruissent, episcopus ecclesiam ad se pertinere, paroeciamque saecularem mansisse contendit, dum Fratres Minores pro sua tam ecclesiam quam paroeciam vindicant. S. Religiosorum Congregatio causam ecclesiae a causa paroeciae sapienter dividens, ecclesiam Fratribus addixit, paroeciam saecularem mansisse declaravit. Ita iudicavit 11 iul. 1913, simul episcopum hortata ut, nisi paroeciam alio transferre mallet, religiosorum ministerio in paroecia administranda uteretur [2].

Obligatio.

C. Per commissionem Cardinaliciam specialem, constantem EE. De Lai, Gasparri et Pompili, soluta est die 12 aug. 1914 causa dioecesis seu ordinis X. obligationis inter Dominam N. et Provinciam religiosam Z. Scilicet religiosus V. mandato Superiorum provincialium quoddam Periodicum edendum suscepit; cum res haud prospere cessisset, non potuit reddere Dominae N. pecuniam quam ipsa contulerat. Nunc autem statuitur

[1] MONITORE ECCLESIASTICO, t. 24 (1913), p. 390.
[2] Ibidem, p. 394.

per commissionem cardinaliciam Provinciam religiosam Z., quicquid sit de rationibus ab ipsa allegatis, debere satisfacere Dominae N. sub poena suspensionis etc. (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 104).

D. *Denegatur episcopo Vicentino ius visitandi ecclesiam Ordinis Servorum B. M. V.* (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 439).

Ius visitationis.

Responso ad dubia dato d. 3 aug. 1915, S. Congr. de Religiosis confirmavit resp. S. Congr. Epp. et Reg. d. 25 mart. 1866, verbisque magis expressis declaravit episcopo Vicentino non competere ius visitandi Ecclesiam S. Mariae Montis Berici, pertinentem ad ordinem Servorum B. M. V. Quae monasterii ecclesia, a° 1810 a municipio est acquisita ne, religiosis iniqua lege laica dispersis, fisco tribueretur, et iam ab a° 1835 iterum ab iisdem religiosis, ex concessione perpetua municipii rite occupatur. Praeterea non expedire censet S. Congr. ut Patres Servitae tradant Ep. Vicentino aliquas eleemosynas de iis quae sanctuario offeruntur.

S. CONGR. RITUUM

121. — *DECRETUM 22 MAII 1914*

Proprium Officiorum Urbis approbatur

(A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 315).

Propositum Urbis Proprium

Romana. — Approbato calendario die 10 decembris 1913 in usum cleri saecularis almae Urbis eiusque districtus, Emus et Revmus Dnus cardinalis Basilius Pompili, in ipsa Urbe Vicarius generalis, sanctissimo Domino nostro Pio Papae X respectivum Proprium Officiorum reverenter exhibuit insimul postulans ut illud, revisione peracta, suprema Sua auctoritate approbare et concedere dignaretur.

ex S. Congr. sententia a S Pontifice approbatur et permittitur.

Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato eiusdem Ssmi Dni nostri, praesens Proprium a se revisum et ordinate dispositum probare posse censuit. Quibus omnibus Ssmo Dno nostro Pio Papae X per subscriptum S. R. C. Secretarium relatis, Sanctitas Sua praedictum Proprium ratum habere ac probare dignata est, illudque a clero saeculari romano et ab iis omnibus qui eiusdem cleri calendario legitime utuntur, adhiberi benigne concessit.

Clausula, dies (22 maii 1914).

Contrariis non obstantibus quibuscumque, die 22 maii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius*.

ANNOTATIO

Mirari quispiam poterit in fine huius decreti mentionem fieri de « iis omnibus qui eiusdem cleri calendario legitime utuntur » cum decreto 28 oct. 1913 (PERIODICA, t. 7, n. **707**, p. 203,) *privilegium*... sese conformandi calendario cleri romani penitus abolitum sit. Sed sunt familiae religiosae quae *ex iure* calendarium istud adhibere debent : v. gr. familia religiosa votorum simplicium quae, in dioecesi romana. sub nullius Praesidis generalis auctoritate constituitur. Cfr. decr. **Rubricae**, 28 febr. 1914 et decr. 14 febr. et 28 oct. 1913. (PERIODICA, t. 7, n. **743**, p. 264 ; n. **656**, p. 105 ; et n. **707**, p. 199.)

---

122. — *DECRETA 24 IUN. 1914*

De novis rubricis

A. *De officiis propriis* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 351).

Ordinariis fit facultas substituendi officiis magis particularibus

Normis circa Officia propria per decretum diei 3 iunii 1914 [1] traditis inhaerens, nunc sacra Rituum Congregatio opportune declarat ac statuit :

Cum ad mentem sacrae Congregationis Officia particularia ritus duplicis maioris, minoris et semiduplicis tantummodo Lectionibus II Nocturni cum

[1] Cf. supra, p. 57, n. **25**.

officia Ecclesiae universalis, et retinendi aliquas tantum partes proprias ex officiis iam indultis.

Oratione propria gaudere soleant, eadem sacra Congregatio ad maiorem uniformitatem praesenti decreto libentissime concedit, ut, iuxta prudens cuiusvis Ordinarii vel Superioris, ad quem spectat, iudicium, Officia Ecclesiae universalis in Breviario Romano inserta substitui valeant, absque peculiari Indulto, respectivis Officiis particularibus magis propriis hucusque aliquibus dioecesibus seu institutis a S. Sede concessis. Item Rmis Ordinariis seu Superioribus supradictis fit potestas aliquas tantum partes proprias ex Officiis particularibus iam indultis quae nullo modo vel tantum ritu simplici in Breviario reperiuntur, amodo retinendi, ceteris partibus de Psalterio et de Communi adhibitis.

Clausula.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 iunii 1914.

Dies (24 iun. 1914).

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

B. *De Propriis dioecesanis approbandis* (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 352).

Dubium.

Quaenam approbanda sint.

Quaesitum est a sacra Rituum Congregatione : « An vi decreti diei « 3 iunii omnia et singula Propria particularia iam approbata, tam cum « cantu quam sine cantu, attentis reductione festorum quae habentur in « ipsis Propriis, et approbatione novi calendarii, iterum examini huius « S. C. subicienda sint, vel ipsum decretum respiciat tantum nova officia « in posterum expetenda et cantum Gregorianum adaptandum officiis iam « approbatis, quae tamen cantu careant ».

Responsum.

Et sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis, respondendum censuit : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 24 iunii 1914.

Dies (24 iun. 1914).

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotationes

I. Norma quae in priore decreto datur, ut scilicet officia particularia ritus duplicis maioris, minoris et semiduplicis tantummodo lectionibus II nocturni cum oratione propria gaudere soleant, non tamen haberi debet tamquam regula omni exceptione maior ; nam et in calendario Universalis Ecclesiae sunt quaedam officia ritus duplicis maioris vel minoris, aut immo semiduplicis, quae tamen quaedam alia habent propria, praesertim vero lectiones III nocturni, quae cum evangelio missae concordare debent. Et ideo fortasse nullum datur praesenti decreto praeceptum, sed sola facultas officia particularia ad hanc normam accommodandi. Ex eo tamen quod Congregatio dicit se *libentissime* hanc facultatem concedere, clarissime manifestat mentem et intentionem suam ut, nisi assint rationes suadentes in contrarium, facultas in usum deducatur, praesertim si agatur de iis partibus propriis quae recitationem hebdomadariam psalterii, vel lectiones de Scriptura occurrente impediant.

II. Ex altero responso patet nova Propria, quae post reformata calendaria pro multis dioecesibus et ordinibus religiosis hisce temporibus in lucem sunt edenda, nova S. R. C. approbatione non indigere, etiam si in quibusdam officiis non nulla, ob mutatum ritum vel diem, essent mutanda, vel si ad normam decreti 24 iunii 1914 quibusdam partibus propriis sit valedictum. Ios. PAUWELS, s. I.

---

123. — *DECRETUM 24 IUN. 1914*

De lucis electricae usu in ecclesiis (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 352).

Dubii *de luce electrica in gradibus altaris*

Expostulatum est a sacra Rituum Congregatione utrum lux electrica, quem ad modum vetita est una cum candelis ex cera super altari iuxta declarationem seu decretum n. 4206 diei 22 novembris 1907, ita etiam in gradibus superioribus ipsius altaris vel ante sacras imagines seu statuas super iisdem gradibus et altari positas prohibita sit?

soluti occasione utens,

Et sacra eadem Congregatio, audito etiam specialis Commissionis voto, rescribendum censuit: Affirmative et ad mentem.

S. Congr. abusus memorat et monet Ordinarios ut decreta de hac re urgeant.

Mens est: S. R. C. hanc nacta occasionem, cum innotuerit non nullis in locis tales abusus invaluisse, ut circa aediculas Sanctorum in pariete super altare positas, et vel in ipsis altaris gradibus ubi candelabra collocantur, parvae lampades electricae variis distinctae coloribus disponantur — quod profecto minus convenit gravitati et dignitati sacrae Liturgiae propriae et decori Domus Dei — facto verbo cum Sanctissimo, etiam atque etiam R^mos Ordinarios in Domino hortatur ut pro sua religione invigilent ne S. C. decreta posthabeantur, et ecclesiarum rectores doceant quae in casu, iuxta decreta, permissa quaeque vetita sunt.

Decretorum summa.

Summa autem Decretorum haec est: Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (4097), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Ss^mo Sacramento vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiae postulant (3859, 4206 et 4210 ad 1). Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiore collocatis illuminare, ut SS^ma Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (4275).

Dies (24 iun. 1914).

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

ANNOTATIO

Huius decreti utilitas haec est, ut iam uno conspectu collectas habeamus varias responsiones seu declarationes de usu lucis electricae in ecclesia. Quae responsiones principio et tribus prohibitionibus specialibus componuntur.

Principium est : Illuminatio electrica non permittitur nisi gravis, quae dignitatem et sanctitatem loci minime dedeceat.

Prohibetur vero lux electrica : a) in altari eiusque gradibus superioribus (non in gradibus suppedanei) ; b) in interiore ciborii seu tabernaculi parte ; c) loco candelarum vel lampadum quae coram SS^s^ Sacramento vel Sanctorum reliquiis praescriptae sunt. Infra bellum tamen maiores factae sunt concessiones, de quibus infra agetur.

124. — *RESPONSUM 8 IUL. 1914*

De festis localibus pro regularibus (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 382).

Dubium *de festis localibus ritus altioris, pro regularibus.*

Exquisitum est a sacra Rituum Congregatione : Utrum festa quae in calendario universalis Ecclesiae sub ritu duplici secundae classis cum octava simplici inscribuntur, et in aliquibus locis sint etiam Festa praecipua de sanctis patronis locorum vel titularibus ecclesiarum cathedralium, a Regularibus proprium calendarium habentibus inibi celebrari debeant cum octava communi, sicut a clero saeculari ?

Responsum.

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis commissionis suffragio, propositae quaestioni ita rescribendum censuit : Negative ; sed post diem festum servetur quod ad octavam calendarium Ecclesiae universalis.

Dies (8 iul. 1914).

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 8 iulii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien... Secretarius.

Annotationes

De quaestione hic agitata egimus in Periodico t. 8, p. (12). ibique solutionem contrariam defendimus.

Praesens solutio inter alia hoc commodum praebet, quod sic obtinetur maior uniformitas quod ad officium inter varias domus eiusdem Ordinis vel Congregationis, aut saltem provinciae religiosae, quodque regulares in suo Proprio non indigent officio illarum octavarum quae in novis breviariis iam desiderantur.

Hoc responso nihil mutatur decreto 22 maii 1914, [1] ac proin, si Patronus loci vel Titularis ecclesiae cathedralis est sanctus Ordinis vel Congregationis, regulares huius Ordinis vel Congregationis, qui ad colendum hunc patronum vel titularem tenentur, ipsum colere debent sub ritu duplicis 1 classis cum octava communi, etsi in reliquo ordine colatur cum octava simplici. Ios. Pauwels s. i.

[1] Periodica, n. 21, t. 8, p. 49.

125 — *DECLARATIO, EX MANDATO SS^i, 15 IUL. 1914*

De titulo Cordis Iesu eucharistici (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 382).

Declarationis occasio.

Edito decreto S. R. C. die 28 martii 1914 « De insuetis cultus titulis » Subdirector generalis consociationis, quam vocant a Corde Iesu eucharistico, opportunum putavit secretis litteris significare multis R^mis locorum Ordinariis non nulla circa interpretationem ipsius decreti, non adeo veritati innixa, et quae facile confusionem ingerunt. Quod cum ad aures SS^mi D^ni nostri Pii Papae X pervenerit, de cuius mandato decretum una cum altero S. Officii diei 27 maii 1891 evulgatum fuerat, earumque litterarum tenorem Ipse noverit, agendi rationem praedicti Subdirectoris eiusque incongruum zelum improbans, ad omnen ambiguitatem praecavendam, quae ex illis secretis litteris oriri poterit, haec quae sequuntur publicari iussit :

Improbantur litterae subdirectoris.

I. Decretum S. R. C. diei 28 martii 1914 iterum confirmari cum sententia : *In decisis et amplius*.

Decretum confirmatur.

II. Titulum « Cordis Iesu eucharistici » permitti tantum posse in approbatis sub eo titulo confraternitatibus ; dummodo idem hoc sensu accipiatur quo intellegitur sacratissimum Cor Iesu prouti praesens est in SS^mo Eucharistiae Sacramento.

Quatenus et quo sensu permittatur titulus Cordis Iesu eucharistici.

III. Cum vero eiusmodi titulus non sit canonicus et liturgicus, immo novitatem sapiat, numquam eum esse recognoscendum et admittendum in sacra liturgia.

S. liturgia excluditur.

IV. Confraternitates autem quae eo titulo nuncupantur, nullum aliud festum tamquam proprium celebrare posse, nisi festum sacratissimi Cordis Iesu cum Ecclesia universali, vel festum SS^mi Corporis Christi.

Festum confraternitatum quae a Corde Iesu eucharistico nuncupatur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 15 iulii 1914.

Clausulae. Dies (15 iul. 1914).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

ANNOTATIONES

1. De illa *Cordis eucharistici* quaestione cfr. quae scripsimus tum PERIODICA, t. 8, n. 5 p. 14-16, tum in opere : *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur de Jésus*.

2. Dum n. II titulus : *Cor Iesu eucharisticum* sumendus dicitur : « Cor Iesu prout praesens est in SS^mo Sacramento » non putamus excludi usum ipso Brevi *Admotae*, quo LEO XIII archisodalicium titulo eucharistici Cordis Iesu instituit, indicatum his verbis : « Nos autem quibus nihil antiquius ac suavius quam ut fidelium sodalitas quae non dissimili prorsus cultu atque illi quem Sacro Cordi profitetur, tantum peculiaribus venerationis amoris et grati ac reverentis animi studiis, illum recolit supremae dilectionis actum quo Redemptor Noster, omnes Cordis sui divitias effundens, ut nobiscum ad exitum usque saeculorum moram ageret, adorabile instituit eucharistiae sacramentum in hac Alma

Urbe, catholici Orbis centro, sedem nanciscatur condignam, optatis hisce piis annuendum existimavimus. » [1]

Verum istud principale intendi putamus in quo praesens decretum cum diplomate Leonis XIII convenit, ut cultus sumatur non distinctus a cultu Sacratissimi Cordis Iesu, et callidae artes quibus pietas fidelium decipitur et perturbatur prorsus removeantur.

3. Quamvis S. Sedes titulum Cordis Iesu Eucharistici proprie vetare nolit, dum eius in solis confraternitatibus sub eo titulo approbatis permissum, omni liturgia exclusum, et aliqua « novitatis nota affectum » dicit, mentem ab usu illo satis alienam demonstrat. Quare in votis S. Sedis esse videtur ut titulo isto usurpando abstineamus.

---

126. — *RESPONSUM 7 AUG. 1914*

Varia dubia de missa vel officio solvuntur (A. A. S. 20 aug. 1914, 6, 407.)

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita sunt :

Dubia *de missis et officiis.*

I. Occurrente aut concurrente festo Conversionis S. Pauli Apostoli cum Dominica Sexagesimae, fierine debet de ipso festo commemoratio, quamvis in Oratione Dominicae fiat mentio de eodem Apostolo ?

II. Si infra Octavam simplicem Nativitatis B. Mariae Virg. dicenda sit missa votiva eiusdem B. Mariae Virg., legenda est missa votiva de tempore, an missa ut in festo Nativitatis ? et quatenus affirmative ad secundum, adiungine debent *Gloria* et *Credo ?*

III. Officia de Communi plurimorum Confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum per Decretum S. R. C. diei 12 maii 1914 approbata valentne inseri et adici tantum Propriis officiorum rite approbatis ; an etiam ipsi breviario romano ?

Responsa. Et sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, singulis quaestionibus propositis ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Legatur missa ut in festo Nativitatis B. Mariae Virg. cum *Gloria* sed sine *Credo.*

Ad. III. Affirmative ad primam partem, iuxta citatum decretum ; negative ad secundam partem ; quia per enuntiata officia ob plurium petitionem et instantem necessitatem provisum est ad tempus iuxta Motu Proprio *Abhinc duos annos* et ad mentem decreti approbationis editionis typicae Breviarii Romani, diei 25 martii 1914.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Dies (7 aug. 1914). Die 7 augusti 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.

---

[1] *Analecta ecclesiastica*, t. II, 1903, p. 105.

ANNOTATIONES

Ad 1. Nota est lex liturgica qua de uno eodemque simul officium et commemorationem fieri vetitum est. [1] Verum officium Sexagesimae nequaquam dici potest officium S. Pauli, etsi ratione stationis de doctore gentium fit mentio in oratione, et in epistola legitur de eius historia.

Quamquam ante reformatas rubricas, casus, prout nunc exponitur, erat impossibilis, principium tamen solutionis erat inconcussum. Nullus enim auctor umquam contendit in concurrentia festi conversionis S. Pauli cum dominica Sexagesimae, commemorationem Dominicae fore omittendam vel saltem eius Orationem mutandam, et, Sexagesima occurrente post 2 februarii, omnes admittebant in Missa dicendam esse Orationem *A cunctis* prout iacet, non omisso nomine S. Pauli, [2] ut clare eruitur ex rubrica Missalis, etsi non minus celebris est lex qua recoli vetatur in 2ª oratione memoria illius Sancti cuius in honorem oblatum est sacrum. [3]

Ad 2. De octava simplici nihil fit infra Octavam, sed tantum ultima die sub ritu simplici, unde diebus intermediis nec omittuntur Preces aut Suffragium, nec die dominica per se omittitur *Quicumque* et 3 oratio. Illam octavam tamen non prorsus evanescere patet ex rubrica speciali in novo breviario post diem 8 septembris inserta, in qua ordinatur quomodo celebrandum sit officium beatae Mariae Virginis in sabbato post praedictum festum Nativitatis, in quo « ea quae ex Ordinario vel Psalterio accipienda non sunt (h. e. praeter versus Vesperarum et Laudum et Antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus;* Invitatorium et Orationem), sumuntur de ipso festo Nativitatis praeter Absolutionem et Benedictiones e Communi officio sanctae Mariae in sabbato sumenda, necnon lectiones 1 et 2 cum suis responsoriis de sabbato currenti et lectione 3, pro qua inscribitur illa quae in antiquis breviariis erat sexta ad diem 11 Septembris : *Quid ergo siderum.* Item Missa in casu est de Nativitate, sed absque *Credo.* Symbolum enim numquam dicitur in Missa ritus simplicis.

Eodem modo ex praesenti decreto dicenda erit infra praedictam octavam Missa votiva de Beata Maria Virgine, et quidem cum *Gloria*, ita ut haec missa potius missis festivis quam votivis sit ascribenda. Cum autem in hac solutione nihil prorsus inveniatur quod huic octavae Nativitatis numerice sit proprium, haec solutio habenda est tamquam generalis et eodem modo dicenda erit Missa de Sancto infra eius Octavam simplicem celebranda.

---

[1] Cf. Annotationes super decretum 2597 in vol. IV Collectionis Authenticae decr. S. R. C. p. 189.

[2] Cf. COPPIN-STIMART. *Sacrae liturgiae Compendium* n. 538, 4°.

[3] Cf. Annotationes super decretum 2597.

Ad 3. Ratio huius prohibitionis videtur esse quod in Breviario romano pauca hucusque inveniantur huiusmodi officia, nempe SS. Cyrilli et Methodii Epp. et Cff., SS. Septem Fundatorum Ordinis B. M. V. et SS. Perpetuae et Felicitatis Martyrum. In duobus autem prioribus multa habentur propria, puta hymni, versiculi vesperarum et laudum, antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*. Nihilo minus etiam in iis officiis, quaedam sumenda sunt ex communi, quae, eo quod in singulari proferantur, minus bene quadrant. Quando autem reformatio breviarii emendatione kalendarii perficietur, in quo non nulla festa sanctorum omitti poterunt, non nulla simul coniungi, alia ad simplicem ritum redigi, [1] illa nova communia absque dubio ipsi Breviario romano inserentur. [2]

Ios. Pauwels, s. i.

---

127. — *DECRETUM 24 IUN. 1914*

Approbantur lectiones pro festis universalis ecclesiae quae alicubi commemoratione tantum gaudent

(A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 553).

Occasio decreti.

Cum festa Ecclesiae universalis saepe saepius ob occurrentiam sive perpetuam sive accidentalem cum festo seu officio nobiliore alicuius particularis ecclesiae ita maneant impedita, ut tantum commemoratione atque unica Lectione gaudeant, sacra Rituum Congregatio variis Ordinariorum petitionibus satisfactura, ad tramites decreti 25 maii 1904 ad IV, de festis seu officiis enuntiatis unicam lectionem, ut plurimum ex tribus contractam, redigendam curavit, eamque revisam ac rite probatam, prout res postulabat, benigne concessit. Ex hisce singulis lectionibus praesens collectio exorta est, quam, de mandato SS^mi^ D^ni^ nostri Pii Papae X, ipsa sacra Congregatio pro rei necessitate et opportunitate in vulgus edi statuit ac decrevit ; easdemque lectiones iuxta rubricas adhiberi posse ac debere declaravit. Praesens autem decretum approbationis et concessionis pro utroque clero aliisque, quatenus opus sit, sacra eadem Congregatio huic collectioni praefigi voluit ac iussit. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Lectiones 2i Nocturni in unam contractae approbantur.

Clausula.

Dies (24 iun. 1914).

Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotatio

Collectio quae hoc decreto approbatur et sub titulo prodiit « Lectiones pro festis Universalis Ecclesiae commemoratis ad Matutinum legendae iuxta Rubricas », continet

---

[1] Piacenza. *In tres tabellas* p. 5.
[2] Cf. etiam Annotationes in decr. *Sagien.* Dubia, ad 7, infra p. 242, n. **129.**

lectiones omnes quae dici possunt pro tribus lectionibus 2 Nocturni in unum coniunctis, quotiens festum aliquod Universalis Ecclesiae, praestantiore officio impeditum, solam retinet commemorationem cum nona lectione.

Ex rubrica quae collectioni praemittitur, omnibus et singulis clericis tam regularibus quam saecularibus ad Horas canonicas obligatis, facultas fit has lectiones contractas adhibendi in privata lectione, etiam si pro publica recitatione Ordinarius opportunum non iudicaverit illas inducere, nec proin illas in suo Proprio inseruerit, et hoc sive festum sit perpetuo, sive accidentaliter tantum impeditum. Insuper, Ordinariis omnibus fit potestas praedictas lectiones absque alia facultate in suis Propriis inserendi.

Ios. Pauwels, s. i.

128. — *DECRETUM 28 NOV. 1914*

De vi approbationis officiorum quae in Propriis particularibus inscribuntur (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 673).

Occasio decreti.

Cum R^mi Ordinarii locorum et Moderatores Ordinum Regularium aliorumque Institutorum, obtenta approbatione respectivi calendarii proprii vel variationum seu additionum particularium, ad normam decreti generalis S. R. C. diei 28 octobris 1913, etiam Propria Officiorum reformata ipsimet sacrae Congregationi examinanda et approbanda subiecerint, sacra eadem Congregatio, pro Officiorum Propriis iam approbatis vel in posterum approbandis, necessarium et opportunum declarare censuit, prouti expresse declarat : Per huiusmodi approbationem, praesertim Lectionum secundi nocturni, nullo modo intellegi ac dici posse diremptas quaestiones historicas circa res gestas, in iisdem Propriis et Lectionibus commemoratas, ac potissimum circa Sanctorum vel Beatorum, maxime antiquioris aevi, monachatum eorumque pertinentiam ad unum vel alium Ordinem. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Approbatione Officii quaestiones historicae nullo modo dirimuntur.

Clausula.

Die 23 novembris 1914.

Dies (28 nov. 1914).

Scipio Card. Tecchi, *Propraefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotationes

« Lex orandi lex credendi » dicitur quatenus fidem Ecclesiae manifestam prodit. Quare mire decipiatur qui credat omnia *facta* quae sive in orationibus publicis, sive in aliis liturgiae sacrae partibus, approbante Sancta Sede, recensentur, pro certis historice habenda esse. Saepe enim Superiores ecclesiastici, dum haec facta in textus liturgicos inseri sinunt vel iubent, nihil aliud affirmant nisi illa, vel esse satis probabilia ut instituendo festo causam dent

rationabilem, vel a fidelibus pie credi posse. Hoc decreto S. C. Rituum opportune in memoriam revocatur quousque pateat approbatio Sanctae Sedis. Et idcirco fidem nullo modo laedunt viri docti qui, solidis nixi documentis, haec facta in dubium revocent. Pro rei tamen natura consulendum est ut caute procedant, verbis utantur ab omni fidelium offensione remotis et parati sint stare iudicio Ecclesiae. I. C.

---

129. — *RESCRIPTUM 11 DEC. 1914*

De aliquibus dubiis ab Ep. Sagiensi circa Officia vel Missas propositis (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 709).

Dubia. Hodiernus Episcopus Sagien. a sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentem dubiorum solutionem ; nempe :

I. Utrum, quando ob occursum festi Duplicis I classis, officium alicuius Summi Pontificis vel Doctoris Ecclesiae perpetuo vel etiam accidentaliter simplificatur ita ut tantum in Laudibus commemoratio fiat de eo, usurpandae sint pro hac commemoratione Antiphonae magis propriae de secundis Vesperis *Dum esset* vel *O Doctor*, an potius Antiphona communior *Euge, serve bone ?*

II. Utrum deinceps omittendae sint, tum commemoratio Omnium Ss. Apostolorum in officio Ss. Petri et Pauli (29 iun.), tum commemoratio Omnium Ss. Martyrum in officio S. Stephani Protomartyris (26 dec.) cum in novo calendario proprio dioecesis Sagiensis non fiat mentio harum commemorationum ?

III. Utrum in Officio Dominicae anticipatae ad horas minores adhibenda sint capitula et responsoria Dominicae ?

IV. Utrum omnia *Initia* Epistolarum S. Pauli debeant quotannis recitari, etiam quando prorsus omittuntur, ante Septuagesimam, officia Dominicarum IV, V et VI post Epiphaniam ?

De missa. V. Utrum, in missa feriali quae coram Ssmo Sacramento celebratur, debeat omitti Oratio *Fidelium*, etiam quando a Rubrica praescribitur in Feria secunda vel in prima die libera mensis ?

VI. Utrum, in festo Omnium Ss. Episcoporum et aliorum Sanctorum dioecesis Sagiensis, color paramentorum sacrorum debeat esse *Albus* an potius *Rubeus*, quia aliqui horum Sanctorum sunt Martyres?

De novis officiis communibus. VII. Utrum uti liceat novis Officiis communibus plurium Confessorum Pontificum et non Pontificum, et plurium Virginum et non Virginum, non tantum in festis particularibus, sed etiam in festis Ecclesiae universalis, nempe Ss. Cyrilli et Methodii, Ss. Septem Fundatorum Ordinis Serv. B. M. V. et Ss. Perpetuae et Felicitatis ?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit :

Responsa. Ad. I. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, iuxta editionem typicam Breviarii Romani.

Ad II. Standum calendario approbato.

Ad III. Provisum in Rubricis novissimis Breviarii Romani.

Ad IV. Negative iuxta Rubricas.

Ad V. Negative.

Ad VI. Servetur in casu consuetudo.

Ad VII. Negative, etiam attentis decretis 22 maii et 7 augusti 1914, ad III.

Atque ita rescripsit. Die 11 decembris 1914. *Dies (11 dec. 1914).*

Scipio Card. Thecchi, *Pro-Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotationes

Ad 1. Suppressis translationibus etiam perpetuis festorum quae ritu classico non gaudent, ne tamen eorum memoria penitus pereat, cautum est ut etiam in festo 1 classis, nisi sit festum Domini primarium Universalis Ecclesiae, de occurrenti duplici maiori vel minori et de semiduplici fieret commemoratio in laudibus tantum. De Antiphona in hac commemoratione adhibenda, quando festum commemoratum est aliquod Doctoris vel Summi Pontificis, nunc movetur quaestio ; pro Doctoribus enim et Summis Pontificibus ad Laudes adhibetur Antiphona communis *Euge serve*, ad Vesperas contra, Antiphona habetur specialis *O Doctor*, vel *Dum esset summus Pontifex*, ac proin secundum decretum 4141 ad 1 [1] videretur haec Antiphona, quae secus omittenda foret, adhibenda loco illius magis communis quae habetur ad Laudes. Atque hoc negat praesens responsio, et recte quidem : non enim agitur hic de Antiphona propria, cum et ipsa sit ex Communi excerpta. Aliter autem respondendum foret in casu quo in festo duplici 1 classis commemorandum foret festum quod ad laudes haberet Antiphonam de Communi sumptam, ad Vesperas vero Antiphonam propriam.

Ad 2. In Kalendariis dioecesanis noviter approbatis, de his commemorationibus iam siletur, ac proin praedictae commemorationes in posterum erunt omittendae. Ceteroquin, nulla iam videtur ratio cur hae commemorationes in quibusdam locis prae aliis fiant ; motivum enim institutionis fuit ut « abrogata in his regionibus non nullorum festorum feriatione, fideles tamen aliquo modo eorum memoriam servent ac venerentur » [2] ; sed nunc ubique haec feriatio est suppressa, ac proinde hae commemorationes vel ubique vel nullibi sunt faciendae.

Ad 3. Novissimae Rubricae Breviarii Romani clarissime indicant quomodo officium huius Dominicae anticipatae sit

---

1 Cf. Periodic. I, **32**, A et **43**.

2 *Breve* Clementis XIV 22 iun. 1771. Cf. Synodicum Belgicum t. 2. p. 507. — *Indultum pro reductione festoru n* 9 apr. 1802 pro toto territorio reipublicae Gallicanae. Cf. *Collectio Epistolaru n Pastoralium Dioecesis Mechliniensis* t. 1, p. 45.

ordinandum. « In officio huius Dominicae anticipatae omnia dicuntur de Sabbato, et in 1 Vesperis et Completorio sequenti de Feria VI ut in Psalterio, praeter Capitulum Primae quod dicitur de Dominica ut in Ordinario et Orationem, Lectiones cum suis Responsoriis et Antiphonam ad *Benedictus*, quae de ipsa Dominica dicuntur ». Unde clare apparet Capitula Vesperarum, Laudum et Horarum, Prima excepta, sicut etiam Responsoria Horarum, nec non Hymnos Vesperarum, Matutini et Laudum sumenda esse non de Dominica, sed de Feria.

Ad 4. Rubricae generales Breviarii tit. XXVI, n. 8 de ea re sic habent : « Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum et Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimae, quod superest de Epistolis beati Pauli, quae distributae sunt pro numero dictarum Dominicarum et Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum ». Quae regula confirmatur novissima Rubrica posita ante Sabbatum Hebdomadae 1 post Epiphaniam : « In 1 autem Nocturno [huius Dominicae anticipatae] ponuntur Lectiones de Initio Epistolarum beati Pauli, quae in Dominica anticipata et duabus etiam ex sequentibus Feriis occurrant ; et Initia Epistolarum sequentibus Feriis et Dominicis assignata, penitus omittuntur. Initium vero Epistolae quod assignatur Sabbato, in quod anticipatur officium Dominicae ut supra, ponitur in Feria proxime antecedenti, iuxta Rubricas ».

Ad 5. Ratio dubitandi potuit esse quod coram SS^o^ exposito prohibetur Missa de Requiem, cuius locum tenet oratio *Fidelium*. Porro nulla ratio est restringendi responsum ad solam orationem *Fidelium* certis diebus ferialibus praescriptam. Cum enim ex responso iam constet orationem pro defunctis non prohiberi absolute in Missa coram SS^o^ exposito celebrata, non videtur cur in tali Missa feriali prohiberetur oratio specialis pro defuncto pro quo Missa offertur.

Ad 6. In festo Sanctorum omnium adhibetur color albus, forsitan quia hic color convenit praecipuis sanctis qui in hoc festo honorantur : B. Maria Virgo, Ss. Angeli, S. Ioannes Baptista, S. Ioseph ; idem color etiam adhibetur in plerisque Ordinibus in festo Sanctorum omnium Ordinis, probabiliter quia hic color convenit Fundatori ; contra, in festo omnium Sanctorum Summorum Pontificum quod a clero Romano celebratur, adhibetur color rubeus, fortasse quia hic color convenit praecipuis ex ipsis, et in primis S. Petro.

Ad 7. Cum illa officia communia plurium Confessorum Pontificum et non Pontificum, et plurium Virginum et non Virginum in ipso Breviario Romano inscribi non possint [1],

[1] Decr. 7 aug. 1914. Cf. supra p. 238, n. 126.

patet illa non esse adhibenda in officiis Universaliis Ecclesiae. Prohibitio tamen videtur sic restringenda : « nisi in ipso Proprio aliter sit cautum ». In Proprio etenim pro clero almae Urbis eiusque districtu ad diem 12 februarii necnon ad 7 iulii sequens legitur Rubrica : « Sed omnia quae de communi sumenda sunt, dicuntur ut in Communi plurium Confessorum Pontificum [vel ut in Communi plurium Confessorum non Pontificum] quod in fine huius Proprii Romani habetur. »

Ios. Pauwels, s. i.

---

130. — *RESCRIPTUM 23 DEC. 1914*

De collecta pro re gravi imperata (A. A. S. 15 ian. 1915, 7, 27).

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, nuper proposita sunt ; nimirum :

Occasio dubiorum.

Ex decreto S. R. C., n. 3355. *Clodien.* 7 augusti 1875, ad III, episcopus potest praecipere, ut collecta *pro re gravi*, si revera sit *pro re gravi*, dicatur etiam in duplicibus primae classis ; quaeritur :

Dubia.

I. Quando episcopus praescribit collectam *pro re gravi* etiam in duplicibus primae classis, collecta dicendane erit in omnibus et singulis duplicibus primae classis ?

II. Si episcopus collectam *pro re gravi* simpliciter praecipiat absque ulla mentione duplicium primae classis, quibus diebus collecta omittenda erit ?

Responsa.

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, propositis quaestionibus ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, exceptis sequentibus diebus ; nempe : Nativitas Domini — Epiphania Domini — Feria V in Cena Domini — Sabbatum Sanctum — Pascha Resurrectionis — Ascensio Domini — Pentecostes — Festum Ss^mae^ Trinitatis et Festum Ss^mi^ Corporis Christi.

Ad II. In omnibus duplicibus primae classis, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Dominica Palmarum.

Dies (23 dec. 1914).

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 23 decembris 1914.

Scipio Card. Tecchi, *Pro-Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.

Annotationes

1. Ad triplicem ergo classem reduci possunt collectae ab Ordinario imperatae : a) Imperatae non pro re gravi praescriptae, b) Imperatae praescriptae pro re gravi, simpliciter, c) Imperatae pro re gravi (seu rectius dici possent pro re *gravissima*) quae praescribuntur dicendae etiam in duplicibus 1 classis.

2. a) Imperatae ordinario modo praescriptae, seu non pro re gravi, omittuntur diebus enumeratis in rubricis ad normam

Constitutionis apostolicae *Divino afflatu,* [1] h. e. in duplicibus 1 et 2 classis, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in Dominicis maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa praeter Imperatas dicendae sunt plus quam tres Orationes.

b) Imperatae pro re gravi simpliciter praescriptae, dicuntur singulis diebus praeterquam in duplicibus 1 classis et in Missis quae celebrantur ritu duplici 1 classis h. e. in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes et Dominica Palmarum, nec omittuntur etiam si dictae iam sunt plus quam tres Orationes.

c) Imperatae pro re gravissima, quae dicendae praescribuntur etiam in duplicibus 1 classis, omittendae tantum sunt in duplicibus 1 classis festis primariis Domini universalis Ecclesiae, exceptis Feriis II et III Paschas et Pentecostes. [2]

3. Solius Ordinarii est indicare ad quamnam classem pertineat aliqua Imperata; quod si nihil determinaverit, habenda est ut ordinario modo praescripta seu non pro re gravi; quod si eam praescripserit simpliciter pro re gravi, habenda erit ut Imperata 2 classis; et unice si explicite addiderit eam dicendam esse etiam in duplicibus 1 classis habenda erit ut Imperata 3 classis. Ios. Pauwels, s. I.

131. — *RESPONSA 30 IAN. 1915*

Tertia oratio in quibusdam octavis et communio ministro missae primo porrigenda (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 71).

Dubia.

A sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio reverenter expostulata fuit; nimirum:

I. de tertia oratione.

I. Si Festum Circumcisionis D. N. I. C. sit titulare alicuius Ecclesiae vel Instituti et recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava, diebus 2, 3 et 4 ianuarii in quibus fit de die infra octavam cum secunda oratione de simplici; et die 7 ianuarii in qua agitur de secunda die infra octavam Epiphaniae cum commemoratione de octava Circumcisionis, quaenam erit tertia oratio dicenda in Missa?

II. de communione ministro missae porrigenda.

II. Rituale Romanum, edit. typ., tit. IV, cap. II, ubi describitur ordo administrandi sacram communionem communicandis tam extra missam quam ante vel post ipsam, atque etiam intra Missam, ad n. 11 haec habet: « Sacerdos porrigit communicandis Eucharistiam incipiens a ministris « altaris, si velint communicare ». Item in decreto n. 1074, *Galliarum*, 13 iulii 1658, in proposito dubio: « An in communione intra missam prius « ministrandum sit Ss^mum Eucharistiae sacramentum ministro missae « inservienti quam monialibus vel ceteris ibidem praesentibus? » S. R. C. responderi mandavit: « In casu praedicto ministrum sacrificii non ratione

[1] Periodica, t. VI, n. 552, p. 134.
[2] Omittenda etiam videtur in Missa Sollemnitatis Epiphaniae et Corporis Christi.

« praeeminentiae, sed ministerii, praeferendum esse ceteris quamvis « dignioribus ».

Unde quaeritur : « An vox minister altaris vel sacrificii in his et similibus « documentis S. R. C. restringenda sit exclusive ad ministros iam in « ordinibus minoribus constitutos vel saltem tonsuratos, an potius voce « ministri intellegendi sint omnes quicumque seu laici seu clerici qui « missae inserviunt ? ».

Responsa.

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, enuntiatis quaestionibus ita respondendum censuit :

Ad I. In casu, tertia oratio erit de Spiritu Sancto.

Ad II. Nomine ministri altaris vel sacrificii missae venit quilibet clericus vel laicus, missae ad altare inserviens, qui praeferendus est ceteris in distributione sacrae synaxeos ; cauto tamen, ut laico inservienti praeferantur clerici, et clericis minoris ordinis alii in maiore ordine constituti, aut personae quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se (uti regum) vel per accidens (uti sponsorum in missa pro benedicendis nuptiis).

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 30 ianuarii 1915.

Dies (30 ian. 1915).

Scipio Card. Tecchi, S. R. C. *Pro-Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotationes

Ad 1. De orationibus infra octavas dicendis haec habent Rubricae generales Missalis (Tit. IX, 9) : « Infra alias octavas [scilicet quae non sunt Paschae aut Pentecostes]... dicuntur tres [orationes], una de die, secunda de S. Maria, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Sed infra octavas S. Mariae... secunda oratio dicitur de Spiritu Sancto *Deus, qui corda fidelium*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa », et n. 7 : « In festis semiduplicibus infra Octavas occurrentibus, secunda oratio dicitur de octava, tertia quae secundo loco infra octavam ponitur ».

Cum autem ante reformatas Rubricas nulla octava particularis celebrari posset a die 17 decembris ad 5 ianuarii, de octava Circumcisionis hucusque quaestio esse non potuit, nec de ordinanda hac octava et de modo applicandi hanc Rubricam huic octavae aliquid apud auctores invenitur. Nunc autem octavae particulares iam non prohibentur post diem 25 decembris et ubi Circumcisio Domini est Patronus vel Titulus, ut v. g. in Societate Iesu, hoc festum celebrandum iam est sub ritu duplici 1 classis cum octava. De hac vero dubitari possit num habenda sit ut octava S. Mariae vel secus.

Quidam redactores calendariorum, eo quod haec octava instituta sit in honorem Domini, et quidem Sanctissimi eius Nominis, censuerunt ipsi applicari non posse Rubricam specialem de octavis S. Mariae, qui tunc sic solvebant casum. Ex Rubricis generalibus (Tit. IX, n. 16) : « Si, cum plures dicun-

tur orationes, occurrat fieri commemorationem alicuius Sancti, ea ponitur secundo loco, et tertio oratio dicitur, quae alias secundo loco dicenda foret »; hoc autem in praesenti casu fieri nequit cum oratio de B. M. V. sic tertio loco dicenda identica foret cum oratione ipsius octavae; restat ergo ut dicatur illa quae infra octavas praescribitur dicenda tertio loco, h. e. *Ecclesiae* vel pro Papa.

Alii contra, eo quod antiquitus in octava Nativitatis colebatur praecipue alma Dei Genetrix, cuius facti, etiam postquam hac die iam primario coli coepit mysterium Circumcisionis, non pauca in officio permanserunt vestigia, et in primis oratio quae alia non est quam oratio B. M. V. tempori Nativitatis conveniens, putabant illud festum, ac proin eius Octavam, si non formaliter habendum est ut festum B. M. V., tamen huic esse aequiperandum. Tertia oratio, in casu, ex Rubrica superius indicata, est Oratio de Spiritu Sancto. His consentit Congregatio.

Magis mirum videri potest hanc orationem de Spiritu Sancto etiam in casu praescribi die 7 ianuarii. Casus hic paululum a praecedenti diversus est: missa enim dicitur de octava Epiphaniae et videretur tertia oratio dicenda huic conveniens quae esset *Ecclesiae* vel pro Papa. Ex praesenti Responso concludere debemus orationem de Spiritu Sancto dicendam esse non tantum in ipsis Missis de B. M. V., sed etiam in missis, etsi de octavis privilegiatis, in quibus de ea fit commemoratio.

Die 8 de tertia oratione non potest esse quaestio, cum hac die in casu fiat commemoratio diei octavae, duplicis maioris, quae certo tertiam orationem supprimit.

Ad 2. Sensus obvius decreti 1047 videbatur esse ut infra, Missam sacra Communio semper praeberetur primo loco ministro altaris, etiam si ipse sit laicus, et clerici, immo sacerdotes, communicare velint. Et praesens decretum hanc interpretationem confirmat in quantum explicite agnoscit regulam applicandam esse etiam laico ad altare inservienti; interpretationem autem infirmat, in quantum ministro agnoscit praeferentiam tantum super ceteros eiusdem ordinis. Ordo proin sacram Communionem distribuendi, etiam infra Sacrum, erit sequens: primo ministratur sacerdotibus, tum diaconis, postea subdiaconis, dein clericis inservientibus, et post hos ceteris clericis minoris ordinis, tandem laicis inservientibus, qui omnes sacram Communionem accipiunt ad gradus altaris, vel in ore suppedanei [1]. Postea reliquis ministratur sacra Communio ad scamnum communionis, incipiendo ab iis qui sunt a parte Epistolae.

[1] RITUALE ROMANUM Tit. IV, cap. 2, n. 4. — Decr. 8 iun. 1911 ad 2 (PERIODICA t. 6, n. 520, p. 71).

Ex praesenti tamen responsione ab hoc ordine excipiendae sunt personae quae superiori polleant dignitate, liturgice attendenda, per se vel per accidens. Unde praesenti disciplinae repugnare non putamus, si Superior religiosus, qui non sit sacerdos, communicet ante subditum suum Missae inservientem, vel si in prima sua Missa neosacerdos Communionem praebeat parentibus ante ministrum Missae.

Ios. Pauwels, s. i.

132. — *RESCRIPTUM 20 MART. 1915*

De calendario adhibendo in Ecclesia Cathedrali aut metropolitana, cui Regulares deserviunt

(A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 150).

Archiepiscopus Verapolitanus sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione haec quae sequuntur reverenter exposuit :

Occasio dubii. In loco Verapoly exstat Ecclesia Metropolitana, mater omnium ecclesiarum archidioecesis Verapolitanae, in qua tamen Religiosi Carmelitani Discalceati, qui ibi residentiam habent, sua officia et sacras functiones exercent, nec non et fidelium curae per verbi divini praeconium et administrationem sacramentorum deserviunt.

Dubium. Hinc quaeritur : An in Ecclesia Metropolitana Verapoly calendarium regulare Ordinis Carmelitarum Discalceatorum servari debeat, iuxta decreta S. R. C. 4150 Ratisbonen. 27 ianuarii 1905 et 4252 Secovien. 22 aprilis 1910, vel calendarium Dioecesanum ab Apostolica Sede rite approbatum ?

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, exquisita specialis Commissionis sententia, omnibus sedulo perpensis proposito dubio respondendum censuit : Negative ad primam partem ; et decreta in medium allata non respiciunt ecclesias Cathedrales aut Metropolitanas ; Affirmative ad secundam. Atque ita rescripsit et declaravit die 20 martii 1915.

Dies (20 mart. 1915).

Antonius Card. Vico, *S. C. R. Pro-Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Annotationes

Iuxta citata decreta « Si paroecia sit monasterio vel domui religiosae incorporata, aut eiusdem monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel communitas apud ipsam parochialem ecclesiam divina peragat officia, in missis calendarium religiosorum semper adhibeatur. »

Haec igitur applicari non possunt ecclesiae cathedrali et metropolitanae, in qua, etiam si a regularibus deserviatur, aut immo ipse episcopus ad Ordinem regularem pertineat, ut non raro in missionibus contingit, standum semper est calendario dioecesano. [1] Ios. Pauwels, s. i.

[1] Cf. Periodica, t. 8, *Quaesita varia* II, p. (12).

133. — *RESPONSUM 14 MAII 1915*

De syllabis hypermetricis quod ad cantum

(A. A. S. 21 maii 1915, 7, 237.)

Dubium. A sacra Rituum Congregatione pluries expostulatum fuit : « An regula « descripta in Antiphonario Vaticano circa syllabas hypermetricas, quae « frequenter occurrunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non « elidantur, sed distinctae pronuntientur propriaque nota cantentur, « stricte et rigorose interpretanda sit, vel e contra liceat etiam ipsas « syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius « censeatur ? »

Responsum. Et Sacra eadem Congregatio, audita specialis Commissionis pro cantu liturgico gregoriano sententia, propositae quaestioni re sedulo perpensa ita rescribendum censuit : « Negative ad primam partem, affirmative ad « secundam. »

Dies (14 maii 1915). Atque ita rescripsit et declaravit die 14 maii 1915.

A. Card. Vico, *Pro-Praefectus.*

Petrus La Fontaine, Patriarcha electus Venetiarum, Secretarius.

---

134. — *DECRETUM 15 APR. 1915*

De missis votivis quibusdam durante bello permissis

(A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 265.)

Cappellanis militum, eorum adiutoribus et sacerdotibus proelio dimicantibus quaedam missae votivae etiam in Dominicis et quibusdam festis permittuntur. Instantibus non nullis Episcopis, sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV tributarum, benigne concessit, ut, hoc bello perdurante, capellani militum in castris vel in captivitate detenti, necnon eorum adiutores aliique sacerdotes proelio dimicantes, legere rite possint in Dominicis et festis Domini eorumque Octavis, Missam *de Ss^ma Trinitate*, in aliis vero festis Duplicibus I vel II classis Missam *de sancta Maria a Pentecoste ad Adventum* ; in utroque casu, cum *Gloria* et *Credo* additaque oratione *tempore belli :* reliquis autem diebus praefati capellani et sacerdotes celebrare valeant vel enuntiatam Missam de beata Maria Virgine cum Oratione *tempore belli*, vel Missam *tempore belli* cum oratione *de sancta Maria*, vel Missam de Requie.

Dies (15 apr. 1915). Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 aprilis 1915.

A. Card. Vico, *Pro-Praefectus.*

Petrus La Fontaine, Patriarcha electus Venetiarum, Secretarius.

Annotatio

Indultum videtur concessum ut sacerdotes praedicti completo Missali non indigeant, sed parvo tantum extracto, quod commodius ab iis ex uno loco in alium asportari potest, contenti esse possint et ideo ab Indulto nulla dies est excepta. Animadvertatur Oratio *tempore belli* in casu ubique tamquam Imperata pro re gravi dicenda etiam in duplicibus I classis.

Ios. Pauwels, s. I.

135. — *RESPONSUM 2 IUL. 1915*

De commemoratione anniversarii electionis et consecrationis Episcopi impedita, et de tempore quo domorum benedictio fieri potest (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 389).

Sacrae Rituum Congregationi sequentes quaestiones pro opportuna solutione proposita fuerunt ; nimirum :

Dubia

I. An Commemoratio de Anniversario electionis et consecrationis Episcopi in Missis lectis prohibeatur diebus infra octavas privilegiatas, ritus semiduplicis ?

II. An dioecesana lege prohiberi possit domorum benedictio diebus sabbatum sanctum proxime praecedentibus, immo toto tempore quadragesimali, ne talis benedictio a fidelibus ut paschalis aestimetur, et magna exinde confusio oriatur in populo ?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit :

Ad I. Negative.

Ad II. In casu, affirmative iuxta decreta.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 2 iulii 1915.

Dies (2 iul. 1915).

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad 1. Quod haec oratio pro episcopo in Anniversario electionis et consecrationis nullo modo regitur iisdem regulis ac collecta ab Episcopo imperata, patet iam ex eo quod antiquitus illa oratio ex obligatione addenda erat in duplicibus 2 classis, non tantum in Missis privatis, in quibus tamen Imperata pro lubitu addi vel omitti tunc poterat, sed etiam in Missis sollemnibus et cantatis in quibus Imperata omitti debebat. Sed etiam in novis Rubricis inter utramque habetur differentia ; etenim, quando haec Oratio pro Episcopo dicenda est quarto loco, Imperata omittitur, cum tamen, si duae exstant Collectae imperatae, ambae addi debeant post tertiam Orationem. Ergo neque regula de omittenda Imperata infra octavas privilegiatas illi applicari debet.

Ad 2. Iuxta decretum 4108, 7 mart. 1903 [1] benedictio domorum in sabbato sancto est de iuribus parochialibus, et nequit ob extensionem paroeciae fieri horis vespertinis Feriae VI in Parasceve, sed in casu fieri poterit durante hebdomada octavae Paschae. Et haec est ratio cur episcopus possit omnem benedictionem domorum prohibere per totam Quadragesimam. Ios. Pauwels, s. I.

---

[1] Periodica. *Supplementum tertium decimum.* 11 t. 2, p. 283 (2 ed.)

136. — *RESPONSUM 24 IUL. 1915*

De imaginibus beatorum publicae venerationi expositis

(A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 389).

Dubium. Expostulatum est a sacra Rituum Congregatione : utrum imagines seu statuae alicuius Beati, formaliter beatificati, publicae fidelium venerationi in ecclesiis seu oratoriis publicis expositae, amoveri possint auctoritate respectivi Ordinarii ?

Responsum. Et sacra eadem Congregatio proposito dubio ita respondendum censuit : Si adfuit indultum apostolicum, vel tantum expositionis praedictarum imaginum seu statuarum, vel maius indultum celebrandi festum cum Officio et Missa de Beato (quo in casu facultas continetur exponendi memoratas imagines, seu statuas), *negative ;* secus *affirmative.*

Dies (24 iul. 1915). Atque ita rescripsit et declaravit. Die 24 iulii 1915.

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.* — *Alexander Verde, Secretarius.*

ANNOTATIONES

Si tantum indultum expositionis obtentum est, imagines seu statuae Beatorum in parietibus tantum, non vero super altari exponi possunt [1] ; si vero concessum est indultum celebrandi in aliqua ecclesia vel oratorio festum cum officio et missa Beati, licet etiam in hac ecclesia imaginem exponere super altari, [2] nec Episcopus hoc prohibere potest. Hoc tamen ad aliam ecclesiam nullo modo extendi potest; et ubi non favet indultum apostolicum, Episcopo ius est alias imagines seu statuas beati etiam formaliter beatificati amovendi. Ios. PAUWELS, s. I.

---

137. — *DECRETUM 3 FEBR. 1912*

De suffragiis pro defunctis in bello Tripolitano

(A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 390).

Cum saepe saepius, etc.

Prohibitio. Mandat autem ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus — etsi fiant diebus a ritu permissis — nemo — cuiusque sit dignitatis — sermones aut funebres orationes — in quibusvis ecclesiis seu oratoriis — habere praesumat. — Die 3 februarii 1912.

Dies (3 febr. 1912).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

---

[1] Decretum S. R. C. 1130. ad 2.

[2] Decretum 1156 ad 1. Altaria tamen Beatis, etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari sine Sedis Apostolicae indulto prohibet can. 1201, § 4.

138. — *RESCRIPTUM 11 AUG. 1915*

De Octava Festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli

(A. A. S. 4 sept 1915, 7, 441.)

Octava SS. Apostolorum in dioec. Romana pro utroque clero est privilegiata.

Cum per decretum Sacrae Rituum Congregationis n. 3581 *Urbis et Orbis* 5 iulii 1883 et alia recentiora decreta *Romana* 10 decembris 1913 et 22 maii 1914, de Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 iunii, Romae non solum agenda sit Commemoratio singulis octavae diebus, quocumque Festo occurente, sed ipsa Octava habenda uti privilegiata tertii ordinis ; cumque eiusmodi privilegium a quibusdam intellegatur coartatum ad clerum saecularem aliosque calendario dioecesano legitime utentes, sacra eadem Congregatio, attentis expositis ac praesertim quod Romam « Beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi civitates « tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro supre- « moque et indefectibili veritatis magisterio », uti legitur in decreto suprarelato n. 3531, votis etiam precibusque porrectis obsecundans, rescribendum censuit : « In casu octavam privilegiatam extendendam esse « ad omnes ex utroque clero Romae eiusque districtu commorantes, si « Sanctissimo placuerit ».

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum ipsius Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit ; simulque Octavam Festi, 29 iunii, Ss. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum principalium, pro universo clero in hac ipsa Urbe eiusque districtu degente, tam saeculari quam regulari, etiam Calendarium proprium habente, privilegiatam tertii ordinis statuit ac declaravit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 11 augusti 1915.

Dies (11 aug. 1915)

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotatio

Ergo etiam religiosi omnes Romae degentes, etsi proprium habeant Kalendarium, de Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli quocumque festo etiam duplici 1 classis occurrente, facient commemorationem, et infra eam Imperatam quae non sit pro re gravi praescripta omittent. In officio tamen huius Octavae psalmos adhibebunt de currenti hebdomadae die ut in Psalterio ; ab hac regula enim « excipiuntur tantum... integrae Octavae *Domini* quae in universali Ecclesia recoluntur » [1]. Ios. Pauwels, s. i.

[1] Additiones et Variationes in Rubricis Breviarii ad normam Bullae « Divino afflatu » Tit. 1, n. 2.

139. — *DECRETUM 10 OCT. 1915*

De tribus missis legendis in die commemorationis omnium fidelium defunctorum a sacerdotibus ritus Ambrosiani (A. A. S. 30 nov. 1915, 7, 497).

Quo pacto adritum ambrosianum traducatur decretum de tribus missis, in commem. omnium defunctorum.

Edita Constitutione Apostolica Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XV, *Incruentum Altaris sacrificium*, diei 10 augusti 1915, qua omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter Sacrum faciendi facultas conceditur, et evulgato subsequenti decreto Sacrae Rituum Congregationis *Urbis et Orbis*, diei 11 eiusdem mensis et anni, Emus Dominus Cardinalis Andreas Ferrari, archiepiscopus Mediolanensis, eundem Sanctissimum Dominum Nostrum Benedictum Papam XV supplicibus votis rogavit, ut memoratum S. R. C. decretum singulis sacerdotibus Ambrosiani ritus archidioecesi Mediolanensi ascriptis ita extendere dignaretur, ut prima missa ea sit, quae in Missali Ambrosiano habetur in Commemoratione omnium fidelium defunctorum ; altera quam idem Ambrosianum Missale in Anniversario plurium Defunctorum assignat ; tertia vero quae in eodem Missali Ambrosiano *Missa cotidiana pro pluribus Defunctis* inscribitur. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, in omnibus annuit pro gratia iuxta preces, dummodo tamen in singulis supradictis missis adhibeatur praefatio quae in Missali Ambrosiano diei Commemorationis omnium fidelium defunctorum assignatur, et in orationibus secundae Missae supprimantur verba *quorum anniversarium depositionis diem commemoramus*, vel *quorum hodie annua dies agitur*. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 octobris 1915.

D. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotatio

In Missali Ambrosiano indicatur missa alia in anniversario unius defuncti, alia in anniversario plurium defunctorum, item missa cotidiana pro uno defuncto et alia cotidiana pro pluribus defunctis. Ceterum, illae missae fere non differunt nisi Lectione, Epistola et Evangelio.

Ios. Pauwels, s. i.

140 — *DECRETUM 24 NOV. 1915*

Circa preces in fine Missae recitandas

(A. A. S. 9 dec. 1915, 7, 526.)

Occasio decreti.

Cum in aliquibus locis et dioecesibus dubium exortum sit : Utrum preces in fine Missae a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae, adhuc sint recitandae, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit : Affirmative, servatis decretis et normis ab ipsa Sacra Congregatione traditis.

Praescriptum.

Atque ita rescripsit, declaravit et approbante Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XV, servari mandavit.

Dies (24 nov. 1915).

Die 24 novembris 1915.

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

Post mortem Leonis XIII eodem modo responderat Congregatio, die 11 sept. 1903. Eo quod additur « servatis decretis et normis ab ipsa Sacra Congregatione traditis » clare manifestatur exceptiones ultimis annis inductas perseverare.

Ios. PAUWELS, s. I.

---

141. — *RESCRIPTUM 22 FEBR. 1916*

De lampade coram Sanctissimo Sacramento

(A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 72).

Deficiente oleo olivarum ad nutriendam lampadem coram SSo

Instantibus pluribus Ordinariis locorum, in quibus ad nutriendam lampadem coram SSmo Sacramento ardentem, ob peculiares circumstantias, sive ordinarias sive extraordinarias, oleum olivarum non habetur vel ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate, comparari potest, S. Rituum Congregatio, inhaerens decreto n. 3121, *Plurium Dioecesium*, d. d. 14 iunii 1864, aliisque subsequentibus declarationibus etiam recentioribus, rescribendum censuit : « Inspectis circumstantiis enuntiatis iisque perdurantibus, remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus, aut cera apum pura vel mixta, et ultimo loco etiam luce electrica adhibita ; si Sanctissimo placuerit ».

prudentiae Ordinariorum remittitur quanam materia lampas nutrienda sit.

Approbatio rescripti.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, quoad lampadem accensam ad SSmum Sacramentum debite honorandum praescriptam, in casibus et modis superius expositis, rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (23 febr. 1916).

Die 23 februarii 1916.

A. Card. Ep. PORTUEN. et S. RUF., *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

In lampade quae coram SS. Sacramento ardere debet generatim utendum esse oleo olivarum ; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetalibus, responderat S. R. C. decreto 3121, 9 iul. 1864, a Summo Pontifice confirmatum die 14 eiusdem mensis. Postea decreto 4205, 8 nov. 1907 [1], declaravit nihil obstare quominus adhibeatur compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem quae continuo ardere et lucere debet ante altare et tabernaculum, ubi asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum ; immo, decreto 4230, 27 nov. 1908 [2], respondit tolerari posse et remittendum esse prudentiae Episcopi ut lampas nutriatur ex cera apum [3]. Porro, in peculiaribus circumstantiis et difficultatibus quas bellum attulit, et quam diu illae durant, remittitur prudentiae Ordinariorum ut, si aliter lampas nutriri non possit, permittant etiam lucem electricam, sic in praesentibus adiunctis suspendens severas prohibitiones quas, paulo ante bellum, decreto suo 24 iunii 1914 iteravit [4]. Nimis evidens est sub iisdem clausulis iam tolerari lumen quodcumque v. g. ex *gaz, acétylène*, etc. Bene autem animadvertatur S. R. C., si facilem se praebet quod ad materiam ex qua nutriri debeat lampas SS. Sacramenti, contra urgere obligationem tenendi lampadem accensam diu noctuque. Non ergo, nisi in casu impossibilitatis vel maximae difficultatis, licebit ab hac lege recedere.

Simile quid etiam consessum est tempore belli pro luminaribus quae ardere debent infra Missam et in Expositione SS. Sacramenti. Etenim, uti Eminentissimus Cardinalis Mercier clero suo communicavit, benigne consessit Beatissimus Pater ut in praesentibus circumstantiis Missa quaevis, sive lecta, sive cantata aut etiam sollemnis, celebretur cum duobus luminibus *quibuscumque*, et ut SS. Sacramentum exponi valeat cum quattuor luminibus item *quibuscumque*, ita ut in his etiam functionibus adhiberi possit lumen ex *gaz, acétylène* aut lux electrica. Monet tamen Eminentissimus Cardinalis hoc habendum esse uti minimum requisitum ac proin sine gravi ratione non licere Missam celebrare cum unico lumine. Ios. Pauwels, s. i.

---

[1] Periodica, n. **246**, t. 4, p. 160.
[2] Periodica, n. **304**, t. 4, p. 313.
[3] Idem sancitur can. 1271.
[4] Cf. supra n. **123**, p. 235.

142. — *DECRETUM 23 FEBR. 1916*

De sacerdotum et sacrorum ministrorum numero in benedictione et consecratione sanctorum oleorum

(A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 73.)

Cum in hodiernis adiunctis pauci reperiantur sacerdotes et sacri ministri,

Cum ob praesens immane diuturnumque bellum sacerdotes et sacri ministri, qui ad benedictionem et consecrationem sanctorum oleorum peragendam iuxta Pontificale Romanum requiruntur, utpote militiae addicti et obstricti ita deficiant, ut pauci tantum sacrae caerimoniae interesse possint, non nulli sacrorum antistites SS^mum Dominum nostrum Benedictum Papam XV suppliciter exorarunt, ut in hisce circumstantiis a praescripto sacerdotum et sacrorum ministrorum numero, in casu et ad effectum enuntiatum, dispensare dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatas peramanter excipiens, indulgere dignata est, ut R^mi archiepiscopi et episcopi intra fines nationum belligerantium, tum hoc anno, tum durante clericorum defectu proveniente ex hoc bello, consecrationem sanctorum oleorum conficere valeant eo presbyterorum et sacrorum ministrorum numero, qui pro loci rerumque adiunctis reperiri poterit; dummodo tamen minor non sit ternario numero ex quolibet gradu, cum facultate deficientibus subdiaconis substituendi acolythos. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

decernitur quo numero eorum praesente sacra olea possint benedici.

Die 23 februarii 1916.

Dies (23 febr. 1916).

A. Card. *Ep. Portuen. et S. Ruf., S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

---

143. — *RESPONSUM 12 FEBR. 1916*

De missa dicenda, quando sollemnitas externa festi in Dominica celebratur (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 74)

A Sacra Rituum Congregatione expostulata fuit sequentium dubiorum solutio; nimirum:

Occasio dubiorum.

In Decreto S. R. C. diei 28 octobris 1913 (tit. I, n. 2) legitur: « Ubi sollemnitas externa festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, *in ipsa dominica* celebratur, de sollemnitate festi duplicis I classis *permittuntur* missae omnes;... de sollemnitate vero festi duplicis II classis *permittitur* tantum unica missa sollemnis vel lecta »; quaeritur:

Dubia.

I. An sollemnitas externa cum enuntiato privilegio recolenda in dominica cui prius affixum erat festum, intellegi possit celebranda tam in praefata dominica quam in altera dominica diversa festum insequente?

II. An in Ecclesiis ubi praefata sollemnitas externa agitur, missae a memorato decreto concessae de ipsa sollemnitate celebrari tantum possint, vel etiam debeant?

Responsa.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I et II *affirmative* ad primam partem, et *negative* ad secundam, seu standum terminis Indulti. Atque ita rescripsit ac declaravit.

Dies (12 febr. 1916). Die 12 februarii 1916.

A. Card. *Ep. Portuen. et S. Ruf.. S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

Ut alicuius festi sollemnitas externa censeatur celebrari in die diversa ab illa in qua eiusdem festi recitatur officium, certe aliquid peculiare in hac ecclesia fieri debet *intuitu huius sollemnitatis*, v. g. Sacrum cantatum cum maiore apparatu quam fieret in ordinaria Dominica, Missa Communionis in honorem huius festi, concio festiva, etc. Si quid huiusmodi fit, addi poterunt Missae sollemnitates, dummodo haec sollemnitas celebretur in ipsa Dominica cui prius affixum erat officium et festum ; nondum tamen debet, ita ut uni cuique sacerdoti licitum sit etiam Missam conformem officio celebrare. IOS. PAUWELS, S. I.

---

144. — *DECRETUM 12 APR. 1916*

De festo translationis almae Domus B. M. V.

(A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 179.)

Effertur encomium sacrae domus Lauretanae, Celeberrimum prae cunctis Marialibus Orbis catholici Sacrariis promerito ac iure Lauretanum habetur, illudque fere sex abhinc saeculis Christifidelium praecipuae venerationis cultusque maximis cohonestatur significationibus : Domus, inquam, natalis Beatissimae Virginis Mariae, divinis mysteriis consecrata ; ibi enim Verbum caro factum est. Felix ea Domus olim angelico famulatu e Palaestinae sacratis regionibus primum in Dalmatiam, inde Lauretanum in agrum Picenae provinciae mirabiliter translata, atque in sinu catholicae Ecclesiae collocata, perenni miraculorum virtute et caelestium gratia beneficiorum ditata supereminet. Mirificae vero huiusmodi Translationis festum, diei propriae, h. e. decimae decembris, exeunte saeculo decimo septimo assignatum, in Ecclesiis memoratae Provinciae Picenae, ac sensim tum aliarum Italiae tum plurimarum exterarum totius Orbis regionum, cum officio ac missa propriis, usque ad annum millesimum nongentesimum decimum tertium sine intermissione quotannis rite celebratum fuit.

cuius Translationis festum iam saec°. XI° late diffusum erat.

Quod ut restitueretur enixe rogarunt non nulli episcopi. Quibus omnibus permoti, et concrediti gregis ferventia quoque vota, ne dicam, omnium catholicorum fidelium probe noscentes, cuncti sacrorum Antistites dioecesium provinciae Picenae, ne tanti Virginei Sacrarii cultus longe lateque diffusus sensim in dies aliquid detrimenti capiat, Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Pp. XV enixe precati sunt, ut festum Translationis Almae Domus B. Mariae Virginis pristino honori restituens, quotannis celebrandum concedere dignaretur.

Precibus annuens S. P. decernit ut festum in Italia quotannis celebretur,

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV supplicia haec vota ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relata, peramanter accipiens, pro sua quoque spectata erga Deiparam pietate, decrevit, ut festum *Translationis Almae Domus B. M. V.* sub ritu duplici maiori a singulis Italiae et insularum adiacentium dioecesibus, necnon ab Ordinibus regularibus et religiosis Familiis etiam proprio calendario utentibus atque intra fines earum dioecesium commorantibus, die decima decembris, cum officio ac missa propriis iam dudum approbatis, quotannis celebretur : servatis rubricis.

in aliis Orbis partibus possit ad libitum Ordinariorum restitui.

Insuper eadem Sanctitas Sua benigne indulsit, ut eiusmodi festum Beatae Mariae Virginis ad ceteras omnes dioeceses et religiosas Familias, singulis tamen R^mis Ordinariis vel respectivis superioribus legitime petentibus, sub iisdem clausulis et condicionibus extendi valeat.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 12 aprilis 1916.

Dies (12 apr. 1916).

A. Card. *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

---

145. — *RESPONSUM 5 MAII 1916*

De festo Dedicationis Ecclesiae (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 182).

R^mus D^nus Iulius Mauritius Abbet, episcopus Sedunensis, Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quae sequuntur :

Dubia.

I. Debetne affigi festum Dedicationis ipsi diei mensis, qua Ecclesia consecrata fuit, si haec dies est nota, celebrata sollemnitate externa eadem die Dominica, qua antea ?

II. Debetne festum Dedicationis ita alicui diei mensis affigi, ut Dominica sequens sit eadem Dominica, qua celebratum fuerat festum Dedicationis tempore elapso ?

III. Debetne sollemnitas externa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in tota Dioecesi celebrari, vel tantum in urbe Episcopali ?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. *Affirmative* quoad festum cum officio et missa. Posse et non teneri quoad sollemnitatem externam.

Ad II. *Affirmative,* si non innotescat dies consecrationis, aut agatur de Festo Dedicationis Ecclesiarum consecratarum, una eadem die celebrando.

III. Posse et nullibi teneri, iuxta decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, tit. I, n. 2.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 5 maii 1916.

Dies (5 maii 1916).

A. Card. *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Liturgicis principiis quam maxime consentaneum est ut unius cuiusque ecclesiae Dedicatio celebretur in ipsa die anniversaria, hoc est in ipsa die mensis in qua consecrata

fuit. Festum enim Dedicationis est quasi ipsius ecclesiae festum, in quo decet ut fideles undique ad hanc ecclesiam confluant, ac proin sicut de suo Titulari in propria die celebratur, sic etiam decet ut de Dedicatione.

Rationes propter quas saeculis praeteritis haec festa non nullis in regionibus fuerunt cumulatim celebrata, iam minoris factae sunt ponderis; attamen ubi hucusque in aliqua *Dioecesi* vel *Instituto* unica die recoli consuevit, huius ritus *permittitur* continuatio, sed tunc, nisi aliter in calendario approbato cautum fuerit, secundum regulam traditam decreto 28 oct. 1913 I, 1 [1], eligi debet prima dies qua occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrabatur; quod item fiet si dies in qua consecratio ecclesiae facta est, non innotescat.

Sollemnitas externa huius festivitatis servari potest in Dominica in qua antiquitus celebrabatur; ad hanc tamen nullibi tenentur [2]. Ios. Pauwels, s. i.

---

146. — *RESPONSUM 5 MAII 1916*

De calendario et Titularibus ecclesiarum

(A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 226).

R^mi episcopi Dioecesium Vizagapatamensis et Nagporensis, qui iam receperunt calendarium ad usum ipsarum Dioecesium a S. Rituum Congregatione revisum et approbatum, sequentia dubia pro opportuna solutione eidem S. Congregationi exposuerunt; nimirum:

Dubia. I. An eiusmodi calendarium adhiberi possit ab omnibus sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis suae Dioecesis?

II. An titulares Ecclesiarum Cathedralium et Patronus Indiarum debeant ab iisdem sacerdotibus omnibus celebrari cum octava, vel sine octava?

III. An episcopi utriusque Dioecesis possint mutare titulares Ecclesiarum, sive quia incerti sunt, sive quia nec approbati, vel non habent Officium in calendario Dioecesano?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, rescribendum censuit:

Responsa. Ad I. Servetur decretum de festis localibus diei 28 februarii 1914 ad I en III.

Ad II Serventur Rubricae novissimae ad normam Bullae *Divino afflatu*, Breviarii Romani, tit. IX, nn. 2° et 3°.

Ad III. Nihil innovetur, si agatur de Sanctis in Martyrologio Romano vel in eius Appendice approbata insertis. Si vero agatur de Ecclesiis consecratis et de titularibus incertis, proponatur elenchus antiquorum vel novorum titularium S. Rituum Congregationi pro approbatione. Quod

---

[1] Periodica, t. 7, n. **707**, p. 198.

[2] Cf. etiam decr. 12 febr. 1916, supra n. **143**, p. 257.

si Ecclesia non fuerit consecrata aut sollemniter benedicta, ipse episcopus eam benedicat vel consecret, assignando Mysterium vel Sanctum Titularem iuxta Rubricas et Decreta ; prae oculis habito, quod Beatis nec Ecclesiae, nec Altaria dedicari possunt.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 5 maii 1916. *Dies (5 maii 1916).*

A. Card. *Ed. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ex decreto 28 febr. 1914 [1] Ordines regulares omnes, sicut et Congregationes seu Instituta a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini officii teneantur, proprium habere debent calendarium ; reliquae Congregationes et Instituta uti debent calendario dioecesano prout iacet, additis tamen iuxta rubricas officiis, quae ipsis peculiariter consessa sunt, uti sunt festa Titularis Congregationis et Sancti vel Beati Fundatoris celebranda sub ritu duplicis 1 classis cum octava communi.

Rubricae novissimae ad normam Bullae *Divino afflatu*, breviarii romani tit. IX, nn. 2 et 3 haec habent :

Anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis et festum titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu duplici 1 classis cum octava per totam dioecesim ab universo clero saeculari et etiam a regulari calendarium dioecesanum adhibente ; a Regularibus vero utriusque sexus in eadem dioecesi commorantibus ac proprium calendarium habentibus, pariter sub ritu duplicis 1 classis, absque tamen octava, nisi haec ex alio titulo est celebranda.

Festa patronorum principalium oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis, clerus saecularis et regularis ibi degens et calendarium dioecesanum sequens, sub ritu duplici 1 classis cum octava celebrabit ; Regulares vero ibidem commorantes et calendarium proprium habentes, eadem festa, quamvis feriata in foro numquam fuerint, eodem ritu celebrabunt, absque tamen octava, nisi pariter ex alio titulo debeatur.

Ex decreto 22 maii 1914 [2], a regularibus colendi sunt cum octava Titularis ecclesiae cathedralis et patronus loci principalis, qui socii fuerint eiusdem Ordinis vel Congregationis.

Ios. Pauwels, s. l.

---

1 Periodica t. 7, n. **743**, p. 264.
2 Periodica t. 8 n. **21**, p. 49.

147. — *RESPONSUM 2 IUN. 1916*

De missa votiva SS. Cordis Iesu et de precibus post missam (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 227).

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata est :

Dubia. I. An missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, a Leone Papa XIII concessa pro qualibet feria sexta, quae prima in uno quoque mense occurrit, prohibita sit in omnibus festis Domini, iuxta decretum n. 3712 diei 28 iunii 1889 ; vel tantum in festis Christi Domini, ad mentem novarum rubricarum tit. IV, n. 7, tit. VI, n. 4 et iuxta notanda in tabellis n. 8 ?

II. An preces post missam omittere debeat sacerdos, qui Sacrum facit in oratorio cuiusdam communitatis religiosae, dum ipsa communitas vel lectioni meditationis, vel alteri missae assistit, vel ad recipiendam sacram Communionem accedit, vel pias preces in communi recitat ?

III. An liceat preces omittere in fine missae quae celebratur in altari Sanctissimi Sacramenti si immediate post eam sacra Communio administranda sit ?

Et sacra eadem Congregatio, audito voto specialis Commissionis respondendum censuit :

Responsa. Ad I. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad. II. *Negative ;* et in casu preces praescriptae recitentur submissa voce tam a sacerdote celebrante quam a clerico seu inserviente vel tantum respondente ; et dentur decreta, praesertim decretum de precibus in fine missae recitandis diei 20 iunii 1913.

Ad III. *Negative* iuxta decretum supra relatum, et in casu Ss^ma^ Eucharistia administretur post preces.

Dies (2 iun. 1916). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 2 iunii 1916.

A. Card. *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad 1. In tit. IV, n. 7, tit. VI, n. 4 et in Notandis in tabellis n. 8 agitur de mysteriis Domini *diversis*, quorum unum commemorationem alterius non excludit. Secundum praesens responsum missa de Sacratissimo Corde prohibita non est in festis Domini in quibus recolitur mysterium Domini diversum ; attamen, si attendatur illam missam prohibitam fuisse in vigilia Epiphaniae et in festo Purificationis propter indolem huius festi, facile non est indicare quaenam sint illa festa Domini in quibus praedicta missa licita foret ; certe non prohibetur, nisi alia interveniat causa prohibitionis, diebus in quibus officium est Dedicationis ecclesiae.

Ad 2 et 3. Decreto 20 iun. 1913 [1] rescripserat Congregatio

[1] Peri dica, t. 7, n. 697, p. 164.

preces in fine Missae a Leone XIII praescriptas omitti posse non tantum post missam conventualem lectam, vel missam de Sacratissimo Corde Iesu in prima fer. VI mensis lectam ad instar missae votivae sollemnis, sed etiam in aliis missis lectis quae cum aliqua sollemnitate celebrantur, vel quam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium. Haec tamen ex hoc responso nimis extendi non debent : functio de qua in decr. 20 iun. 1913 certe non est distributio Communionis, neque preces quae a religiosa communitate in communi recitantur ; videtur ergo haec omissio precum restringenda ad functiones quae, praeside ipso celebrante, fiunt modo extraordinario, forte ne secus praedictae preces iam fere semper omittantur. Ios. PAUWELS, S. I.

---

148. — *RESPONSUM 1 DEC. 1916*

De dominica minori occurrente vel concurrente cum festo dedicationis B. M. V. ad Nives

(A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 23).

A nonnullis calendaristis, de consensu respectivi Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione reverenter expositum fuit ; nimirum :

Occasio dubii. Ex additionibus et variationibus in Rubricis Breviarii ad normam Bullae *Divino afflatu*, festum Dedicationis cuiuslibet ecclesiae est semper primarium et festum Domini (tit. IX, 1), et de dominicis minoribus seu per annum, semper fieri debet officium, nisi occurrat vel concurrat aliquod duplex I vel II classis aut quodvis festum novem lectionum Domini (tit. IV, 2 ; tit. VI, 2).

Unde quaeritur :

Dubium Utrum festum quoque Dedicationis B. M. V. ad Nives, ritus duplicis maioris, praeferendum sit dominicae minori tam in occurrentia quam in concurrentia ?

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, audito voto specialis Commissionis, prae oculis habito quod, in casu, sub enuntiato titulo fit officium B. Mariae Virginis ad Nives, titularis Basilicae Liberianae, loco officii Dedicationis eiusdem Basilicae, rescribendum censuit : *Negative.*

Dies (1 dec. 1916). Atque ita rescripsit et declaravit. Die 1 decembris 1916.

A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

Unde patet festum dedicationis ecclesiae non esse festum Domini, nisi in eo adhibeatur officium dedicationis ; si vero in ipso recitatur officium Titularis, uti aliquando antiquitus fiebat, fit formaliter festum Titularis, ac proin huius dignitatem participat. Ios. PAUWELS, S. I.

149. — *RESPONSUM 26 IAN. 1917*

De translata sollemnitate cum feriatione

(A. A. S. 1 mart. 1917, 9, 142.)

Hodiernus Vicarius generalis dioecesis Carcassonensis, de mandato sui R^mi episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter sabiecit ; nimirum :

Occasio dubiorum. Per indultum Cardinalis Caprara sub die 9 aprilis 1802, et subsequentes declarationes, in Gallia quorundam festorum feriatio ita supprimitur in eorum die proprio, ut sollemnitas cum feriatione transferatur in dominicam non impeditam proxime sequentem, in qua dominica et sollemnitate unica missa sollemnis vel cantata celebranda est de die festo quod Ita debite ac devote colitur.

Dubia. Hinc quaeritur :

I. An praefatum indultum Cardinalis Caprara hucusque observatum in Gallia, in eo quod attinet ad celebrationem missae de sollemnitate translata, adhuc vigeat. non obstantibus novis rubricis et decretis de festis ad dominicam pro sollemnitate translatis ?

Et cum post dogmaticam definitionem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis anno 1854 sollemniter promulgatam, peculiaria indulta ab Apostolica Sede concessa fuerint dioecesibus Galliae, ut festi Immaculatae Conceptionis B. M. V. sollemnitas externa celebretur dominica Adventus ipsum festum proxime sequente, cum unica missa sollemni vel cantata de ipso festo, quaeritur :

II. An haec indulta in suo vigore adhuc maneant ?

Responsa. Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative*, attento tamen decreto n. 3754 « declarationis « praefati indulti pro sollemnitate festorum transferenda » diei 2 decembris 1891.

Ad II. *Affirmative* pro his Galliae dioecesibus quibus memorata indulta concessa fuerunt ; servatis tamen eorundem clausulis et condicionibus.

Dies (26 ian. 1917). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 ianuarii 1917.

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Novae Rubricae prohibent quidem quominus festum et officium fixe in aliqua dominica etiam minori assignetur, nullo modo vero quominus sollemnitas in dominica servetur, addita etiam missa sollemnitatis ; immo decretum 28 oct. 1913, I, 2 [1] sub hoc respectu sollemnitati alicuius festi olim dominicae assignati plus tribuit quam indultum Card. Caprara, cum de sollemnitate festi duplicis 2 classis

[1] PERIODICA, t. 7, n. 707, p. 198.

permittatur unica missa sollemnis *vel lecta*, de sollemnitate vero duplicis 1 classis permittantur *missae omnes*. Sola sollemnitas Immaculatae Conceptionis difficultatem facere potuisset, cum incidat in dominicam maiorem in qua secundum decretum 28 oct. 1913 missae de sollemnitate prohibentur.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

150. — *DECRETUM 28 FEBR. 1917*

De Commemoratione omnium fidelium defunctorum

(A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 186).

Commemoratio omnium fidelium defunctorum

Quo universi cleri populique fidelis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum par et consors ferveat pietas, atque coniuncta suffragia magis prosint animabus in Christo quiescentibus ; itemque sacra liturgia in eucharistico sacrificio litando divinoque officio persolvendo, uniformi ac sollemni ritu in universa Ecclesia peragatur, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, suprema auctoritate Sua, statuit ac decrevit : « Sollemnem Com-
« memorationem omnium fidelium defunctorum, ex Constitutione Aposto-
« lica *Incruentum Altaris*, die 10 augusti 1915 edita, ampliore privilegio
« trium Missarum de Requie auctam, festis sollemnioribus primariis ritus
« duplicis primae classis et Ecclesiae universalis amodo esse aequiperan-
« dam, adeo ut omnia et singula festa propria locorum, ecclesiarum,
« Ordinum seu Congregationum aliorumque institutorum particularium
« excludat, excepta tamen dominica, quae die secunda novembris occur-
« rat ; quo in casu eadem Commemoratio cum suis privilegiis in diem
« immediate sequentem de more transferatur. Sancivit insuper Sanctitas
« Sua, ut calendaria et Propria particularia, nullo excepto, huic decreto
« conformari debeant. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam
« speciali mentione dignis.

festis sollemnioribus primariis rit. dupl. 1ae classis aequiperatur.

« Die 28 februarii 1917.

Dies (28 febr. 1917).

A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

Hucusque Commemoratio omnium fidelium defunctorum excludebat tantum festa occurrentia quae non sint duplicia 1 classis, tum festa transferenda vel reponenda cuiusvis ritus, et si dies 2 novembris venisset in dominica vel impedita fuisset etiam perpetuo, ab aliquo duplici 1 classis, in sequentem diem transferendum erat, quae ab officiis huiusmodi occurrentibus erat libera. Nunc iam a nullo prorsus officio nec universalis Ecclesiae nec alicuius ecclesiae particularis, cuiuscumque sit ritus vel dignitatis, impediri poterit nisi a dominica ; et si dies 2 novembris occurrat in domi-

nica, Commemoratio omnium fidelium defunctorum celebrabitur ubique die proxima sequenti. Quod si in aliquo ecclesiae particularis calendario huic diei assignatum sit festum, si illud sit ritus duplicis maioris aut minoris, vel semiduplicis aut simplicis, hoc anno simpliciter omittetur; si vero sit ritus duplicis 1 vel 2 classis transferendum erit secundum rubricas (tit. IV, n. 3). Ios. PAUWELS, s. I.

---

151. — *RESPONSUM 28 FEBR. 1917*

De missis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 186.)

Dubia. A Sacra Rituum Congregatione pro opportuna declaratione postulatum est: An ex tribus missis de Requie in Commemoratione omnium fidelium defunctorum a Constitutione Apostolica diei 10 augusti 1915 permissis: I. Sacerdos unam vel duas tantum missas celebrare queat, et II. in utroque casu quaenam missae ex descriptis in decreto Sacrorum Rituum Congregationis *Urbis et Orbis* diei 11 augusti 1915 legendae sint, ac demum III. pro quibus eaedem applicandae?

Responsa. Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad utrumque.

Ad II. Prima missa ex supra descriptis semper legenda est; altera erit secunda.

Ad III. In utroque casu una missa ad intentionem celebrantis, in secundo tamen casu, altera ex duabus missis pro omnibus fidelibus defunctis applicanda est.

Dies (28 febr. 1917). Atque ita rescripsit et declaravit de mandato Sanctissimi, die 28 februarii 1917.

A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

In Commemoratione omnium fidelium defunctorum potest sacerdos pro lubitu vel unam, vel duas, vel tres missas celebrare, et in iis dicendis ordinem sequetur ipsius missalis. Unam semper potest ad intentionem quam voluerit, accepto etiam stipendio, celebrare; alteram, si eam celebrat, omnibus fidelibus defunctis applicare debet, tertiam vero ad intentionem Summi Pontificis offerre.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

152. — *RESPONSUM 3 MART. 1917*

De occurrentia et translatione quorundam Festorum

(A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 187).

Sacrorum rituum Congregationi sequentia dubia expendenda et solvenda subiecta sunt ; nimirum :

Dubia.

I. Inspectis rubricis Breviarii romani, nempe tam rubrica generali tit. IV *de festorum occurrentia accidentali eorumque translatione*, n. 2, quam rubrica speciali *de die octava Epiphaniae occurrente in dominica ;* atque inde exorto dubio, quaeritur :

Si festum duplex primae classis, a die 7 ad 12 ianuarii inclusive occurrens, incidat in dominicam, quid agendum ?

II. Quando dies octava communis occurrit eadem die cum aliquo festo domini ritus duplicis maioris, fit officium de die octava cum commemoratione festi Domini, quaeritur :

Si memorata dies octava in dominicam incidat, officium eritne de ipsa dominica cum commemoratione diei octavae et festi Domini ; aut potius reviviscit ius festi Domini supra officium dominicale ?

III. In dioecesi *N.*, titulus ecclesiae particularis est Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis feria sexta post dominicam Passionis sub competente ritu duplici primae classis recolendus ; et sequenti die aliud festum duplex I aut II classis occurrit ; quaeritur :

Quotiens eiusmodi festum titulare Deiparae Virginis Perdolentis impediatur, feria sexta assignata, ab alio festo nobiliori, et sabbato sequenti, ab alio festo classico, quid faciendum ?

Responsa.

Et Sacra rituum Congregatio, audito specialis commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, triplici quaestioni ita respondendum censuit :

Ad I. Fiat officium de festo duplici primae classis cum commemoratione dominicae, iuxta praefatam rubricam generalem, tit. IV, n. 2.

Ad II. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad III. Festum titulare Deiparae Perdolentis transferatur, cum ritu paschali, post dominicam in Albis in proximiorem diem sequentem quae sit libera, iuxta Rubricas, tit. IV, n. 3.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 3 martii 1917.

Dies (3 mart. 1917).

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad 1. Regula hic tradita valet tantum si festum duplex 1 classis incidat in ipsam dominicam, non vero quando die octava Epiphaniae veniente in dominica, duplex 1 classis occurrit in sabbato, in quo tunc fieri deberet de dominica anticipata ; in hoc enim casu ex rubrica speciali *de die octava Epiphaniae occurrente in dominica*, « Officium de dominica anticipatur in proximiorem feriam in qua secus

faciendum esset officium de octava, et in officio festi fit commemoratio currentis diei infra octavam ».

Ad 2. Casus occurrit ubi S. Martinus Ep. et Conf. (11 nov.) est Patronus vel Titularis. Die 18 fiet tunc de die octava cum commemoratione Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli App. Si vero littera dominicalis est *g*, officium diei octavae cedere debet dominicae, cuius tamen loco sumendum est officium de Dedicatione (utpote officium Domini), quod in casu omnia iura tam in occurrentia quam in concurrentia habet ipsius dominicae.

Ad 3. Ex tit. IV, n. 3 omnia « duplicia 1 et 2 classis quae ab alio nobiliore officio impediuntur transferenda sunt in proximiorem insequentem diem quae libera sit ab alio festo duplici 1 vel 2 classis, a dominica occurrenti, a vigilia privilegiata, et ab aliis officiis quae huiusmodi festa respective excludant ». Attamen, si simul transferenda sint festa duplicia 1 classis universalis Ecclesiae (festum Annuntiationis aut S. Ioseph) haec Titulari sunt praeferenda.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

153. — *DECRETUM 10 MART. 1917*

Circa Rubricas Breviarii (A. A. S. 25 mart. 1917, 9, 188.)

Mutatio gradus festi commemorationis omnium fidelium defunctorum

Per decretum Sacrae rituum Congregationis *Urbis et Orbis* diei 28 februarii vertentis anni, de Commemoratione omnium fidelium defunctorum, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, statuit ac sancivit ut eiusmodi Commemoratio excludat omnia et singula festa propria locorum, ecclesiarum, ordinum seu congregationum, aliorumque institutorum. Hinc Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, cunctisque sedulo perpensis, sequentes variationes, a praefato decreto deductas, in Rubricis Breviarii romani faciendas esse censuit; easque in futuris ipsius Breviarii editionibus inseri atque ab omnibus servari mandavit.

mutationem in quibusdam Breviarii rubricis inducit.

In Rubricis Breviarii ad normam bullae « Divino afflatu ».

I

Tit. IV, num. 6

Commemoratio omnium fidelium defunctorum excludit tum festa occurrentia, tum festa transferenda cuiusvis ritus. Si tamen dies 2 novembris in dominicam inciderit, officium fit de dominica cum commemoratione octavae omnium Sanctorum; et Commemoratio omnium fidelium defunctorum, iisdem cum iuribus, in diem 3, tamquam in sedem propriam, transfertur.

II

Tit. V, num. 4

Commemoratio omnium fidelium defunctorum excludit tum festa occurrentia, tum festa transferenda cuiusvis ritus.

III

Notanda in praecedentibus tabellis

Numerus 16 expungatur.

IV

Rubrica particularis in Proprio Sanctorum, die 2 novembris

Commemoratio omnium fidelium defunctorum excludit tum festa occurrentia tum festa transferenda cuiusvis ritus. Si tamen inciderit in dominicam, iisdem cum iuribus, in sequenti feria secunda celebratur, translato, vel penitus omisso, iuxta Rubricas, quolibet alio festo.

Insuper ipsa Sacra Congregatio iisdem futuris Breviarii romani editionibus sequentes etiam variationes adiciendas praescripsit.

V

Die 22 septembris ad lectionem VI Officii S. Thomae de Villanova Ep. et Conf. omittantur postrema verba : « atque eius memoriam quartodecimo kalendas octobris celebrari mandavit ».

VI

Die 1 iulii, in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., rubrica specialis in fine officii *Sicubi*, etc. ita exprimatur : « Sicubi tamen hoc festum « habeat II Vesperas integras, omnia dicuntur ut in I Vesperis, sed, loco « ultimi psalmi, dicatur ps. 147 *Lauda, Ierusalem, Dominum*, nec non « versus et antiphona ad Magnificat ut infra ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 martii 1917. *Dies (10 mart. 1917).*

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Mutationes in rubricis breviarii, de quibus in nn. I-IV, necessariae factae sunt postquam decreto 28 febr. 1917 [1] : Commemoratio omnium fidelium defunctorum festis sollemnioribus primariis ritus duplicis 1 classis et Ecclesiae universalis fuerit aequiperata.

Ad V. Sancti Thomae de Villanova, cuius natalis dies occurrit die 8 sept., festum affixum erat ab Alexandro VII sub ritu semiduplici, diei 18 eiusdem mensis ; cum autem a Clemente XIV ad universalem Ecclesiam extensum fuerit festum S. Iosephi a Cupertino sub ritu duplici, ei assignatus est dies natalis seu eadem 18 sept. et festum S. Thomae ulterius transferri debuit in 22 sept. Porro, in novi Breviarii lectionibus historicis expuncta sunt quae de assignatione

[1] Cf. supra n. 150, p. 265.

olim facta et postea mutata legebantur ; nihil mirum si *in tanto opere* una alterave correctio revisores fugerit.

Ad VI. In rubrica, ut legitur in novis Breviariis, desiderantur verba : « Sed, loco ultimi psalmi, dicatur ps. 147 *Lauda, Ierusalem, Dominum* ». Hoc tamen, etiam ex inadvertentia accidisse, patet ex eo quod in antiquis Breviariis ad 2 Vesperas huius festi iam praescribebatur ille Ps. *Lauda, Ierusalem, Dominum.* Ios. Pauwels, s. i.

---

154. — *DECRETUM 25 MART. 1917*

De sollemni Beatificatione Ven. S. D. Sororis Annae a S. Bartholomaeo, Carm. Disc. (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 180.)

A pretioso Servae Dei, sororis Annae a S. Bartholomaeo, obitu, qui Antverpiae contigit anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, die septima mensis iunii, unus vix aut alter abierat annus, et apud Apostolicam Sedem causa ipsius Ancillae Dei suum iam sumpserat exordium, sicuti mos erat illius temporis.

Obtenta siquidem a felic. rec. Urbano Papa VIII, quam vocant, Signatura Commissionis, petitae mox impetrataeque sunt Remissoriales Litterae ad adornandum super *Fama in genere* apostolica auctoritate processum ; eoque ad finem perducto Romamque delato de re instituta est quaestio, quae favorabili cum esset responso dirempta, deventum subinde erat ad apostolicam inquisitionem super virtutibus et miraculis in specie, cum in medio actorum cursu causam subsistere necesse fuit.

In iuris namque disciplina, quae servata illuc usque fuerat, insignis quaedam magnique momenti facta erat mutatio ; eamque idcirco exsecutioni mandari oportebat. Etsi enim inde ab Alexandri III Pontificis Maximi aetate, circa cultum publicum defunctis hominibus nomine Ecclesiae exhibendum, quaevis episcopis aliisque locorum Ordinariis adempta fuerit potestas ; atque hoc ipso Beatificatio quoque inter causas maiores annumerata, uni Romano Pontifici privativo iure reservata permanserit, nihilo minus, quo interea apte dilucideque dignosceretur quid esset, in quo publici et ecclesiastici cultus ratio consisteret, quidque publicum inter atque privatum cultum intercederet discriminis, multum sane insumptum est temporis, industriae ac laboris, donec anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, rec. me. Urbanus Papa VIII, non ita pridem edita, sua confirmans decreta, modum, quo nova lex actu perficeretur, invenit tandem descripsitque. Nam Praedecessorum suorum, nominatim Alexandri III et Innocentii III insistens vestigiis, statuit iterum validiusque decrevit, Servis Dei nondum beatificatis aut canonizatis publici et ecclesiastici cultus significationes nequaquam posse deferri ; insimul tamen, quem ad modum par erat maximeque suadebat aequitas, consulto dataque opera cavit, si qui essent Dei Servi, quos aut centum ante annos, aut iustis aliis de causis christifideles consuevissent publice honorare, possessione ista eosdem Dei Servos non esse exturbandos ; utque hanc eorum peculiarem condicionem iuridicus suppeteret probandi modus, quosdam, ad instar propriae veraeque exceptionis, induxit casus,

qui propterea *casus excepti* iure merito vocantur et sunt. Exinde causarum Servorum Dei duplex cum fuerit constitutus ordo ; earum nimirum, quae per viam *extraordinariam*, seu per viam *cultus*, et earum, quae per viam *ordinariam*, seu per viam *non cultus* procedunt, huic alteri causarum generi omnino singulare obtigit, ut vix ad Sanctam Sedem deferantur ab eaque illis, ut inquiunt, apponatur manus, ilico nefas sit ad ulteriora progredi, nisi prius Servis Dei, de quibus agitur, nullum praestitum fuisse praestarique publicum et ecclesiasticum cultum legitime constiterit ; idque nedum in causis, quae introducendae postea forent, sed in iis etiam, quae eodem sub Urbano VIII initae paulo ante fuerant, aeque observari debere, iussum praeterea fuit.

Quibus omnibus in promptu est, quomodo factum sit, ut Servae Dei sororis Annae a S. Bartholomaeo quamvis tam mature penes Apostolicam Sedem agitari coepta fuerit causa, attamen ob eam praesertim, quae interim supervenerat, novi iuris constitutionem, non nisi post integrum et amplius saeculum, anno videlicet millesimo septingentesimo trigesimo quinto, Clemente XII Summo Pontifice, eiusdem venerabilis Ancillae Dei ostensae declarataeque fuerint heroicae virtutes. Hisce vero probatis, bis fere saeculare secutum est silentium ; sed istud Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papae XV abrupit oraculum ; binas quippe, quae praesto iam erant sanationes quibusque causae lectissimae tam diu exspectatum imponi licuisset fastigium, vero proprioque prodigio esse adiudicandas. Ipse Beatissimus Pater apostolica auctoritate Sua nuperrime sanxit decreto. Ita quod sibi primum proposuerant actores, cum, tribus propemodum abhinc saeculis, Urbanum VIII, Summum Pontificem, adiverunt supplices, hoc profecto fauste feliciterque assecutos tandem se esse laetantur ; quandoquidem, cunctis recte riteque adimpletis, quae adimpleri opus erat, nihil aliud impedimento esse potest, quominus venerabili Ancillae Dei sorori Annae a S. Bartholomaeo Beatorum caelitum merito ac *tuto* decernantur honores.

In generalibus proinde sacrae huius Congregationis Comitiis, quae die decima tertia currentis huius mensis martii, coram Sanctissimo Domino nostro celebrata sunt, propositum per Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, causae Relatorem, dubio : *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum*, tuto *procedi possit ad sollemnem venerabilis Servae Dei, sororis Annae a S. Bartholomaeo Beatificationem?* omnes, qui aderant, cum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores, *tuto* fieri posse unanimi suffragio responderunt. Beatissimus vero Pater patefacere etsi non praetermiserit *sollemnem diem exspectare proximum, quo Beatorum nomen cultumque fidelissimae huic sanctae Theresiae comiti attribuere licebit ; ob eamque rem pergrate* Sibi contingere *quod novam apud Deum deprecatricem, tam nobili auctam titulo et* Sibi *et christiano populo addere possit ;* attamen, divinae sapientiae praesidium et lumen impensius exoraturus, decretoriam Sententiam Sibi adhuc differendam duxit.

Hodierna autem die Dominica Passionis, religiosissime litato eucharistico sacrificio, ad Vaticanas Aedes advocari voluit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Pro-Praefectum causaeque Relatorem, una cum

R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, iisque astantibus solemniter edixit : *Tuto procedi posse ad sollemnem venerabilis Dei Servae sororis Annae a S. Bartholomaeo Beatificationem.*

Hoc Decretum in vulgus edi, in acta sacrae rituum Congregationis inseri litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis sollemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis expediri iussit, VIII Calendas apriles anno MCMXVII.

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

Hoc decretum plene exscripsimus quia scitu digna continet quod ad proceduram de beatificatione Servorum Dei.

---

155. — *DECRETUM 25 MART. 1917*

Declarans constare de virtutibus ven. S. D. Ios. Pignatelli, sac. prof. e S. I. (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 184).

Beatissimus Pater agnitis exceptisque suffragiis, Coetum dimisit auspicatissimus hisce verbis : « Vehementer delectamur quod tam multum « operae ac studii adhibitum sit illustrandis virtutibus gestisque viri « praestantissimi, cum quo tot cives, tot Instituta, totque nationes neces- « situdine summa devinciuntur. Scilicet, in primis patriciorum genus, « unde ortum ille habuit ; plebeium deinde, in quo instituendo sedulam « curam insumpsit ; Societas Iesu, cuius utilitati inter laeta ac tristia « prospicere non destitit, atque Ecclesia Christi universa cui diligens « administer inserviit : Hispaniarum etiam populi quorum in sinu natus « est et ingenue educatus, nec non Itali, quorum terras peragravit « animosque sanctimonia et splendore vitae illustravit ; Romaque prae « ceteris, in qua latissime apostolatus eius manavit et ubi sanctissimo « fine quievit. Fuit quidem Venerabilis Ioseph Mariae Pignatelli indesi- « nenti motu agitata vita ; ita tamen ut semper et ubique studio divinae « gloriae animarumque servandarum ducta esse videretur. Nec decipi « arbitramur eum qui divino consilio praestitutum fuisse putet, ut inclitus « Dei Servus aetate hac nostra super candelabro collocaretur, qua et « clerici, et sacerdotes et religiosi sodales, tam ingenti numero, e consen- « taneo atque ordinatissimo vitae genere seminarii, presbyterii, monasterii « abrepti pelluntur ; ex omni denique ordine quam plurimi in rerum « publicarum motus iactantur : eo nimirum divino consilio ut, Venerabilis « exemplo, cuius — etiam longe a sacrae conversationis saeptis in ipsisque « saeculi periculis — vita fuit virtutum omnium lumine illustris, addiscant « omnes semper et ubique eam morum custodiendam esse integritatem, « quae sua cuique vocatione praescribitur, licet cotidiano familiae, « seminarii, claustri desierit fulciri praesidio ».

A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

DECRETA SUMMATIM RELATA

156. – S. CONGR. RITUUM

A. *Causa beatificationis et canonizationis.*

Die 9 iun. 1914, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae Servae Dei Sororis Teresiae a Puero Iesu, monialis Ordinis Carmelitarum excalceatarum in monasterio Lexoviensi (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 380). *Introductio causae.*

B. *Conceditur rochetti privilegium parochis Urbis* (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 708).

Die 11 nov. 1914, concessus est parochis Urbis, sub quibusdam condicionibus, usus rochetti et palmatoriae. *Privilegium rochetti.*

C. *Declaratur rochetti privilegium parochis Urbis concessum* (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 48).

Die 23 dec. 1914, fusius declaratum est privilegium rochetti parochis Urbis concessum. *Privilegium rochetti.*

D. *Causae beatificationis et canonizationis*

Die 23 dec. 1914, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae Servae Dei Ludovicae de Montaignac de Chauvence, fundatricis Piae Unionis Oblatarum a Sacro Corde Iesu (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 49). *Beatificatio et canonizatio.*

Die 12 febr. 1915, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae 257 Servorum Dei qui in Hibernia saec. 16 et 17 mortem pro Christo oppetiere. Inter hos numerantur 14 episcopi, dein sacerdotes cleri saecularis, religiosi ex Ordine Praemonstratensium, Cisterciensium, Praedicatorum, Franciscanorum, Augustiniensium, Carmelitarum, SS. Trinitatis et Societatis Iesu ; insuper non nulli laici et sex mulieres (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 125).

Die 14 apr. 1915, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae Servi Dei Caroli Albini e congregatione Oblatorum B. V. M. Immaculatae (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 214).

Die 12 maii 1915, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae seu declarationis martyrii Servi Dei Der Gomidas Keumurgian, parochi Armeni, occisi 5 nov. 1707 (A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 266). *Causa beatificationis.*

E. *Causa authenticitatis exuviarum.*

Die 8 iun. 1915, in causa Mediolanen., S. Congr. Rituum respondit reliquias S. Victoris et S. Satyri quae Mediolani in basilica S. Victoris ad Corpus asservantur esse authenticas ac proin in earum veneratione nihil esse innovandum ; mentem autem esse ut in basilica Ambrosiana *Identitas exuviarum.*

amoveantur a publica veneratione quae SS. Victori et Satyro pariter tribuuntur (A. A. S. 21 iun. 1915, 7, 290).

F. *Decretum fertur de virtutibus ven. servi Dei Ioa. B. de Burgundia* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 13).

Decretum de virtutibus servi Dei.

In coetu d. 9 ian. 1916, S. Congr. decrevit constare de gradu heroico virtutum venerabilis Servi Dei Ioa. Bapt. a Burgandia, sacerd. professi O. F. M.

G. *Introducitur causa servi Dei Ioa. B. Stoeger, Congr. SS. Red.* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 16).

Introductio causae.

R. P. d. 22 dec. 1915, instituit commissionem introductionis causae servi Dei Ioa. B. Stoeger, laici professi Congr. SS. Redemptoris.

H. *Introducitur causa martyrii servorum Dei I. M. Du Lau, Fr. I. de la Rochefoucauld, Petr. Lud. de la Rochefoucauld et Sociorum* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 67).

Decretum beatificationis.

Die 26 ian. 1916. R. P. signavit commissionem introductionis causae declarationis martyrii 213 servorum Dei, in seditioso tumultu Galliae saec. XVIII labente interemptorum, inter quos dignitate eminent Ioa. M. Du Lau, archiep. Arelatensis, Fr. Ios. de la Rochefoucauld, ep. Bellovacensis, Petr. Lud. de la Rochefoucauld, ep. Santonensis.

I. *Introducitur causa servae Dei Aloisiae Borgiotti* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 154).

Decretum beatificationis.

Ex voto S. C., Rituum, 11 apr. 1916, S. Pontifex d. 12 apr. signavit commissionem introductionis causae servae Dei Aloisiae Borgiotti, confundatricis Sororum a Iesu Nazareno, quae d. 23 febr. 1873 e vita cessit.

K. *Conceditur Bavariae festum B. M. V. patronae Bavariae* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 181).

Titulus et festum B. M. V. conceditur.

Decreto S. C. Rituum, 26 apr. 1916, ipso Rege Bavariae petente, R. Pontifex B. M. Virginem totius Bavariae Regni principalem apud Deum Patronam declaravit et constituit : concessitque ut festum B. M. V. titulo *Patronae Bavariae*, d. 15 maii in Bavaria celebraretur quotannis sub ritu dupl. I cl. cum Octava.

L. *Instituitur Commissio introductionis causae plurium servarum Dei* (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 223).

Introductio causae.

D. 14 iun. 1916, R. P. dignatus est signare commissionem introductionis causae beatificationis seu declarationis martyrii Sororum Mar. a S. Henrico, Mariae Rosae et triginta duarum sociarum e variis Ordinibus ac Congregationibus, mense iulio 1794, Arausione interemptarum.

M. *Fertur decretum de miraculis ven. S. D. Ios. Ben. Cottolengo* (A. A. S. 1916, 8, 321).

Decretum de miraculis.

Decreto 13 aug. 1916, S. C. Rituum declaravit constare de duobus miraculis servi D. Ios. Ben. Cottolengo, fundatoris Instituti Taurinensis Parvae domus a divina Providentia.

N. *Causa beatificationis non nullorum martyrum S. I. introducitur* (A. A. S., 5 oct. 1916, 8, 359).

Introductio causae.

Die 9 aug. 1916, S. P. signare dignatus est commissionem introductionis causae martyrii servorum Dei Ioa. de Brébœuf, Gabr. Lalemant, Ant. Daniel, Car. Garnier, Nat. Chabanel, Is. Iogues, Ren. Goupil et Ioa. de La Lande e Soc. Iesu, qui saec. XVII, variis occasionibus in Canadensi dicione a barbaris fuerunt interempti.

O. *Declaratur procedi posse ad sollemnem beatificationem Ven. S. D. Ios. Ben. Cottolengo* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 24).

Decretum beatificationis.

Decreto 10 dec. 1916, S. Rit. Congr., a S. Pontifice iussa, renuntiat a S. P. declaratum tuto procedi posse ad sollemnem beatificationem Ven. S. D. Ios. Ben. Cottolengo, fundatoris Instituti taurinensis Parvae domus a divina Providentia.

P. *Decretum fertur de gradu heroico virtutum V. S. D. Michaëlis Garicoits* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 26).

Decretum de virtutibus.

Decreto S Rit. C. 10 dec. 1916, S. P. declaravit constare de gradu heroico virtutum ven S. D. Michaëlis Garicoits, sacerdotis fundatoris Congr. Presbyterorum a SS. Corde Iesu, vulgo *de Betharram*.

Q. *Introducitur causa S. D. Mar. Magd. de Bengy* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 29).

Introductio causae.

SS. D. ratum habens 13 dec. 1916 rescriptum *S Rit. Congr.* 12 dec. 1916, signavit commissionem introductionis causae S. D. Mar. Magd. de Bengy, vice-comitissae de Bonnault-d'Houet, fundatricis Sororum fidelium Sociarum Iesu.

R. *Introducitur causa S. D. Margar. Rutan, e Soc. Puellarum Caritatis S. Vinc. a Paulo* (A. A. S. 1 mart 1917, 9, 136).

Introductio causae.

In causa Aturen. et Aquen. *S Rit. Congr.* die 19 ian. 1917 censuit signandam esse commissionem introductionis causae beatificationis seu declarat. martyrii S. D. Margaritae Rutan, e sororibus puellarum caritatis S. Vincentii a Paulo, in odium fidei, uti fertur, interemptae in Gallia, 9 apr. 1794. Quod Sanctissimus perfecit die 24 ian.

S. *Introducitur causa S. D. fr. Andreae Philumeni Garcia Acosta, laici oblati, O. F. M.* (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 277).

Introductio causae.

Decreto *S. Rit. Congr.* 25 apr. 1917, constat a R^mis Patribus die 24 april. 1917 responsum esse signandam esse commissionem introductionis S. D. Francisci Andreae Philumeni Garcia Acosta, laici oblati Ordinis Minorum (causa S. Iacobi de Chile), si SS^o placuerit, et die 25 april. commissionem signatam esse.

S. CONGR. DE SACRAMENTIS

157. — *DECRETUM 11 FEBR. 1915*

De sacra communione et de celebratione missae in castris (A. A. S. 27 febr. 1915, 7, 97).

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, bono animarum consulere cupiens, attentis extraordinariis praesentis belli circumstantiis, iisque perdurantibus, de speciali auctoritate SSmi Domini nostri Benedicti Pp. XV, quae sequuntur declarat et statuit :

De communione per modum Viatici.

1) Milites ad proelium vocatos *(i soldati sul fronte)* admitti posse, *servatis servandis*, ad S. Mensam Eucharisticam per modum Viatici.

De celebratione missae a sacerdotibus « infirmariis » aut arma gerentibus.

2) Sacerdotes militiae ascriptos qui militibus sauciis infirmisve deferendis vel curandis destinati sunt (vulgo *lecticarios* vel *infirmarios*) si in ecclesiis missam celebrare nequeant, in quocumque loco, decenti tamen et tuto, et etiam sub dio, Sacrum litare posse, remoto quovis irreverentiae periculo : eos vero qui armis dimicant, missam eodem modo, iisdemque sub condicionibus celebrare posse, at Dominicis tantum et diebus festis de praecepto, dummodo omnes praedicti sacerdotes nullo alio canonico impedimento irretiti sint.

Clausula.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (11 febr. 1915).

Datum Romae, ex Secretaria sacrae Congregationis, die 11 februarii 1915.

PHILIPPUS Card. GIUSTINI, *Praefectus.*
Aloisius Capotosti, Ep. Therm., Secretarius

ANNOTATIONES

Cum ambitum et rectum usum harum concessionum ii tantum plene percipiant qui in exercitu ipsi vixerunt, in proponendis commentariis nitemur sententiis in libro saepe laudato D. Temmerman, F. X. « Pouvoirs, etc. »

Ex fine et verbis, decretum sic videtur declarandum :

1. *Milites* sunt non tantum illi qui armis dimicant, sed omnes illi qui exercitui quovis modo ascribuntur, ut sunt medici, infirmarii clerici vel laici, cappellani militum.

2. *Ad proelium vocati.* Ex ipsa authentica versione (i soldati sul fronte) agitur de iis omnibus et solis qui hostium invasionibus vel tormentorum bellicorum ictibus actu exponuntur vel subito in aciem vocari possunt, non autem de illis qui procul ab omni periculo quiescentes, lato tamen sensu « soldati sul fronte » habentur. Dubium ex sola distantia ab acie dirimi nequit. Fit enim ut a remoto loco milites advocentur, ita ut ex raedis exeuntes statim suis auxilium ad repellendum vel invadendum hostem praestare debeant. Qui sic asciscuntur « ad proelium vocantur » quamquam illo momento non stricte « sul fronte » dicendi sunt.

3. Concessio facta necessitatem *ipsius viatici* recipiendi non spectat, sed facultatem communicandi « per modum viatici » i. e. etiamsi quis iam non est ieiunus.

Ideoque pro mensura periculi adhibenda erit formula consueta vel formula viatici porrigendi.

Iteratis vicibus posse sic recipi s. communionem omnes concedent, cum et viaticum liceat et bonum sit pluries in gravi periculo porrigere.

4. Quamquam omnibus militibus, de quibus supra, ius conceditur ita accedendi ad sacram mensam, rectus usus facultatis, quo reverentia erga tantum sacramentum conservetur et foveatur, paucis insinuatur verbis, sc. « admitti posse, servatis servandis ».

Quotiens ergo periculum poterit praevideri, cappellanis curandum est ut celebratio missae vel s. communionis distributio hac hora fiant qua milites ieiuni ad s. mensam accedere possint.

Immo recte admonet D. Temmerman, (l. c. p. 113) ut si qui possint, fracto ieiunio tantum per modum potus, communicare, quamquam ultra se extendit supra memorata facultas, consilium iis detur abstinendi, etiam cum aliquo incommodo, a cibo solido sumendo ante s. communionem. Cf. Canon. Contemp. 1915, pp. 74 ss. et « Prêtres soldats de France, 1915, n° 5, p. 14. » I. C., s. I.

---

158. — *RESPONSUM 22 MART. 1915*

Circa Ordinariorum facultatem permittendi celebrationem missae per modum actus (A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 147).

In generali eminentissimorum ac reverendissimorum huius S. Congregationis Patrum Cardinalium conventu die 2) mensis martii 1915 habito, sequentia dubia super Ordinariorum facultate permittendi celebrationem missae per modum actus (« Acta Apostolicae Sedis » ; *Romana et aliarum. Iurium.* Vol. IV, p. 725) proposita sunt :

Dubia.

I. An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint per modum actus celebrationem missae, domi, quocumque die.

II. An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint per modum actus celebrationem missae, domi, eorum favore qui domestici oratorii indulto gaudent, etiam iis diebus qui in obtento indulto excepti sunt.

Responsa.

Et eminentissimi ac reverendissimi Patres, universis mature perpensis, respondendum censuerunt :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, dummodo iustae et rationabiles causae aliae sint ab iis, ob quas concessum fuit indultum Oratorii domestici.

Quae responsa Ssmus Dominus noster Benedictus Pp. XV in audientia habita ab infra scripto Secretario die 22 martii 1915 rata habere et confirmare dignatus est.

Dies (22 mart. 1915). Datum Romae, e Secretaria huius S. Congregationis, die 22 martii 1915.

Philippus Card. Giustini, *Praefectus.*
Aloisius Capotosti, Ep. Therm., Secretarius.

Annotationes

1. Cum *dies sollemniores* in Indultis oratorii privati domestici generatim excludantur, dubitare poterant num in usu facultatis responsis 22-23 dec. 1912 concessae excluderentur (Period. VII, p. 65).

Et amplum facultatis usum, quem iam P. Salsmans S. I. in his commentariis (Period. l. c.) licitum censebat, omnino certum facit hoc responsum.

2. Quamquam finis facultatis Episcopis concessae ad illos, qui privilegio domestici oratorii gaudent, vix videtur spectare, eius tamen usum non vult S. Sedes restringere. Potest enim fieri ut iustae causae suadeant etiam sollemniori die, per modum actus, concessionem celebrandi sacrum in oratorio domestico. Unica condicio apponitur, sc. ut causa alia sit ab iis ob quas concessum est privilegium, v. g. ut domo iam exire nequeat persona cui privilegium, non ob male affectam valetudinem, sed ob eius in Ecclesiam merita concessum est.

3. In codice facultas sic proponitur, « Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus » (c. 822).

I. C., s. i.

---

159. — *RESCRIPTUM 22 IUN. 1915*

Facultas asservandi Ss. Eucharistiam in stativis castrorum, valetudinariis ac in bellicis navibus

(A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 329.)

Facultatis concessae ambitus et condiciones. Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Illmi ac Rmi Ordinarii Castrensis in Italia precibus benigne annuens, vigore facultatum a Ssmo D. N. Benedicto Papa XV tributarum, eidem committit ut durante praesenti bello, pro suo arbitrio et conscientia veniam faciat qua, tum in stativis castrorum valetudinariis, tum in bellicis navibus ubi pro classiariis administer a sacris adest, Ss. Eucharistiae Sacramentum asservari possit, dummodo altare, in quo ciborium collocabitur, sit decenter instructum et supellectilibus sufficienter praeditum; ibidem sacrosanctum missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur, eiusdem ciborii clavis caute

custodiatur; lampas ante Ss. Sacramentum collucescat; sacrae species frequenter iuxta rubricas renoventur, aliisque servatis cautelis ipsi Ordinario Castrensi benevisis pro diversitate circumstantiarum et locorum, ad tutamen et decorem Ss. Eucharistiae. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 iunii 1915. *Dies (22 iun. 1915).*

PH. Card. GIUSTINI, *Praefectus.*
Aloisius Capotosti, Ep. Therm., Secretarius.

ANNOTATIONES

Animadvertant facultatem asservandi Ss^mum extensam ad bellicas naves. Haud scimus an talis concessio umquam facta sit. Procul dubio illae, ut maximae nostri temporis naves, magnis etiam tempestatibus nullo probabili periculo obiciuntur. Quodsi ad praelium incedant, cappellanus curabit ut tempestive sacrae species consumantur ne cui profanationis periculo exponantur. Condiciones appositae eae sunt quae exiguntur quando conceditur facultas servandi Ss. Sacramentum in oratorio communitatis religiosae. I. C., S. I.

---

160. — *RESPONSUM 31 IAN. 1916*

De clandestinitate ob leges civiles orta

(A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 36).

Cum in non nullis regionibus, Parochi a civili lege graviter prohibeantur quominus matrimonio assistant, nisi praemisso civili conubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat; quidam horum locorum Antistites a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum efflagitarunt: « An et quomodo his in adiunctis providendum sit ». *Ubi lege civili assistentia sacerdotis competentis impeditur,*

Eadem Sacra Congregatio, in plenario conventu habito die 28 curr. ianuarii, re mature perpensa, respondendum censuit: « Recurratur in « singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos « dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo « ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et licite « contrahatur ». *recurratur ad S. Sedem, excepto casu periculi mortis.*

Expositam vero E^morum Patrum declarationem SS^mus D^nus noster Benedictus Pp. XV, in audientia concessa die 30 eiusdem mensis infra scripto huius Sacrae Congregationis Secretario, ratam habere et confirmare dignatus est, ac publici iuris fieri mandavit. *Confirmatio responsi.*

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 31 ianuarii 1916. *Dies (31 ian. 1916).*

PHILIPPUS Card. GIUSTINI, *Praefectus.*
Aloisius Capotosti, Ep. Thermen., Secretarius.

Annotationes

Variis modis possunt lege civili impediri personae quominus matrimonium ineant, v. g. quod lex a sponsa certam bonorum summam requirat, ut fit in Belgio pro militum ducibus, vel ob defectum consensus parentum in iis qui certam aetatem nondum sunt adepti. Iam vero accidit ut tales personae caeco ductae amore concubinatum alii honesto matrimonio praeferant. Quodsi facti paenitentes vel etiam ne peccaminosam ineant vitam in faciem Ecclesiae matrimonium celebrare velint, parochus vel alius sacerdos matrimonio assistere non potest quin poenis legis civilis subiaceat. (Cf. v. g. Cod. gall. poen. a. 199). Hunc perplexum casum quidam solvere nitebantur applicatione art. VIII decreti *Ne temere* : « Si contingat ut in aliqua regione parochus locive ordinarius, aut sacerdos ab iis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat haberi non possit, eaque rerum condicio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ». Dubitari tamen poterat num intentio legislatoris huius articuli talem interpretationem permitteret, praesertim cum prohibitiones legis civilis, etsi de matrimonio christiano invalide latae, maxime opportunae esse possint, quarum violationi sacerdotem favere omnino dedeceat. Prudenter ergo censuit S. Congr. in singulis casibus esse recurrendum. Cum tamen in mortis periculo saluti animarum statim sit consulendum, nec tamen sacerdos assistens matrimonio poenis legis civilis sit obiciendus, huic urgenti casui facultate speciali provisum est. Notandum est quasdam leges civiles ab omni poena immunem declarare sacerdotem, qui sponsis, quorum alter in periculo mortis constituitur, omissa coram ministro civili celebratione, benedictionem, ut aiunt, matrimonialem confert. (Cod. belg.) [1]. I. C.; s. I.

---

[1] Can. 1098 Codicis iur. can. his casibus sine speciali facultate satis esse cautum censemus; dicit enim : « Si haberi vel *adiri* nequeat *sine gravi incommodo* parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam Can. 1095, 1096 : 1° in mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo *praevideatur* eam rerum condicionem esse per mensem duraturam; »....

Patet non licere sponsis coram solis testibus matrimonium inire quin parochi assistentiam petiverint, ita ut episcopus de casu monitus, abusus impedire queat prohibitione temporali matrimonii celebrandi. Quae fusius explicabuntur sive in Commentariis Codicis, sive in sequenti tomo horum Periodicorum.

161. — *RESCRIPTUM 3 APR. 1916*

De clericis in sacris qui hoc bello facti sunt irregulares

(A. A. S. 5 maii 1916, 8, 153).

Ab hac Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum quaesitum est, quomodo locorum Ordinarii se gerere debeant :

Dubia.

1) Si qui clerici, sacris vel presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus ordinibus initiati, praesenti bello, contracta ex defectu corporis irregularitate, excedant, et ut ab hac irregularitate ad susceptos exercendos ordines, vel etiam ad superiores recipiendos dispensentur, postulent ;

2) Si qui maioribus ordinibus nondum initiati praesenti bello, pariter contracta ex defectu corporis irregularitate, excedant, et ut ab hac irregularitate ad sacros recipiendos ordines dispensentur, postulent.

Responsa.

Haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, et facta de universis Ssmo Dno Nostro Benedicto PP. XV relatione, respondit :

Ad I. Recurratur in singulis casibus.

Ad II. Non expedire ut promoveantur.

Dies (3 apr. 1916).

Datum Romae, ex aedibus huius S. Congregationis, die 3 aprilis 1916.

Philippus Card. Giustini, *Praefectus.*
Aloisius Capotosti, Ep. Thermen., Secretarius.

Annotationes

In suo responso S. Congregatio sedulo distinguit inter clericos qui iam sint in sacris et illos qui maioribus ordinibus nondum sint initiati. De his etsi respondetur « non expedire ut promoveantur », non excluduntur supplices preces, si peculiaribus motivis nitantur. Cum enim ante bellum interdum, etsi rarius, ad ordines recipiendos super irregularitate ex defectu corporis dispensatio concederetur, id post bellum facilius potius quam difficilius fore autumamus. Hoc responso non tolli privilegia quibus ordinarii quidam gaudebant patet : nulla enim clausula huiusmodi privilegia revocantur. Tandem monemus iam *S. Congr. Consistorialem* decr. *Redeuntibus* 25 oct. 1918 omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultatem fecisse « dispensandi ab irregularitate ex defectu corporis cum suis sacerdotibus e militari servitio redeuntibus:...» condicionibus quibusdam appositis, quas suo loco proponemus. I. C., s. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

162. — *S. CONGR. DE SACRAMENTIS*

A. *Deciduntur duo casus praesumptae mortis coniugis* (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 40).

Praesumpta mors coniugis.

Die 28 nov. et 18 dec. 1914, S. Congr. de Sacramentis duos solvit casus praesumptae mortis coniugis, oratrici permittendo transitum ad alteras nuptias.

In priore casu maritus, vir pravis deditus moribus, per 46 annos nullum de se nuntium dederat: eius filius a persona, uti videbatur, fide digna audiverat patrem ad balneum exiisse nec amplius visum esse: vestes autem eius in ponte derelictas esse. — In altero casu praeter longam absentiam et inutiles indagationes, argumentum desumptum est ex uno teste de visu et, quattuor de auditu, plures de fama maritum paulo post recessum ab uxore, in regione longinqua, correptum peste tum ibi grassante esse vita defunctum. I. C., s. r.

B. *Dirimitur causa praesumptae mortis coniugis* (A. A. S. 21 maii 1915, 7, 235).

Praesumpta mors coniugis.

Die 29 apr. 1915, S. Congr. de Sacr. permisit transitum ad alteras nuptias, admittens in casu moralem haberi certitudinem mortis uxoris — uxor enim, quae nunc 72 annorum esset, tum vino tum libidini indulgebat, quae mulieribus magis quam viris nocere pro comperto est.

In summam praeterea inopiam devenerat. Tandem a 38 annis disparuit et inquisitiones publicae et privatae ab a° 1882 nullo successu factae sunt. I. C., s. r.

C. *Solvitur casus de Sacra Ordinatione* (A. A. S. 14 aug 1915, 7, 411).

S. Ordinatio dubia.

Ordinarius dioecesis X. sequentem casum S. Congregationi exposuit:

Caius dubitat de validitate ordinationis suae. Vehementissime timebat ne sacrilege ordinem reciperet, et ex altera parte ne intentionem suam in actu ordinationis mutaret: enixe enim volebat presbyter ordinari. — Initio sacrae caerimoniae, intentionem habuit: Volo ordinari sacerdos, sed non prius nisi actu contritionis elicito. Impositione manuum ab episcopo peracta, advertit se actum contritionis non elicuisse. — Quapropter putans se huc usque invalide ordinatum, sibi proposuit se ceteris ritibus intentione interna non subicere. Post manuum unctionem, sacerdoti qui ei manus ligabat, voce submissa ait: « Intentionem meam revocavi ». Qui sacerdos scrupulositatem alumni noscens, eum non nullis verbis adhortatus est eo successu, ut ceteris ritibus se subiceret.

S. Congr. respondit: Orator acquiescat. — Rationes potissimum afferuntur:

1° Quando imaginatio perturbatur, homo scrupulosus habet pro vera determinatione, pro vera retractatione voluntatis id quod reapse non est

nisi imaginaria determinatio vel retractatio : quae numquam profecto vi pollebit destruendi intentionem adeo seriam, qualis ea fuit de qua in casu. Nimio terrore sacrilegii admittendi perturbabatur phantasia Caii, qui *deliberatae voluntatis* iam capax non erat.

2° Habebatur firma intentio praevalens « recipiendi ordinationem sine sacrilegio ». Intentio autem se externe tantum subiciendi ordinationi includeret sacrilegium maius eo quod misellus scrupulosus vitare volebat : unde non censenda est destruere priorem intentionem. Cfr. de intentione praevalente in matrimonio.

3° Quod ad ritus unctionem manuum subsequentes, insuper advertendum est Caium cum successu confortatum fuisse a sacerdote ad ordinationem recipiendam.

In integro textu, digno sane qui legatur, melius fortasse perspicientur rationes solutionis, quae non nullis mirationem factura videatur.

D. *Declaratur rectorem ecclesiae S. illicite astitisse matrimonio sponsae, quae in eius parcecia menstruam commorationem amiserat* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 64).

Assistentia matrimonio.

Curia dioecesana illicite matrimonio astitisse parochum ecclesiae S. censebat quia sponsa in eiusdem paroecia post suum ad catholicam religionem reditum per mensem non manserat. Negat vero S. Congr. decreto *Ne temere* requiri ut menstrua commoratio a die conversionis computetur : solum enim *factum* commorationis in lege commemoratur. At sponsa iam in paroecia S. non habebat menstruam commorationem quia, postquam in illa unum mensem commorata est, per tres hebdomadas domum rediit ; dein statim in ecclesia S. matrimonium celebravit. Requiritur autem ut menstrua commoratio, moraliter continua, matrimonium statim praecedat.

E. *Conceditur transitus ad novas nuptias ex praesumpta morte prioris coniugis* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 151).

Praesumpta mors coniugis.

Etsi nullus testis ocularis aut auricularis mortis viri T. R. exstat, ex validissimis praesumptionibus mors eius tamquam certa admittitur. A 25 nempe amplius annis nullum de se nuntium dedit vir, qui uxorem et liberos sincere diligebat. Domicilium omni supellectili instructum reliquit satis magnum initurus iter homo brachii infirmitate laborans et vino liquoribusque deditus. Omnes publicae et privatae de ipso inquisitiones in cassum cesserunt ita ut infortunio, cuius nullum potuit dare nuntium; periisse censendus sit.

S. CONGR. STUDIORUM

163. — *RESPONSUM, DE SSi MANDATO, 27 IUL. 1914*

Propositiones philosophiae probantur

(A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 383.)

Occasio responsi.

Postquam sanctissimus Dominus noster Pius Papa X Motu Proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX iunii MCMXIV, salubriter praescripsit, ut in omnibus philosophiae scholis principia et maiora Thomae Aquinatis pronuntiata sancte teneantur, non nulli diversorum Institutorum magistri huic sacrae Studiorum Congregationi theses aliquas proposuerunt examinandas, quas ipsi, tamquam ad praecipua sancti Praeceptoris principia in re praesertim metaphysica exactas, tradere et propugnare consueverunt.

Theses iudicantur continere principia et pronuntiata maiora S. Thomae.

Sacra haec Congregatio, supra dictis thesibus rite examinatis et sanctissimo Domino subiectis, de eiusdem Sanctitatis Suae mandato, respondet, eas plane continere sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora.

Theses

Sunt autem haec :

De potentia et actu.

I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quicquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem non nisi illimitatus et unicus exsistit ; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

De actu divino et creato.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coartatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

De accidentibus.

V. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus : ea vero, nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intellegi non posset.

De relatione.

VI. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subiecto.

De creaturae spiritualis

VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex : essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

et corporalis compositione.

VIII. Creatura vero corporalis est quod ad ipsam essentiam composita potentia et actu ; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in praedicamento nisi reductive ut principium substantiale.

De quanto.

X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur,

non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

De individuatione.

XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est, numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

De ubicatione.

XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

De viventibus et de anima.

XIII. Corpora dividuntur bifariam : quaedam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma substantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

XV. Contra, per se subsistit anima humana, quae, cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem ; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

De facultatibus animae humanae.

XVII. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant : priores, ad quas sensus pertinet, in composito subiectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

De intellectu eiusque obiecto.

XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis. Adaequatum intellectionis obiectum est communiter ipsum ens ; proprium vero intellectus humani in praesenti statu unionis, quidditatibus abstractis a condicionibus materialibus continetur.

De intellectu humano.

XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intellegibile in actu, praeter intellectum formaliter intellegentem, admittenda est in anima virtus activa, quae species intellegibiles a phantasmatibus abstrahat.

XX. Per has species directe universalia cognoscimus, singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata ; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

De voluntate.

XXI. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tamquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electio iudicium practicum ultimum ; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

De demonstratione Dei.

XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta

sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam : videlicet, a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem ; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam ; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium ; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intellegendi, plus et minus sunt, vivunt, intellegunt, ad eum qui est maxime intellegens, maxime vivens, maxime ens ; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit, et dirigit ad finem.

De metaphysica Dei ratione.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius *esse* identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

De prima causa.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui *esse*, a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum non nisi per creationem a Deo procedere potuisse ; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem ; nullum denique creatum agens in esse cuiuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa.

Dies (27 iul. 1914).

Datum Romae, die 27 iulii 1914.

B. Card. Lorenzelli, *Praefectus.*
Ascensus Dandini, a Secretis.

Annotatio

Observes decretum Motu Proprio 29 iun. 1914 datum pro sola Italia latum esse, ita ut, si stricte loquamur, vim minus universalem habeat quam ex huius decreti exordio dixeris.

S. CONGR. DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

164. — *RESPONSUM 7 MART. 1916*

De usu Summae S. Thomae in scholis theologicis et de 24 thesibus ab hac S. C. probatis (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 156).

Occasio dubiorum.

Cum Summus Pontifex Pius X, fel. rec., Motu Proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX iunii MCMXIV, praescripserit ut in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent ex Apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in Sacra Theologia conferendi, Summa Theologica Sancti Thomae tamquam textus habeatur, et cum Sacra Studiorum Congregatio viginti quattuor theses philosophicas, sibi ad examen propositas, germanam S. Thomae doctrinam continere, die XXIX iulii eiusdem anni, declaraverit, sequentia dubia ad hanc S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus delata sunt :

Dubia:

I. de usu Summae S. Thomae in scholis.

I. Utrum Summa Theologica S. Thomae habenda sit in scholis de quibus supra, uti textus consultationis, vel uti textus praelectionum, saltem quoad partem scholasticam ?

II. de vi thesium quas S. C. approbavit.

II. Utrum omnes viginti quattuor theses philosophicae, a Sacra Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant, et, in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis Catholicis tenendae ?

Responsa.

His dubiis Emi ac Rmi DD. Cardinales huius S. Congregationis, in plenario coetu, habito diebus XXII et XXIV, mense februario huius anni, ita respondendum censuerunt :

I. Summa theol. sit textus praelectionum.

Ad I. Summa Theologica S. Thomae habenda est uti textus praelectionum quoad partem scholasticam quaestionum ; ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat. habeatur prae manibus et explicetur Summa Theologica quoad partem scholasticam.

II. Theses sunt « tutae normae ».

Ad II. Omnes illae viginti quattuor theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt, eaeque proponantur veluti tutae normae directivae.

Die XXV, eodem mense eodemque anno, SSmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV, in audientia infra scripto Secretario impertita sententiam Emorum Patrum suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit.

Dies (7 mart. 1916).

Datum Romae, die VII martii, in ipso festo S. Thomae, an. MCMXVI.

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*
Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., Secretarius.

ANNOTATIONES

Cum responsum ad 1m dubium motus proprii « *Doctoris angelici* » vim interpretetur, eius tamen obligationem non augeat, ad scholas Italiae et insularum adiacentium pertinet. (Cf. annot. de motu proprio, supra, p. 286).

Notatu digna est mutatio in responso ad 2m dubium allata. Dum enim rogant num theses illae philosophicae debeant imponi, respondetur illas « germanam S. Thomae doctrinam exprimere et esse proponendas veluti tutas normas directivas. » Quae verba suaviorem spiritum spirant, quo dirigendos moderatores et professores scholarum Emm. Patres censere videntur. Cur enim strictius imponas formulas quarum vim viri minus dociles multis modis effugere poterunt, quin de eorum formali inoboedientia facile constare possit ? I. C., S. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

165. — *S. CONGR. STUDIORUM*

A. Die 12 mart. 1915, S. Congr. Studiorum evulgavit Academiae Romanae S. Thomae Aquin. Statuta, iussu Benedicti PP. XV retractata (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 128).

B. *Statuuntur leges academiae romanae S. Th. Aquinatis* (A. A. S. 5 oct. 1916, 8, 365).

Leges academiae romanae S. Th. Aquin.

In audientia d. 11 febr. 1916, R. P. approbavit et confirmavit leges Academiae romanae S Th. Aquinatis. — Haec constat consilio academiae regundae praeposito, quod ex tribus EE. Cardinalibus coalescit, academicis, qui plus 40 numero non erunt, alumnis seu iuvenibus optimae spei qui philosophiae curriculum emensi fuerint. — Finis erit philosophiam S. Thomae promovere disputationibus, praelectionibus, lucubrationibus in vulgum editis. — Alumnis poterit, certis condicionibus, laurea doctoralis in philosophia S. Thomae concedi. Non obstante decr. S. Congr. Studiorum, 23 iul. 1910.

COMMISSIO DE RE BIBLICA

166. — *RESPONSUM 24 IUN. 1914*

De auctore et de modo compositionis epistolae ad Hebraeos (A. A. S. 20 aug 1914, 6, 417).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « De Re Biblica » ita respondendum decrevit.

Quaer. I. Utrum dubiis, quae primis saeculis, ob haereticorum in primis abusum, aliquorum in Occidente animos tenuere circa divinam inspirationem ac Paulinam originem epistolae ad Hebraeos, tanta vis tribuenda sit, ut, attenta perpetua, unanimi ac constanti Orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius Occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus ; perpensis quoque Summorum Pontificum sacrorumque Conciliorum, Tridentini praesertim actis, nec non perpetuo Ecclesiae universalis usu, haesitare liceat, eam non solum inter canonicas, — quod de fide definitum est, — verum etiam inter genuinas Apostoli Pauli epistolas certo recensere ?

Resp. Negative.

Quaer. II. Utrum argumenta, quae desumi solent sive ex insolita nominis Pauli absentia et consueti exordii salutationisque omissione in epistola ad Hebraeos, — sive ex eiusdem linguae graecae puritate, dictionis ac styli elegantia et perfectione, — sive ex modo quo in ea Vetus Testamentum allegatur et ex eo arguitur, — sive ex differentiis quibusdam, quae inter huius ceterarumque Pauli epistolarum doctrinam exsistere praetenduntur, aliquomodo eiusdem Paulinam originem infirmare valeant ; an potius perfecta doctrinae ac sententiarum consensio, admonitionum et exhortationum similitudo, necnon locutionum ac ipsorum verborum concordia, a non nullis quoque acatholicis celebrata, quae inter eam et reliqua Apostoli Gentium scripta observantur, eandem Paulinam originem commonstrent atque confirment ?

Resp. Negative ad primam partem ; affirmative ad alteram.

Quaer. III. Utrum Paulus Apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse qua prostat ?

Resp. Negative, salvo ulteriore Ecclesiae iudicio.

Die autem 24 iunii anni 1914, in audientia infrascripto Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, Ssmus D. N. Pius Pp. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 24 iunii 1914.

Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultor ab Actis.

167. — *RESPONSUM 18 IUN. 1915*

De Parousia seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi in epistolis Sancti Pauli Apostoli

(A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 357).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit :

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de « Parousia », ut aiunt, seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi sermo est, exegetae catholico permissum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilo minus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit ?

Resp. Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri ; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto ; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit ?

Resp. Affirmative.

III. Utrum attenta locutione graeca « ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι »; perpensa quoque expositione Patrum, in primis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam reicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae ut Apostolus se ipsum suosque lectores annumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo ?

Resp. Negative.

Die autem 18 iunii 1915, in audientia infra scripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XV. praedicta responsa rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 18 iunii 1915.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Abb. tit. Montis Blandini, Consultor ab Actis.

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

168. — *DECRETUM 18 DEC. 1914*

De speciali facultate concessa cappellanis militum ad confessiones audiendas (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 712).

Causa decreti. Sacra Paenitentiaria, providere cupiens saluti animarum, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente sanctissimo Domino nostro Benedicto Pp. XV, statuit ea quae sequuntur :

Facultas facta. « Cappellani militum, dum exercitum comitantur, possunt, durante « bello, excipere confessiones sacramentales quorumcumque fidelium ad « se accedentium et in eorum favorem uti facultatibus omnibus sibi pro « foro conscientiae concreditis. Eadem pollent potestate praedicti cappel- « lani militum in captivitate forte detenti in favorem omnium concapti- « vorum. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Clausula. Dies (18 dec. 1914). Datum Romae in sacra Paenitentiaria, die 18 decembris 1914.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI, *Paen. Maior.*
Iosephus Palica, S. P. Secretarius.

---

169. — *RESCRIPTUM 11 MART. 1915*

De sacerdotibus non cappellanis ad exercitum pertinentibus quoad facultatem excipiendi confessiones fidelium durante bello (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 130).

Occasio dubii. Post promulgationem decreti dati die 18 decembris 1914 de cappellanis militum quoad facultatem ad excipiendas sacramentales fidelium confessiones durante bello, propositum est huic S. Paenitentiariae sequens dubium :

Dubium. « An sacerdotes qui quovis titulo ad exercitum pertineant, possint, « durante bello, dum exercitum comitantur, uti facultatibus omnibus, « quibus ex decreto S. Paenitentiariae dato die 18 decembris 1914 fruun- « tur cappellani militum ? ».

Responsum. Eadem vero sacra Paenitentiaria, mature consideratis expositis, benigne sic annuente sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV respondendum esse decrevit :

« Affirmative, dummodo sacerdotes, de quibus agitur, vel a proprio vel « ab alio Ordinario confessiones fidelium excipiendi facultatem antea « acceperint, quae positive revocata non fuerit ».

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (11 mart. 1915) Datum Romae, in sacra Paenitentiaria, die 11 martii 1915.

S. Card. VANNUTELLI, *Maior Paenit.*
I. Palica, S. P. Secretarius.

---

170. — *DECLARATIO 4 DEC. 1915*

De facultatibus fori interni sacerdotibus in exercitu degentibus concessis (A. A. S., 9 dec. 1915, 7, 526).

Controversiae ortae.

S. Paenitentiaria ad dubitationes et controversias solvendas, quae apud non nullos exortae sunt circa facultates ab eodem S. Tribunali, durante hoc bello, concessas decretis diebus 18 decembris anni 1914, et 11 martii huius anni datis, approbante Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Pp. XV, declarat praedictas facultates in illis locis territorii bellici (vulgo *zona di guerra*) tantummodo adhiberi posse, in quibus difficile sit fidelibus pro sacramentali confessione peragenda recurrere ad sacerdotes approbatos a locorum Ordinariis, simulque sacerdotibus ad exercitum pertinentibus eosdem Ordinarios adire ad approbationem obtinendam pro eorundem fidelium confessione recipienda.

Restringitur usus facultatum.

Dies (4 dec. 1915).

Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 4 decembris 1915.

Gul. Card. Van Rossum, *Paen. Maior.*
I. Palica, S. P. Secretarius.

Annotationes

Ardente bello, primo cappellanis militum, mox omnibus sacerdotibus qui ad varios exercitus pertinerent, concessae sunt maximae facultates, quae partim in A. A. S. recensentur. Quas, etsi speramus brevi fore ut non sint in usu, haud inutile erit compendiose explicare.

1. *Cappellani militum* vocantur sacerdotes qui a rei militaris praeside vel a supremis exercitus ducibus, approbante Ordinario castrensi vel propriis Ordinariis, ad curam spiritualem militum suscipiendam nominantur. Qui nullius Ordinarii approbatione designatus esset neque ex praesumpta licentia munere concesso fungeretur, inter cappellanos militum canonice non esset recensendus.

2. « Sacerdotes qui quovis titulo ad exercitum pertinent » ii sunt qui publice convocati (mobilisés) sub potestate militarium ducum constituuntur, cuicumque demum officio ascribantur, etiamsi tabulis tantum conficiendis incumbant.

Facultatibus tamen insuetis non gaudent, nisi ab Ordinario proprio vel ab alio Ordinario ad confessiones audiendas approbationem acceperint, quae non fuerit positive revocata.

Usui igitur harum facultatum non nocet quod approbatio olim accepta decursu temporis esse desierit.

Ordinarii de quibus in hoc responso et aliis decretis agitur, debent esse Ordinarii locorum : illi enim soli approbationem ad fidelium confessiones excipiendas dare possunt. Ceterum hoc constat ex declaratione S. Paenitentiariae d. 5 april. 1916 : « Pro militibus sacerdotibus religiosis, quod ad facultatem audiendi fidelium confessiones (iuxta quod concessum est a

S. Paen. et iuxta decisiones 18 dec. 1914 et 11 mart. 1915) non haberi debent uti Ordinarii eorum Superiores religiosi ». (Cf. TEMMERMAN, F. X. *Pouvoirs accordés par S. S. Benoît XV aux aumôniers militaires belges*. Supplément., p. 20).

3. Facultates conceduntur « durante bello ». Quanquam sensus horum verborum apte potest definiri, ne tamen dubia multa circa iurisdictionem oriantur, probabiliter ipsa S. Sedes responsis suis quaestiones dirimet [1].

4. Facultates cappellanis militum concessae dicuntur « *dum exercitum comitantur* ». Disputatum est ad quid referretur haec potestatis exceptio, ad locum an ad tempus ?

Sane haec verba *locum* designare nequeunt v. g. regionem aciei (étape, zone de guerre). Adhibentur enim etiam ubi facultates ad omnes sacerdotes « qui quovis titulo ad exercitum pertineant » extenduntur (Resp. 11 mart. 1915). Iam vero hi sacerdotes haud raro in locis ab acie remotissimis munere suo funguntur. Tempus ergo illa verba designant.

Quinam vero dicendi sunt « exercitum comitari ? » Illi, ait D. Temmerman. « qui actu munere suo funguntur, nec in commeatu procul a militibus versantur. » (*Pouvoirs*, p. 68). Procul dubio exercitum non comitatur, qui commeatum ad tempus indefinitum accepit. Idemne dices de sacerdote qui, liber a munere, per paucos dies, procul a commilitonibus versatur ?

Affirmative respondet D. Temmerman. Etsi tunc « exercitum comitari » dici possit, finis huius decreti potius requirere videtur, ut tunc tantum cappellani (vel alii sacerdotes) tanta facultate uti possint cum *actu* milites comitantur.

5. Quaenam facultates conceduntur ?

Possunt « excipere confessiones sacramentales » et « uti facultatibus omnibus sibi pro foro conscientiae concreditis ». Facultates quae pro solo « foro conscientiae » conceduntur, pro foro tantum interno valent et in actu confessionis adhiberi debent.

Inter illas facultates recensenda est potestas absolvendi a censuris, dispensandi a votis, ab impedimentis matrimonii, ab irregularitatibus. Ambitus autem facultatum is erit quem approbatio ab Ordinario proprio, castrensi vel loci aut privilegia specialia definierint.

Quid de casibus quos sibi Ordinarii locorum reservaverint ? *Vi harum facultatum*, ab illis poterunt, ni fallimur, absolvere, si nulla huiusmodi restrictione approbatio, quam acceperint, afficiatur.

---

[1] S. C. Consistorialis decr. « Quam atrox », 22 febr. 1919 plures facultates finem habuisse decrevit, inter quas «... 2) absolvendi ab omnibus censuris et casibus reservatis ». Cf. Annotationes ad illud decretum.

6. Quod ad *personas*, decretum 18 dec. 1914, distinguit duos casus : facultatum enim usus conceditur :

a) in favorem omnium tantum concaptivorum, si cappellani militum ipsi in captivitate sint detenti ;

b) secus, in favorem *quorumcumque fidelium* ad cappellanos militum accedentium ut peccata sua confiteantur.

In secundo casu, nemo a favore usus facultatum excluditur. Censemus tamen non derogari decretis de confessionibus Sororum ac Monialium. Ipsae enim peculiari mentione indigent, cum ius earum sit omnino peculiare.

Quamvis amplae sint facultates, non tollitur obligatio petendi licentiam parochi ut cappellanus vel alius sacerdos ad exercitum pertinens, in eius ecclesia confessiones audiat. Quod ad aliorum sacramentorum administrationem, nihil in hoc Decreto decernitur.

7. Cum tamen de extensione harum facultatum lites et forte de eorum usu querelae moverentur, declaratio S. Paenitentiariae d. 4 dec. 1915 lata est quae, quod ad *licitum* usum prioris favoris, non comprehensiva sed restrictiva dicenda est.

Duplicem enim exceptionem apponit, alteram quod ad locum, alteram quod ad personas attinet.

a) Quod ad locum : sacerdotes facultatibus decretis 18 dec. 1914 et 11 mart. 1915 gaudentes, iis uti non poterunt nisi in « locis territorii bellici (vulgo : zona di guerra) ».

Haec loca vario nomine designantur « zône d'opérations, Operationsgebiet, zona di guerra ». Nec illis accensenda est regio quam « étape » vocant. Quae sint fines illius territorii a solis exercituum supremis ducibus definitur.

b) Quod ad personas :

Etiam in locis territorii bellici illorum tantum fidelium audiri poterunt confessiones quibus difficile sit adire sacerdotes ab Ordinario loci approbatos, neque licebit sacerdotibus ad exercitum pertinentibus sine approbatione Ordinarii loci confessiones audire, nisi difficile ipsis fuerit eum ad approbationem obtinendam adire.

Agitur de fidelibus qui ad exercitum non pertinent ; alii enim voce « milites » vel alio verbo designantur.

« Difficultas » requiritur, non impotentia, poteritque esse vel physica, vel moralis, v. g. peculiaris repugnantia quam fidelis quidam erga certum sacerdotem experitur, vel iter molestum ob tempestatem, vires debilitatas, etc.

Benigniorem interpretationem confirmat responsum S. Paen. 14 dec. 1915, quod ad Rectorem periodici libelli « Il prete al campo » missum est. Cf. *Temmerman*, *F. X. Pouvoirs*, p. 74.

Declarationem restrictivam S. Paenitentiariae licitum,

non validum usum facultatum respicere suadent hae rationes.

a) ipsa verba declarationis sc. « S. Paenitentiaria... declarat praedictas facultates... tantummodo adhiberi posse... »

In aliis ergo locis sacerdotes privilegiati his facultatibus gaudent, sed usus restringitur, quia ad finem concessionis obtinendum, scil. ad providendum saluti animarum, omnino non requiritur.

Clarioribus verbis usa esset S. Paenitentiaria ad ipsam validitatem usus tollendam.

b) cum in multis casibus valde incertum sit utrum sit « difficile » necne sive fidelibus alios sacerdotes adire, sive sacerdotibus privilegiatis adire Ordinarium loci, saepius nimis anxii haererent cum pii fideles tum optimi sacerdotes privilegiati circa validitatem sacramenti. Delegatio enim iurisdictionis praesumi nequit, dum licentia ea utendi multis in adiunctis rationabiliter praesumetur.

Nec facile gravis delicti sacerdotem incusare ausim qui ratione non sufficienti in casu particulari debita approbationis petitione abstineret, dum contemptum saperet saepius iterata neglegentia. I. C., s. i.

---

171. — *DECLARATIO 6 FEBR. 1915*

De absolutione impertienda militibus ad praelium vocatis (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 72).

Proposito huic sacrae Paenitentiariae dubio :

Dubium. « An liceat milites ad praelium vocatos, antequam ad sacram Com-
« munionem admittantur, absolvere generali formula, seu communi abso-
« lutione, sine praecedente confessione, quando tantus est eorum nume-
« rus, ut singuli audiri nequeant, doloris actu debite emisso ? » eadem sacra Paenitentiaria, mature consideratis expositis, benigne sic annuente sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XV, respondendum esse censuit :

Responsum. « Affirmative. Nihil vero obstare quominus sic absoluti in praefatis
« adiunctis ad sacram Eucharistiam suscipiendam admittantur. Ne omit-
« tant vero cappellani militum, data opportunitate, eos docere absolutio-
« nem sic impertiendam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint,
« iisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore
« peragendi, si periculum evaserint ».

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (6 febr. 1915). Datum Romae in sacra Paenitentiaria, die 6 februarii 1915.

Carolus Perosi, *S. P. Regens.*
Iosephus Palica, S. P. Secretarius.

Annotationes

1. Prima specie mirari quis possit de quanam re dubitaverint qui quaestionem proposuerunt. An de liceitate absolutionis generali formula impertitae « militibus ad proelium vocatis », quorum « tantus est numerus ut singuli audiri nequeant » ? At illud exemplum ab omnibus moralistis adducitur licitae confessionis non integrae.

An de liceitate communionis post talem confessionem receptae, antequam paenitens peccata potuerit rite confiteri ? Hanc interpretationem dubii non patitur declarationis titulus, nec erat cur hoc dubium moveretur. Tridentina enim Synodus cum exigit ut ante communionem status gratiae « praemissa sacramentali confessione » recuperetur, validam tantum sacramenti paenitentiae receptionem requirit, qualis profecto est confessio non integra ubi moraliter, immo et physice, impossibile est aliter confiteri. Ut enim obligatio confitendi peccatum ex oblivione reticitum communioni non obstat, ita peccata quae communi absolutione remissa sunt illam non impediunt.

Ac forte dubium fuit utrum liceret hoc modo absolutionem impertiri militibus, quos tamen audire possis cum tempus suppetat ipsis sacram Communionem porrigendi, immo, ut veri simile est, et celebrandi sacrum. Neque tum dubium erat responsum. Milites enim ad proelium vocati, cum in magno vitae discrimine versentur, sacram communionem per modum Viatici recipere possunt et illis saltem, qui sacra dape raro tantum reficiuntur, gravis interdum obligatio incumbet utendi tanto salutis medio, nisi magna obstent impedimenta.

Quae cum ita sint, celebrationem Sacri et Sacrae Communionis distributionem omittere non debet sacerdos ut omnium militum confessionem singillatim audire possit.

Ne tamen magnum onus multas confessiones audiendi cum hac necessitate confundant, prudenter monet D. Temmerman, F. X. (*Pouvoirs*, p. 60).

2. Notari breviter possunt quaedam dubii vel declarationis verba.

a) Dari potest absolutio communis petentibus « doloris actu debite emisso ». Quo enim certior fiat vis absolutionis, omnes auctores censent signo *externo* manifestandum esse dolorem de peccatis commissis. Optimus modus erit recitatio alta voce facta actus contritionis, simul cum sacerdote, quamquam alia signa sufficiunt, ut sunt genuflexio, signum crucis, tonsio pectoris etc.

b) Monet s. Paenitentiaria cappellanos ut, *data opportunitate*, i. e. v. g. in contionibus suis, vel privatis colloquiis aut aliis confessionibus, milites doceant :

α) absolutionem communem iis tantum profuturam qui rite sunt dispositi, i. e. sincere dolent de peccatis.

β) obligationem manere iis, qui sic fuerint absoluti, integram suo tempore faciendi confessionem.

« Suo tempore » i. e. cum proxime confitebuntur. Cuius condicionis explicatio apud omnes Theologiae moralis scriptores reperitur. I. C., s. I.

172. — *DECRETUM 25 MAII. 1915*

Circa facultates sacerdotum ad exercitum Italicum pertinentium tempore belli (A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 281).

Facultates absolvendi milites a peccatis et censuris.

Sacra Paenitentiaria, animarum saluti providere cupiens, benigne annuens precibus quorundam Italiae Ordinariorum, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, indulget, ut sacerdotes omnes qui quovis titulo ad exercitum pertinent, dummodo vel a proprio vel ab alio Ordinario confessiones fidelium excipiendi facultatem acceperint, quae positive revocata non fuerit, possint, durante bello, dum exercitum comitantur, excipere confessiones sacramentales omnium qui in exercitu militent vel ad exercitum quovis modo sint addicti; eosque absolvere, iniunctis de iure iniungendis, nulla facta exceptione, ab omnibus censuris et casibus, etiam speciali modo Romano Pontifici reservatis, vel reservatis locorum Ordinariis.

Clausula.

Ceterum S. Paenitentiaria declarat una simul cum praesenti decreto in vigore manere, quae occasione belli ab eodem S. Tribunali alias data sunt. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (25 maii 1915).

Datum Romae ex aedibus S. Paenitentiariae, die 25 maii 1915.

S. Card. Vannutelli, *Paenitentiarius Maior.*
Ioseph Palica, S. P. Secretarius

173. — *RESPONSUM 29 MAII 1915*

De militibus in statu bellicae convocationis
(A. A. S. 1 iun 1915, 7, 282).

Dubium.

Proposito huic sacrae Paenitentiariae dubio : « Utrum miles quicumque « in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, *mobilitationis*, constitu« tus, ipso facto aequiperari possit iis qui versantur in periculo mortis, « ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi ».

Responsum.

Resp. Detur responsum diei 18 martii 1912, ad episcopum *V.*, nempe : « *Affirmative*, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas ».

Dies (29 maii 1915).

Datum Romae ex aedibus S. Paenitentiariae die 29 maii 1915.

Carolus Perosi, *S. P. Regens.*
Ioseph Palica, S. P. Secretarius.

ANNOTATIONES

Iuxta communem Moralistarum sententiam, versantibus in periculo mortis, quos omnis sacerdos possit absolvere, accensendi sunt milites mox proelio dimicaturi. Quamquam nunc multi qui ad militiam tempore belli actu convocantur ab omni mortis periculo remoti videntur, saepe factum est, praesertim initio belli, ut in ipsam aciem subito vocarentur qui ob aetatem vel aliam causam ad officia procul a prima acie implenda destinarentur. Ideo omnino late interpretabantur multi doctrinam veterum auctorum de hac re. Quam sententiam hoc decreto approbat S. Paenitentiaria.

I. C., s. I.

---

174. — *DECRETUM 13 MART. 1888*

De cantu hymni « Te Deum » et de exsequiis tempore belli (A. A. S. 1 iul. 19'5, 7, 390).

Haec quae sequuntur decreta, denuo edere peropportunum visum est, cum, hodiernis rerum adiunctis, integre ipsa omnino vigeant.
Ad Ordinarios Locorum in Italia.

Occasio postulati.

Pro parte non nullorum in Italia Praesulum postulatum est, utrum, occasione belli, quod in Africa geritur, locorum Ordinarii, ubi fuerint requisiti, permittere valeant sollemnem cantum hymni ambrosiani, si illud Italis bene cedat, vel funebres caerimonias cum Missa celebrare, pro iis qui in bello ipso decesserint.

Responsum S. Paenit.

Sacra Paenitentiaria, sic annuente SS. D. N. Leone Pp. XIII, huic postulato respondet :

Permitti posse ut occasione, de qua quaeritur, a parochis aliisque ecclesiasticis viris canatur hymnus ambrosianus, ita tamen ut post hymnum ambrosianum recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione ; — omisso quocumque alio versiculo et oratione ; — itemque permitti posse ut sacrosanctum Missae sacrificium, aliaeque funebres caerimoniae celebrentur, quin habeantur in Ecclesia nec a viris laicis nec a viris ecclesiasticis et ab ipsis Ordinariis funereae orationes.

Cavendum omnino, ne haec omnia in politicos sensus detorqueantur.

Dies (13 mart. 1888).

Datum Romae, die 13 martii 1888.

Raph. Card. MONACO, *P. M.*
I. Can. Palombi, S. P. Secretarius.

174bis. — *DECRETUM S. RIT. CONGR., 3 FEBR. 1912*

De suffragiis pro defunctis in bello Tripolitam (A. A. S. 1 iul. 1915, 7, 390).

Cf. *Period.* VI, p. 184, n. 556.

175. — *DECLARATIO 17 MART. 1916*

Circa obligationem divini officii recitandi clericorum in sacris constitutorum, qui lege civili coacti in bello versantur (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 108).

Laxior interpretatio facultatis factae

Cum plura dubia atque quaesita circa declarationem, a Sacra Paenitentiaria die 15 martii 1912 datam [1], huic Sacro Tribunali proposita fuerint, ad tollendam deplorabilem ac a Sanctae Sedis mente prorsus alienam interpretationis latitudinem, qua praedicta declaratio ad omnes generatim extenditur clericos in Sacris constitutos, qui in praesenti bello quomodocumque inter milites accensentur, Sacra Paenitentiaria, ne Sanctae Sedis benignitas in grave vertatur spiritus ecclesiastici detrimentum, muneris sui esse ducit, annuente Ssmo Dno Nostro Benedicto Pp. XV,

occasionem dat authenticae huic declarationi.

sequentem authenticam edere declarationem :

« Clerici qui, licet in Sacris constituti sint, nihilo minus coacti fuerunt « interesse bello, tum solum excusantur ab obligatione divini Officii « recitandi cum actu in acie seu in linea et loco certaminis versantur ; « secus vero tenentur ad divinum Officium in horis liberis quo meliore « modo potuerint recitandum ; in casu vero gravis sui vel aliorum incommodi se gerere possunt ac debent (audito si potuerint proprio confessario) iuxta normas generales a theologis traditas ».

Dies (17 mart. 1916).

Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 17 martii 1916.

Gul. Card. Van Rossum, *Paen. Maior.*
I. Palica, S. P. Secretarius.

Annotationes

Novis formis, quibus diuturnum bellum geritur, factum est ut quaedam SS. responsa interpretatione extensiva vel restrictiva indigerent, ne menti legislatoris usus aperte adversaretur. Quis enim praevidere poterat milites, ob magnitudinem insuetam exercituum, saepe diu satis procul ab acie remansuros et ob diuturnitatem belli, repetitis vicibus in anno, per plures dies ab omni militari servitio liberos fore ? His et similibus causis ductam arbitramur S. Paenitentiariam declarationis 15 martii 1912 restrictivam interpretationem dedisse. Cum enim satis procul in secunda linea, ut aiunt, versantur, per se non impediuntur clerici quin S. Officium recitent : quod etiam verius est cum per plures dies ab omni consortio cum reliquis militibus immunes sunt. Iam vero quis nesciat debilem voluntatem obligatione recitandi S. Officii

---

[1] Declaratio sic sonat : « Utrum ab Officii Divini lege liber exsistat clericus in Sacris « constitutus, quem bellica convocatio seu, ut aiunt, mobilitatio ad functionem « adiudicavit militis vel activi vel ministrantis commilitonibus vulneratis ? Quatenus « negative dignetur Sanctitas Vestra praefatos clericos durante bello eximere ».

Resp. : Ad primam partem : Durante bello eiusque proxima praeparatione *affirmative.*

Ad secundam partem : *Provisum in prima...*

mire confirmari ita ut, propter illam legis necessitatem, multi orationi vacent, quam sibi relicti facilius omitterent? Fatendum tamen est saepissime accidere ut clerici, etsi ab acie remoti, ita a contubernalibus turbentur ut decenti S. Officii recitationi vacare nequeant, vel ut, ob servitium defessi, legitime excusentur. Horum et similium adiunctorum memor, S. Paenitentiaria illis normas generales a theologis traditas in memoriam revocat, simul exhortando prudenter ut de hac re consilium audiant confessarii ne facilius iudicis et partium simul partes agant.

Praeter hanc declarationem quae natura sua est generalis, consulenda sunt rescripta ad varios Ordinarios castrenses datas. (Cf. Temmerman, Fr. X. *Pouvoirs*, etc.).

Exemptio ab obligatione recitandi divini Officii, etiam sic restricta, expressis verbis suppressa est decreto S. Congr. Consistorialis, d. 22 febr. 1919. Ex declaratione S. Paenitentiariae confirmatur consuetudo « optima legum interpres » qua haud facile clerici in sacris constituti a divino recitando officio exîmi censentur. I. C., s. I.

176. — *RESPONSA 3 APRIL. ET 3 IUN. 1916*

De onanismo coniugali [1]

I. *Responsum 3 april.*

Utrum mulier alicui actioni mariti, qui, ut voluptati indulgeat, crimen Onan aut Sodomitarum committere vult, illique sub mortis poena aut gravium molestiarum minatur, nisi obtemperet, cooperari licite possit? **Dubium.**

Resp. a) Si maritus in usu coniugii committere velit crimen Onan, effundendo scilicet semen extra vas post inceptam copulam idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae eius voluntati sese accommodet, uxor ex probatorum theologorum sententia licite potest hoc in casu sic cum marito suo coire : quippe cum ipsa ex sua parte det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa, quae eam excusat quoniam caritas qua illud impedire teneretur cum tanto incommodo non obligat. **Responsum.**

b) At si maritus committere cum ea velit Sodomitarum crimen, cum hic sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque coniugis sic coeuntis, isque doctorum omnium iudicio graviter malus : hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere. Miraturque vehementer S. Paenitentiaria, quod opposita sententia cum humanae naturae dedecore, in quorundam sacerdotum animis (ut refertur) insis ere potuerit.

[1] Prodiit primum in 15a éd. operis *Institutiones Alphonsianae*, Cl. MARC (1917) t. 2, n. 2116.

II. *Responsum 3 iunii* [1]

Dubium

I. I. Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur.

II. II. Si negative, utrum sufficiant ad resistentiam passivam ex parte mulieris cohonestandam rationes aeque graves ac pro onanismo naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes praegravissimae ?

III. III. Utrum ut tutiore tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis, oppressori vere debeat aequiperari : cui proin mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori ?

Resp. Ad primum : Affirmative.

Ad secundum : Provisum in primo.

Ad tertium : Affirmative.

Carolus Perosi, *S. Paen. Regens.*

Annotatio

Responsis istis egregie confirmatur sententia quam diu iam propugnavimus, v. g. in articulo : *Un grave péril moral* (Nouvelle Revue théologique 1909, p. 66). Simul improbatur indirecte, ut optime observant Nederlandsche Katholieke Stemmen 1917, singularis opinio R. P. Prümmer, O. Pr., qui in sua theologia morali receptam distinctionem negat qua theologi cooperationem uxoris cum viro se retrahente eiusque cooperationem cum viro utente involucro aliter aestimant.

[1] Ibidem n. 2117.

DECRETA SUMMATIM RELATA

177. — *S. PAENITENTIARIA*

A. *Augentur indulgentiae tactui paenitentialis virgae annexae* (A. A. S. 26 mart. 1917, 9, 191).

Augentur indulgentiae.

Per S. Paenitentiariam, 6 mart. 1917, innotescit SS. D. annexisse 100 dies indulg. semel in die tactui virgae paenitentialis minorum Paenitentiariorum ; ter centum autem virgae paenitentialis Card. Paenitentiarii maioris. Ambae indulgentiae defunctis applicabiles sunt.

B. *Vulgantur quaedam documenta concessionis indulgentiarum* (A. A. S. 1 iun. 1917, 9, 280).

Vulgantur indulgentiae.

S. Paenitentiariae (sectione de indulg.) documento 17 apr. 1917 constat invocationi : « Cor Iesu eucharisticum, adauge nobis fidem, spem et caritatem », indulg. 300 d., 5 apr. 1917 annexam esse ; documento 20 apr. 1917, indulg. 300 dierum, totiens quotiens, defunctis applicabilem, recitantibus sequentes orationes, 21 dec. 1910 concessam esse.

1. Signore nostro, Gesù Cristo, noi ricorriamo a Voi ; Dio santo, Dio grande, Dio immortale, abbiate pietà di noi e di tutto il genere umano. Purificateci dai nostri peccati e dalle nostre debolezze col Vostro Sangue divino. Amen.

2. Gesù mio, in Voi credo, in Voi spero, Voi amo, a Voi mi dono.
Madre mia santissima, datemi confidenza in Voi.
Quando, Gesù mio, vedrò la Vestra bella faccia ?
O Maria, Voi siete la fortezza mia, la liberazione, la pace e la salute mia. »

178. — *S. ROMANA ROTA*

Paroecia regularis esse negatur.

A. Die 23 mart. 1914 coram S. Rom. Rota in appellatione disceptata est causa Brunnen. *Incorporationis seu iurispatronatus*, inter Magnum Priorem. S. Equ. Ord. Melit. Boëmiae et Austriae et episc. Brunnensem, de incorporatione beneficii curati Erdpurg Ordini Melitensium ac Commendae Maylberg. Iam vero incorporatio paroeciae alicui Ordini vel Monasterio fieri nequit sine episcopi consensu, de quo constare debet. Neque probatur incorporatio quod sacerdotes Ordinis paroeciam interdum rexerunt, cum regulares in subsidium saecularium sacerdotum episcopi vocare cogantur. Visitationes ab Ordine factae, ut incorporationem saepius evincat, debent esse « plurimae continuae, consuetudine firmatae et episcopo ius suum non reclamante ». Quae omnia in casu non reperiuntur. Immo per 164 annos paroecia a saecularibus sacerdotibus est recta, qua immemoriali consuetudine iura, si quae fuerint Ordinis antiquata sunt.

Cum autem ad beneficia saecularia regulares promoveri non possint, sacerdotes e clero saeculari ad illa sunt praesentandi. Quare S. Rom. Rota censuit non constare de legitima incorporatione et ideo Priori non competere ius praesentandi ad parochiam Erdpurgensem sacerdotes sui Ordinis, sed ipsum ad praesentandos sacerdotes saeculares. (A. A. S. 12 iun. 1914, 6, 317).

Iura parochialia Capituli et Praepositi collegiatae.

B. Die 17 mart. 1914, S. Rom. Rota in causa Fesulana, — Iurium, inter Praepositum ecclesiae collegiatae Figline Valdarno et illius collegiatae canonicos, statuit, infirmans sententiam votalem 6 febr. 1911, parochialitatem habitualem competere Capitulo, actualem vero spectare ad Praepositum et Canonicos legitime deputatos in concuratos, seu Canonicos coadiutores. Praesumptio enim iuris est curam animarum penes Capitulum residere ecclesiae parochialis quae sit collegiata. Cui praesumptioni non officit quod ex bulla fundationis, haec cura exercenda est « de voluntate... Praepositi » qui sola dignitas sit in Capitulo, cum ad bonam disciplinam oporteat ut curam collegio commissam unus ex ipso exerceat. Confirmat sententiam modus agendi Capituli : huius enim auctoritate condita sunt statuta quibus definitur quomodo cura animarum a Praeposito et Sacrista vel canonicis coadiutoribus esset exercenda. (A. A. S. 6 iul. 1914, 6, 354).

Nullitas matrim. ob clandestinitatem.

C. Die 19 maii 1914, S. Rom. Rota in causa Parisien. — Nullitatis matrimonii, inter Leoniam Ulens et Georgium Lelorrain, statuit, infirmans sententiam curiae Parisiensis, non constare de nullitate matrimonii ex capite clandestinitatis. Ex Epist. Ben. XIV « Paucis abhinc » ad Arch. Goanum d. 19 mart. 1758, habitatio unius mensis in eodem loco praesumptionem iuris fundat admissi quasi-domicilii. Ubi de intentione permanendi per maiorem anni partem non constat, declaravit S. Off. (Instr. 7 iun. 1867) esse confugiendum ad illam praesumptionem, quae tamen contrariis et liquidis probationibus elidi potest. In causa pars testium asserunt intentionem actricis aliquot mensibus ante matrimonium fuisse perpetuo degendi in loco celebrati matrimonii (d. 14 iun. 1906). Quod si non constaret, matrimonium esset tantum validum : cum enim Leonia famulare domicilium sine animo revertendi deseruisset, in loco matrimonii vaga erat. (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 387).

D. Die 17 mart 1914, S. Romana Rota in causa Parisien. — Nullitatis matrim. inter Bertham Chazal et Lucam Moulin, statuit constare de nullitate matrimonii, contracti ante decr. *Ne temere* ex defectu intentionis commorandi in loco per maiorem anni partem seu ex defectu quasi-domicilii. Quam intentionem non probat voluntas in loco commorandi donec negotium expediatur neque locatio facta domus ad semestrem, ubi ad minus tempus locatio domus supellectili ornata non conceditur. (A. A. S. 20 aug. 1914, 6, 408). *Nullitas matrim. ex clandestinitate.*

E. Die 29 maii 1914, S. Romana Rota in causa Nullius Sublacen. — Solutionis, inter sacerdotem P. Di Cecco et Capitulum cathedralis ecclesiae S. Andreae, statuit praefatum sacerdotem non habere ius ad participationem redituum, qui capitulo sunt restituti. Eius enim canonicatus, ex ipsa Bulla erectionis, quod ad dotem seu praebendam ab aliis canonicatibus omnino est distinctus, neque ex eius erectione alii canonici ullum praeiudicium sentire debebant. (A. A. S. 3 sept. 1914, 6, 464). *Solutio seu participatio reditus.*

F. Die 6 iulii 1914, S. Romana Rota in causa Oregonopolitana. — Nullitatis matrim. inter Dinam Smith et Abnerum O'Kieffe, statuit non constare de nullitate matrimonii, ob defectum consensus ex parte viri. Intentio enim deserendi uxorem si nuptiae fiant infaustae validitati matrimonii non officit, cum per se non idem sit ac velle matrimonium dissolubile contrahere. (A. A. S. 16 oct. 1914, 6, 516). *Nullitas matrim. ex defectu consensus.*

G. Die 6 iul. 1914, S. Romana Rota in causa Avenionen. — Nullitatis matrim. inter Magdalenam Bosse et Antonium Bujoli, statuit non constare de nullitate matrimonii ex capite metus, infirmans sententiam curiae Avenionensis. Quamquam enim preces parentum fuerant importunae et molestae, nullam induxerant probabilem coniecturam gravis et diuturnae indignationis. De metu gravi autem non deponunt testes, nisi generice, quod ad probationem non sufficit. (A. A. S. 9 dec. 1914, 6, 675). *Nullitas matrim. ex metu.*

H. Die 18 iul. 1914, S. Romana Rota in causa Mediolanen. — Iuris funerandi, inter R. D. parochum S. Mariae et R. D. parochum S. Petri, statuit ius funerandi parochianos S. Mariae, decedentes in hospitali sito in parochia S. Petri, spectare ad parochum S. Petri, propter consuetudinem dioecesis rite praescriptam « iuxta quam si quis in aliena paroecia moriatur, parochus loci funera peragit independenter a parocho domicilii » ne data quidem parocho proprio quarta funeraria. (A. A. S. 9 nov. 1914, 6, 554). *Ius funerandi in hospitali.*

I. Die 8 iul. 1914, S. Romana Rota in causa Verulana, — Iurispatronatus, super quaestione incidentali inter parochum S. Leucii civitatis Verulanae, et fratres sacerdotes V. et A. Caperna, statuit fratres Caperna cogi posse ad standum in iudicio et parochum S. Leucii redintegrandum esse in possessionem clavis capellae S. Mariae Virginis a Refugio a V. Caperna acceptae et nunc ab eius fratre retentae. Fratres Caperna opponebant ius patronatus sibi esse agnoscendum. (A. A. S. 30 dec. 1914, 6, 713). *Iurispatronatus.*

J. Die 19 aug. 1914, S. Romana Rota in causa Vicar. apost. Sueciae, — Nullitatis matrim. inter Mariam Hoogland et Leonardum Waern, statuit constare de nullitate matrimonii ex defectu consensus vere coniugalis — utriusque enim intentio saepius ante et post matrimonium manifestata *Nullitas matrim. ex defectu consensus.*

erat unionem abrumpendi per divortium perfectum statim ac alter alteri non placeret. — Ideoque etsi lutheranae sectae addicti, coram ministello matrimonium celebrare noluerunt, caerimonia civili contenti qua unio coram civibus honestaretur. (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 51).

Causae sub secreto.

K. Die 14 ian. 1915, evulgata est pars dispositiva sententiae causarum sub secreto anno 1914 actarum. (A. A. S. 22 ian. 1915, 7, 57).

Dismembratio.

L. Die 5 aug. 1914, S. Romana Rota in causa Londonen. — Dismembrationis, statuit constare de legitima dismembratione parochiae seu missionis B. M. Virginis du Lac, facta ab Ordinario Londonensi in Canada et contra quam reclamaverat R. D. parochus Beaudoin — quando enim agitur de missione seu quasi-paroecia dividenda, non requiritur processus, sed episcopi est, de consilio Capituli, iudicare utrum necne fidelium utilitas dismembrationem requirat, etiam renitente quasi-parocho. (A. A. S. 8 febr. 1915, 7, 73).

Iura.

M. Die 1 febr. 1915, S. Romana Rota in causa Corduben, in America, — Iurium, inter Capitulum maioris ecclesiae Corduben. et episcopum Corduben., statuit dominium fundi de quo disceptatur et domorum ibidem exstructarum spectare ad Ecclesiam cathedralem; episcopo et Capitulo competere fundi administrationem; Ecclesiam vero cathedralem teneri refundere episcopo expensas in domorum aedificatione factas, aut saltem augmentum valoris fundi, si ita ferant leges in republica Argentina vigentes. (A. A. S. 15 mart. 1915, 7, 131).

Praecedentia sodalitatum.

N. Die 4 ian. 1915, S. Romana Rota in causa Beneventana, Praecedentiae, inter Sodalitatem Montis Mortuorum et Sodalitatem a Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. statuit praecedendi ius spectare ad Sodalitatem Montis Mortuorum, utpote antiquiorem, non obstantibus rationibus ab alia Sodalitate praetensis. (A. A. S. 31 mart. 1915, 7, 151).

Iura.

O. Die 27 iul. 1914, S. Romana Rota in causa Nucerina Paganorum, Iurium inter R. D. parochum S. Michaelis in oppido Malloni et Sodalitatem S. Luciae statuit constare de iure quo sodalitas S. Luciae per suum rectorem in ecclesia S. Michaelis verbum Dei praedicet, ibique in altari maiori sacra expleat, in festo S. Luciae et B. M. V. Perdolentis et diebus praecedentibus; constare etiam eam ius non habere ut in die Paschatis sacram Synaxim ab altari maiore sodalibus administret. (A. A. S. 20 apr. 1915, 7, 181).

Contumacia.

P. Die 13 febr. 1914, S. Romana Rota in causa Limburgen. Contumaciae inter D. N. parochum et Curiam episcopalem Limburgen. statuit constare de contumacia parochi et exsecutoriam fieri sententiam curiae Limburgen. quae ipsum propter delicta per testes probata beneficio suo privaverat (A. A. S. 6 maii 1915, 7, 216).

Iura.

Q. Die 7 aug. 1914, S. Rom. Rota in causa Luganen. Iurium, inter Canonicos antiquae fundationis et Canonicos recentioris fundationis in ecclesia collegiata Bellinzona, statuit Canonicos recentioris fundationis admittendos esse ad complendum numerum septennarium in anniversariis,

officiis et funeribus quae *di capitolo vecchio* nuncupantur, et ad relativas distributiones, exceptis tantum officiis et anniversariis fundatis ante conventionem anni 1752, quibus iidem Canonici recentiores intersint, non vice canonicatuum vacantium, sed loco canonicorum antiquae fundationis absentium ad normam art. 8 praefatae conventionis. (A. A. S. 21 maii 1915, 7, 233).

Iura in sepulcris.

R. Die 20 maii 1914, S. Rom. Rota in causa Florentina. Iurium in sepulcris inter parochum S. Felicis ab Ema et Sodalitatem S. Marci et Ssmae Annuntiatae, statuit sodalitatem participare debere de emolumentis veteris et novi coemeterii, in casu, titulo conventionum inter ipsum et parochum, atque pari mensura tam in oneribus, expensis operarum et manutentionis ordinariae ac extraordinariae communiter ferendis, quam in proventibus inter se dividendis; insuper sodalitati a parocho restituenda esse emolumenta in praeteritum percepta, necnon reficienda esse damna, in casu. (A. A. S. 1 iun. 1915, 7, 269).

Nullitas matrim. ex defectu consensus.

S. Die 8 febr. 1915, S. Rom. Rota in causa Neo-Eboracen. Nullitatis matrimonii, inter Comitem M. P. Boni de Castellane et Annam Gould, statuit non constare de nullitate matrimonii ex defectu consensus. Causa haec non levis momenti est, tum quia accurate disceptatur quatenus intentio divortii faciendi obstet valori matrimonii, tum quia sententia rotalis 1 mart 1913. (Period. VII, p. 217) in secunda instantia ansam dederat criminationibus malevolorum hominum, quasi Ecclesia propter pecuniam matrimonium solvisset. Post praesentem sententiam in tertia instantia, duplex habetur sententia conformis, favens valori vinculi, ac proin causa finita est. (A. A. S. 21 iun. 1915, 7, 292).

Exemptio et Funera.

T. Die 29 mart. 1915, S. Romana Rota in causa *Vicentina*, Exemptionis et Funerum, inter R. D. Perrin parochum S. Marci in civitate Vicentina et R.R. P.P. Minores, Capellanos Hospitalis S. Bartholomaei, statuit Hospitali competere ex immemorabili consuetudine exemptionem a iurisdictione paroeciali, quod ad administrationem sacramentorum, excepto tamen Baptismo et Matrimonio, quod ad benedictionem dandam Hospitali in Sabbato Sancto, et praesertim quod ad funera fidelium in Hospitali decedentium. Ita confirmatur sententia iam lata a Curia Vicentina. (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 332).

Nullitas matrim. propter vim et metum.

U. Die 15 mart. 1915, S. Romana Rota in causa Nicien. Nullitatis matrimonii inter Ioannem Massier et Germanam Gauthier statuit non constare de nullitate matrimonii in casu, propter metum incussum sponso ab ipsa matre sua. (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 349).

Iurispatronatus.

V. Die 16 mart. 1915, S. Romana Rota in causa Taurinen. Iurispatronatus inter D. Gauthier de Confiengo et D. Octavium Thaon de Revel, statuit iurispatronatum in casu pertinere ad D. Gauthier de Confiengo, et institutionem ad paroeciam Nichelino esse dandam sac. Burzio (A. A. S. 31 iul. 1915, 7, 391).

Nullitas matrim. propter vim et metum.

W. Die 8 apr. 1915, S. Romana Rota in causa Mediolanen. Nullitatis matrimonii inter Mariam Ambrosini-Spinella et Iulinus Garibaldi, statuit, reformans sententiam Curiae Mediolanensis, non constare de nullitate

matrimonii in casu propter metum incussum sponsae. (A. A. S. 14 aug. 1915, 7, 424).

Nullitas matrim. ex divortii condicione.

X. Die 17 apr. 1915, S. Romana Rota in causa Parisien. Nullitatis matrimonii, inter Michaëlam Goguel et Carolum Gravier, statuit constare de matrimonii nullitate in casu, propter condicionem appositam divortii instituendi. (A. A. S. 4 sept. 1915, 7, 442).

Y. *Referuntur decisiones causarum quae sub secreto actae sunt.* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 28 ss.).

Causae sub secreto.

Inter 15 causas actas sub secreto a mense decembri 1914 ad mensem decembris 1915, undecim nullitatem matrimonii respiciebant. — In una tantum constare de nullitate ex capite vis et metus et affinitatis decretum est, in aliis responsum est non constare. — In quinque causis defectus consensus allegabatur, in quinque impedimentum vis et metus.

Z. *Referuntur decisiones causarum sub secreto actarum.* (A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 52).

Causae sub secreto.

Altera causa erat incidentalis, iniuriarum, altera onerum beneficii.

Aa. *Referuntur decisiones causarum sub secreto actarum.* (A. A. S. 10 ian. 1917, 9, 40).

Causae actae sub secreto.

Inter decem causas, tres sunt in quibus nullitas matrimonii ex capite impotentiae declarata est.

Bb. *Negatur confraternitati ius interveniendi in quadam ab alia confraternitate ducta processione nisi ab hac invitetur* (A. A. S. 6 oct. 1915, 7, 465).

Ius participationis in processione.

Sententia d. 19 maii 1915, S. Rota in favorem confraternitatis S. Michaëlis oppidi Arenae, Mileten. dioec., decrevit in plenaria sessione ob obtentam restitutionem in integrum nullum ius esse confraternitati B. M. V. Gratiarum interveniendi in processione festi S. Michaëlis, utpote quae non sit generalis, seu de ritu. Confraternitas B. M. V. ad omnes expensas huius sessionis damnata est quia contumax.

Cc. *Vindicantur capitulo ecclesiae collegiatae iura parocht habitualis* (A. A. S. 27 oct. 1915, 7, 481).

Iura parochialia capituli.

In causa Salutiarum tertia vice dirimenda, d. 15 iul. 1915, vindicata sunt capitulo ecclesiae plebaniae, a° 1483 a Legato S. P. collegiatae facta, iura parochi habitualis, cum ex documento erectionis tum ex consuetudine pluries centenaria. Notandum est verba « cura animarum » in huiusmodi documentis significare curam *actualem*, dum alia ut « tota cura animarum » adhibentur quando independenter a capitulo exerceri debet.

Dd. *Obligatur parochus capitularis ad solvendum honorarium coadiutoris* (A. A. S. 30 nov. 1915, 7, 499).

Creditum.

In causa Policastren., sententia a tertio iam turno lata, S. Rota iussit parochum cathedralis coadiutori honoraria debita solvere nulla facta

reductione propterea quod coadiutor domum ipsi assignatam locaverat dum ipse paternam domum commodiorem habitaret.

Ee. *Definitur summa debita a religiosis a S. Ioanne de Deo pro locatione operarum* (A. A. S. 9 dec. 1915, 7, 527).

Creditum.

Sententia 20 apr. 1915, S. Rota decrevit eum, qui fuerat Prior domus Corton. in dioec. Medioburgensi, et Provincialem eiusdem domus in solidum teneri ad solvendas 300 lib. sterl. architecto qui eorum mandato varios typos delineavit exstruendae novae domus. Summa ab architecto petita imminuta est quia typus ultimus non est approbatus, et in eo delineando non satis praeceptis claris Superiorum illorum morem gesserat. Illi duo Patres tenentur quia alter, etsi iam non Superior, tamen ut Prior domus partem habuit in mandato, quod praecipue a provinciae Praeside imponebatur.

Ff. *Declaratur constare de nullitate matrimonii Jurgens-De Hoog ob defectum consensus validi ex parte sponsae* (A. A. S. 20 dec. 1915, 7, 572).

Nullitas matrimonii.

Sententia 15 maii 1915, S. Rota declaravit constare de nullitate matrimonii (in causa Buscoducen.) eo quod sponsa dandi liberi consensus erat incapax. Laborabat enim amentia partiali, cuius signa haud obscura periti medici et testes fide digni asserunt.

Gg. *Capitulo agnoscitur parochialitas actualis et habitualis* (A. A. S. 18 ian. 1916, 8, 19).

Cura animarum habitualis et actualis.

Capitulo ecclesiae collegiatae oppidi Figline, Fesulanae dioecesis, tertia sententia d. 9 iul. 1915 S. Rota agnovit competere iura curae animarum actualis et habitualis. Quod ex modo agendi praepositi statim post erectionem et per longissimum tempus constat : cui consuetudini accedunt verba dubia in Bulla erectionis (Alexandri III, 30 iul. 1493), clara in statutis capituli, in constitutionibus et decreto episcopi Fesulani, a° 1639.

Hh. *Declaratur constare de nullitate matrimonii Pic-Garreaud (in causa Parisien.) ex capite vis et metus* (A. A. S. 14 febr. 1916, 8, 45).

Nullitas matrimonii.

Etsi vita coniugalis per annos decem duraverit, S. Rota d. 21 maii 1915 declaravit constare de nullitate ob vim et metum, ob importunas preces, minas et verbera a matre adhibita. Ceterum ab initio vitae coniugalis gravia discidia inter utrumque sponsum orta sunt, unde indicium defectus libertatis.

Ii. *Declaratur constare de nullitate matrimonii ex defectu formae Tridentinae* (A. A. S. 4 mart. 1916, 8, 75).

Nullitas matrimonii.

In causa Mohilovien., satis intricata, S. Rota decrevit constare de nullitate matrimonii Radziwill-Benardaky ob defectu competentiae in sacerdote assistente. Difficultas in eo est : agitur « de uno sponso romano-catholico, qui venit a loco ubi Conc. Trid. non est publicatum, uti Londini, ad locum in quo pro catholicis viget, et vice versa de altero seu haereticae nempe graecae-orthodoxae religionis, qui venit a loco non exempto, nam Parisiis forma Tridentina tenet etiam haereticos, ad locum in quo pro istis et pro matrimoniis mixtis militat immunitas a dicta

forma... » Cum decr. « Tametsi » vim habeat *localem personalem*, et in Mohilovien. vigeat pro catholicis, sponsus utpote peregrinus in loco vigentis pro catholicis Tridentini et sponsa quia non amiserat domicilium in loco ubi vigeret etiam pro acatholicis ligabantur decreto : ideoque matrimonium est nullum cum sacerdos assistens a neutrius parocho delegationem accepisset.

Jj. *Negatur constare de nullitate matrimonii Surcouf-De Serres, in causa Nicien., ex capite vis et metus* (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 109).

Nullitas matrimonii.

Sententia 31 iul. 1915, S. Rota non constare de nullitate matrimonii decrevit, quod sponsa ne matri adoptivae displiceret cum repugnantia iniverat. Metus enim reverentialis non fuit qualificatus cum non fuerint neque minae, neque verbera, neque iurgia etc.

Kk. *Negatur ius praecedentiae archiconfraternitati prae confraternitate* (A. A. S. 3 apr. 1916, 8, 120).

Praecedentia.

In causa Beneventana, S. Rota sententia 13 aug. 1915 negavit ius competentiae competere archiconfraternitati a Pretiosissimo sanguine cum confraternitas Bonae Mortis in oppido montefalcione esset in quasi-possessione illius iuris et multo ante illam tempore habitu speciali seu sacco uteretur in processionibus.

Ll. *Negatur constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus* (A. A. S. 5 maii 1916, 8, 158).

Nullitas matrimonii.

In causa Parisien. Charrier-Godet S. Rota d. 4 nov. 1915 confirmavit sententiam curiae Parisiensis negantem constare de impedimento vis et metus. Testimonia alia aliis magis fide dignis, eliduntur. Ante et post matrimonium nulla indicia reperiuntur metus gravis et ipse sponsus se potius circumventum quam vero metu coactum fatetur.

Mm. *Constare declaratur de nullitate matrimonii Santelli-Stettiner, in causa Pitilianen., ex capite vis et metus* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 184).

Nullitas atrimonii.

Causae sententiae sunt minae graves et iurgia quae sponsa passa est ut consensum praestaret. Repugnantia ex infelici ab initio vita coniugali etiam demonstratur.

Nn. *Decernitur constare de nullitate ex capite vis et metus* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 200).

Nullitas natrimonii.

In causa Parisien. De Payer-Level, confirmata est d. 4 mart. 1916 sententia curiae Parisieusis. Sponsa enim, iuvenili aetate, commota est precibus enixis gravibus minis matris quae in gravem morbum inciderat. Suam repugnantiam et coactionem ante matrimonium et in ipso contractus die pluries manifestavit. Quare longae disceptationi locus non est in hac causa.

Oo. *Absolvitur congregatio religiosa a restituenda pecunia a sorore mutuo accepta et dissipata* (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 232).

Restitutio.

Sententia 16 aug. 1915 S. Rota decrevit in causa Claramontana non teneri Superiores restituere pecuniae summam quam mutuo acceptam

soror, postea e congregatione eiecta, dissipaverat. Congregatio enim, in qua simplicia vota emittuntur, loco membrorum non tenetur nisi superiores inferiori mandatum agendi dederint, aut per suam neglegentiam damni rei sint vel congregatio utilitatem ex actibus membri ceperit. Quae in causa aut non sunt aut non probantur.

Pp. *Urgetur contra Capitulum Vaticanum reservatio in Reg. Conc. statuta* (A. A. S. 7 iul. 1916, 8, 239).

Collatio beneficii.

Cum Reg. IX Canc. derogationem expressam et explicitam requirat, S. Rota sententia d. 10 maii 1916 non admittit Capitulum Vaticanum vi Bullae Bened. XIV *ad honorandum* eximi a reservationibus in illa Regula statutis. Praeterea beneficia in Urbe, paucis exceptis non nisi romanis civibus concedi possunt et vi verborum Bullae Leonis X *Dum singularem* et ex consuetudine constat ius civitatis, de quo in casu, esse originarium tantum et non acquisitum.

Qq. *Bona conventui tributa ad ordinem religiosum, non ad parochum regularem pertinere decernuntur* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 275).

Legata pia.

Concessa Provinciae Ord. Erem. S. Aug. restitutione in integrum, quia laesionem gravem erat passa, S. Rota d. 7 febr. 1916 decrevit bona quaedam *conventui* S. Andreae cum onere missarum legata ad provinciam religiosam pertinere cum ob verba in testamento adhibita, tum ob longam praescriptionem.

Rr. *Negatur constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 324).

Nullitas matrimonii.

Confirmata est d. 30 dec. 1915 sententia rotalis d. 20 mart. 1915 in causa Parisien. seu Niciens. iuxta quam non constabat de nullitate matrimonii (Massier-Gauthier) ob minas illatas actori a matre sua. Oratorum testimonium reicitur utpote ortum diuturno tempore post matrimonium : testium depositiones non admittuntur contra validitatem matrimonii : aliae enim fuerunt postquam ipsis primi iudicii sententia est cognita. Nec metus, etsi affuit, probatur gravis et iniustus.

Ss. *Non admittitur actio « regressus » (di regresso) sodali qui societatis solutae debita partim pro sociis solverat* (A. A. S. 1 sept. 1916, 8, 343).

Solutio debiti.

In causa Bergomen. sac. Franc. Cossali a sac. Joa. Benigna summam 22,596,35 lib. expetebat eo quod fere solus pro sociis debita solverat societatis « in commendita » infeliciter solutae. Reiecta exceptione praescriptionis, quam sac. Benigna praetendebat, S. Rota sententia 10 apr. 1916 ius repetitionis sac. Cossali negavit quia 1° non solus debita sociorum solvit 2° summa a sac. Benigna debita non erat in ipsa actione determinata 3° actor non probat se totum debitum solvisse.

Tt. *Matrimonium declaratur nullam ob non servatum caput « Tametsi »* (A. A. S. 5 oct. 1916, 8, 367).

Nullitas matrimonii.

Matrimonii Edeline-Ledansis, in causa Parisien., nullitas a curia Parisien. pronuntiata confirmata est sententia rotalis 4 mart. 1916. Initum est

coram vicario paroeciae in qua sponsae parentes, non autem sponsa ve sponsus domicilium vel quasi-domicilium habebant. Contra defensorem vinculi PP. DD. censuerunt « vagitatem » cum sit res valde odiosa non posse praesumi sed probandam esse nec filium maiorem natu, etiam a domo paterna remotum, parentum domicilium amisisse quod hi sedem domicilii, eo absente, mutassent.

Uu. *Declaratur constare de nullitate matrimonii Radziwill-Benardaky ob non servatum Caput Tametsi* (A. A. S. 3 nov. 1916, 8, 415).

Nullitas matrimonii.

Sententia d. 18 apr. 1916, S. Rota contra appellationem defensoris Vinculi sententiam d. 27 iulii confirmavit. In hac causa praeclarum exemplum habemus ad illustrandam sententiam quam A. Wernz, *Ius matrimoniale*, nn. 169, 170 proponit de vi locali et personali decreti *Tametsi*. Sponsam non fuisse vagam eo argumento demonstrat Ponens quod domicilio non renuntiavit nisi ut per matrimonium acquireret domicilium mariti. Ante matrimonium ergo vaga non erat.

Vv. *Confirmatur sententia lata contra Capit. Vaticanum 10 maii 1916* (A. A. S. 1 dec. 1916, 8, 448).

Collatio beneficii.

Altera commissio a S. P. concessa sententiam prioris, d. 14 aug. 1916 confirmavit, inspectis praesertim verbis Bullae Bened. XIV *ad honorandam*, cuius nec verba nec clausulae exemptionem Capituli probant. Ex tenore quoque Bullae *Dum singularem* Leonis X patet et capitulum ipsi subici et vocem « cives romanos » eos tantum designare qui iure natalium romani cives sint.

179. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Negatur recursus contra sententiam extraordinaria provisione a S. Rota latam.

A. Die 21 iul. 1914, Signatura apostolica in causa Heliopolitana, Iurispatronatus seu Nullitatis sententiae rotalis et Restitutionis in integrum, statuit reiciendum esse recursum adversus sententiam rotalem 22 nov. 1913, quoniam, praeter consuetas iuris normas, S. Rota causam antiquam iudicaverat ex commissione ipsi specialiter a S. Pontifice facta, a qua proinde non datur recursus (A. A. S. 3 aug. 1914, 6, 400).

Restitutio in integrum concessa.

B. Die 28 iul. 1914, Signatura apostolica in causa Mileten. Restitutionis in integrum et iurium, inter Sodalitatem S. Michaelis in oppido Arena et Sodalitatem B. M. V. Gratiarum, concessit restitutionem in integrum adversus partem sententiae Rotalis 25 ian. 1913 (Period. VII, p. 117), qua Sodalitati B. M. V. ius agnitum fuerat interveniendi ad processionem die festo S. Michaelis. Causa restitutionis est solutionem dubii III S. Rom. Rotae propositi ex documento esse desumptam, quod facti nitebatur errore. (A. A. S. 20 aug. 1914, 6, 414).

Nullitas matrim. et restitutio in integrum.

C. Die 18 apr. 1915, Signatura apostolica in causa S. Miniati. Nullitatis matrim., ex capite impotentiae viri, ubi iam duae sententiae conformes praecesserant, statuit causam remittendam esse ad S. Rotam ut iterum examini subiciatur, praevio actorum supplemento, praesertim per novam viri inspectionem vel per peritioris votum super experimentis iam habitis. Appellavit scil. Signatura principium : causas matrimoniales numquam transire in rem iudicatam, quod ceterum confirmatum est a S. Pontifice Benedicto XV, 28 iun. 1915. (A. A. S. 20 iul. 1915, 7, 355).

D. *Declaratur ius funerandi esse penes Cappellanos regulares hospitii* (A. A. S. 7 iun. 1916, 8, 206).

Exemptio IV et funera.

Emi Patres postquam statuerunt sibi non de iure partium sed de sententiae valore aut nullitate esse iudicandum, quaestionem solverunt de titulo praescriptionis, quem in hac causa Vicentina parochus S. Marci, civitatis Vicentinae, a S. Rota haud iure adhibitum contendebat et contra actorem res est dirempta, d. 11 mart. 1916.

E. *Confirmatur sententia rotalis d. 15 iul. in causa Salutiarum* (A. A. S. 1 aug. 1916, 8, 287).

Ius Capituli in cura animarum.

Non admissus est recursus archipr. Jac. Conte contra Capitulum Cathedrale Salutiarum. — Censuerunt enim Emi PP. d. 13 maii 1916 utrumque turnum S. Rotae recte interpretasse ius et facta quibus constaret ius habitualis curae animarum etiam in Cathedrali Capitulo. Cf. supra S. Rota, n. 178, Cc, p. 308.

F. *Negatur concedi posse commissionem specialem ad iudicandam causam Bononien. de regularitate paroeciae* (A. A. S. 5 oct. 1916, 8, 375).

Commissio danda.

Emi Patres, d. 8 iul. 1916, negarunt signandum esse Commissionem ad iudicandam litem motam a Canonicis Reg. Later. ut sibi paroeciam S. Ioa. in Monte, in urbe Bononiensi, vindicarent. Nullum enim solidum fundamentum petitioni subest cum ex documentis clare eluceat illam paroeciam, uti omnes alias regulares, Ao 1806 ab archiepiscopo, vi specialis delegationis S. Sedis, declaratam esse saecularem. Ipsum autem decretum ob elapsum tempus aggredi iam non licet : ceterum ad Congregationem competentem, non ad S. Rotam deferendum esset, cum ius publicum agatur.

SECRETARIA STATUS

180. — *DECRETUM 10 IAN. 1915*

Quo preces pro pace certis diebus dicendae praescribuntur (A. A. S. 15 ian. 1915, 7, 8).

Cum Deus precibus et paenitentiae operibus placetur,

